INSTITUTIONES

POSITIVO-SCHOLASTICÆ

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AUCTORE

FRIDERICO SALA

PROTONOTARIO AP. AD INSTAR PARTIC.

PONTIF. THECLOGICÆ FACULTATIS MEDIOLANENSIS

STUDIIS PRÆFECTO.

WITHDRAWN

TOMUS IV.

DE SACRAMENTIS, DE NOVISSIMIS

EDITIO QUINTA EMENDATA

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

230
S159i
v. 4

MEDIOLANI
EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA S. JOSEPHI
VIA SANCTI CALOCERI N. 9

1900.

Mediolani, die 17 Martii, an. 1900.

Nihil obstat quominus imprimatur

Sac. JACOBUS SCURATI, *Cens. Eccles.*

qui libentissime mea facio verba Censoris præcedentium editionum scribentis:

ADMITTITUR ET SUMMOPERE COMMENDATUR

pro R.mo et Exc.mo D. D. Archiepiscopo,

Joseph Marinoni, *Cens. Eccles.*

IMPRIMATUR

in Curia Arch. Mediolan. 17 Martii 1900

† A. M. MANTEGAZZA, Episc. Famagostæ

Vic. Gen.

JURA PROPRIETATIS RESERVANTUR.

DE SACRAMENTIS

823. Post considerationem eorum, quæ pertinent ad mysteria Verbi Incarnati, Gratiæ et Virtutum divinarum, tractandum sequitur de Novæ Legis Sacramentis. Sunt enim sacramenta veluti canales, per quos de fontibus Salvatoris ad nos usque gratiæ et virtutum dona decurrunt, vel moraliter sunt ipsius Salvatoris Iesu Christi operationes, quas ipse per suos ministros ad animarum sanctificationem adhuc peragit.

In primis agemus de iis, quæ omnibus Sacramentis communia sunt, apposito præmisso tractatu *De Sacramentis in genere:* deinde singula in specie Sacramenta singulis tractatibus exponemus.

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS IN GENERE

824. *Sacramentum,* quod est *a sacro,* idem est ac quod græci dicunt μυστηριον seu *occultum;* ideoque latissimo sensu usurpatur ad significandam *rem sacram* quamcumque, quæ, ut plurimum, etiam est a rebus profanis *secreta.* Cum autem secretum aliquo signo exprimi contingat, hinc vox Sacramentum contracta est ad denotandum *quodlibet signum rei sacræ;* quo sensu omnes generatim sacræ cæremoniæ appellari possunt Sacramenta. Unde dici potest genus theologicum Sacramenti esse, ut sit *sacra quædam cæremonia* (1).

825. Verum quænam est differentia Sacramenti ab aliis sacris cæremoniis? Quævis sacra cæremonia ad externum cultum Dei pertinet;

(1) Sylv. Maurus, *Opusc. theol.,* tom. III, in S. Thom. III, q. LX.

in cultu autem Dei tria considerari debent: ipsi actus, quibus Deus colitur, personæ divino cultui consecratæ, instrumenta ad cultum inservientia. Hinc sacræ cæremoniæ sunt triplicis præsertim generis: *sacrificia,* in quibus præcipui actus divini cultus consistunt; *sacra* seu ipsa instrumenta ad cultum adhibenda, ut templa, vasa, altaria; *sacramenta,* quæ ipsas personas divino cultui dedicant et consecrant. Hinc differentia Sacramenti ab aliis cæremoniis in eo est, quod spectat ad ipsas personas Deo consecrandas seu ad homines sanctificandos. Hinc intelligitur definitio D. Thomæ qua Sacramentum est *signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines,* seu signum, non modo significativum, sed maxime *practicum,* quod non modo significat, sed producit rem sacram, quæ est hominis *sanctificatio* (1); et aliis verbis Sacramentum est *Sacra cæremonia significans et causans sanctificationem hominum.*

826. In præsenti autem ordine Providentiæ ista sanctificatio duplex distingui debet: una quidem interna et spiritualis seu *theologica,* consistens in gratia sanctificante; alia externa et corporalis seu *legalis,* consistens in passiva quadam consecratione ad cultum divinum et in externa quadam corporis munditia. Porro Sacramenta Novæ Legis significant et efficiunt sanctificationem theologicam et internam; Sacramenta Veteris Legis significabant et conferebant sanctificationem et munditiam legalem. Exinde definitio communis pro Sacramentis utriusque Testamenti hæc dari potest: *Cæremonia divinitus instituta ad significandam et efficiendam hominum sanctificationem respondentem œconomiæ, ad quam ipsa cæremonia pertinet.*

827. Cum autem in V. T. sanctificatio legalis typus esset simulque realis prophetia et promissio divina sanctificationis theologicæ in Novo Testamento faciendæ; hinc vetera illa sacramenta etiam signa erant, imo pignora et promissiones gratiæ conferendæ per Christum. Unde Sacramentum V. L. definiri posset: *Cæremonia divinitus instituta ad significandam et ad rite suscipienti conferendam sanctitatem legalem et per hanc ad significandam et promittendam gratiam dandam in Lege nova.* In L. V. Sacramenta videntur fuisse: *circumcisio,* figura Baptismi; *agnus paschalis,* figura Eucharistiæ; *ritus* ad initiandos sacerdotes, figura Sacramenti Ordinis; variæ *lustrationes* et mundationes, figuræ Sacramenti Pœnitentiæ (2).

(1) *Sacrum* id dicitur, quod Deo dicatur. Dicari aliquid Deo, est ei accedere; accedere ad Deum est sanctitas creaturarum propria. Hinc *res sacra,* quam Sacramentum significat et producit, est *sanctitas.*

(2) Cf. Becanus, *analogia V. et N. T.,* c. 14.

828. Econtra Novæ Legis Sacramentum intelligitur esse « cæremonia a Christo instituta ad significandam et ad rite suscipienti conferendam interiorem sanctitatis gratiam. » Quam iuxta notionem optime a Catechismo romano definitur: *Res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis et iustitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habet.* Quæ definitio sic brevissime contrahi potest: *Signum sensibile efficax gratiæ.* Dicitur *signum,* quia significat aliquid occultum; *sensibile,* quia sensibus percipitur; *efficax,* quia etiam practice efficit id, quod significat: occultum autem, quod significatur et producitur, est *gratia* nempe quæ antonomastice gratia appellatur quæque est *gratia sanctificans* cum aliis interioribus effectibus et donis (1).

829. Verum pro re nostra placet christianum Sacramentum definire: *sensibile signum, sanctificans homines, auctore Christo.* Quo tria indicantur: externa Sacramenti constitutio in sensibili signo; interior efficacitas sanctificandi suscipientes; causa efficiens tota in Christo consistens. Inde tria capita tractanda, cui quartum de Sacramentorum numero addemus.

CAPUT I.

DE EXTERNA SACRAMENTORUM CONSTITUTIONE.

830. Ex præstituta definitione, fundamentalis ratio Sacramenti in eo est, quod *significet* et *sanctificet.* Significat, quatenus est signum seu ritus externus, et in hoc consistit externa et physica Sacramenti essentia. Sanctificat, quatenus ritui ipsi adnectitur invisibilis aliqua divina virtus ad sanctificandum. Remittentes ad caput insequens dicere de hac intrinseca sanctificandi virtute, modo dicimus solum de illa externa Sacramenti constitutione, qua scilicet Sacramentum est *signum sensibile.* Ut plenius intelligatur, cuiusmodi signum Sacramentum sit, præstat de eo dicere: 1.° Quatenus est aliquid *sensibile,* 2.° quatenus est *signum,* 3.° quatenus et quibus *partibus* constituatur.

(1) Concordant aliæ definitiones, uti illa Magistri sententiarum (in 4 dist. unica): *Invisibilis gratiæ visibilis forma, ita ut illius imaginem gerat et causa existat;* et illa S. Gregorii, relata cap. *Multi,* 1, quæst. 1: *Id, in quo sub tegumento rerum visibilium divina virtus secretius operatur salutem.*

I.

Signum sacramentale semper est in aliqua re sensibili.

831. Sacramenta, ut ex dictis patet, primo et per se signa sunt, unde et σύμβολα a Patribus vocantur. Atqui primo et principaliter dicuntur signa, quæ sensibus offeruntur, iuxta definitionem Augustini, quod « signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire » ; effectus autem intelligibiles non habent rationem signi, nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua sensibilia. Oportet igitur Sacramenta primo et per se esse signa *sensibilia*. Quædam autem, quæ non sunt sensibilia, dicuntur *quodammodo* sacramenta, in quantum sunt significata per aliqua sensibilia, uti est de charactere animæ impresso (1).

832. Quod autem revera Sacramenta omnia in aliqua re sensibili consistant, patet inductione ex singulis inspectis Sacramentis sive Novi sive Veteris Testamenti.

Quod si in Eucharistia corpus Christi dicatur et sit Sacramentum, quamvis latens et sensibus occultum ; id non officit. Nam *totum* Sacramentum Eucharistiæ sunt species cum corpore Christi. Corpus autem Christi solum non dicitur Sacramentum, nisi per synecdochen. Sufficit autem aliquid Sacramenti esse sensibile, uti species, ut Sacramentum absolute dicatur sensibile (2).

Nec item dubium moveatur de Matrimonio, quod perficiatur in mutuo solo consensu, qui sensibilis non est. Certum est enim non sufficere solum interiorem consensum utriusque contrahentis, nisi aliquo signo sensibili exprimatur (3).

833. Cur autem decuerit, Sacramentum semper esse in aliqua re sensibili, S. Thomas ex eo ostendit, quod sapientia divina unicuique rei providet secundum eius modum. Cum autem homini connaturale sit, ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium ; tum oportet, ut Sacramentum, quoniam spiritalia et intelligibilia bona homini significat, ideo per aliquas res sensibiles hanc suam significationem adimpleat. Cui rationi congruunt Patres, ubi docent, Sacramenta esse vestigia quædam et manuductiones ad spiritualia et invisibilia. Huic

(1) S. Thomas, III, q. 60, a. 4 ad 1^{m}.

(2) S. Thomas, IV, d. I, q. 1, a. 1, q. 3 ad 3.

(3) Inn. III, cap. *Cum apud* de sponsalibus. Et cap. *Licet.*

rationi ex ipso S. Thoma alia addi potest desumenda ex statu hominis lapsi; cui ab illis corporalibus medicinale remedium procurandum erat, a quibus infirmitatis et corruptionis morbum ipse detraxit. Cum qua nectitur tertia ratio, quod homo, sive ex peccati corruptione sive ex natura propriæ actionis, corporalibus deditus, facile non poterat ab illis totaliter abstrahi, nisi eidem proposita fuissent corporalia exercitia in Sacramentis, quæ a noxiis actionibus eum salubriter præservarent (1).

Apud Patres aliæ congruentiæ inveniuntur, uti ex Augustino est illa, quod Sacramenta sunt aliqui essentiales ritus religionis; quibus, veluti vinculis, homines colligantur in unam Ecclesiam. Iamvero « in nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur (2). »

834. At inde haud sumatur difficultas, quod Sacramenta sunt res omnino *sacræ* et *divinæ*, dum econtra nihil in sensibilibus contineri videtur, quod ad sacrum et divinum pertineat, ipso docente Paulo quod *non est regnum Dei esca et potus* (Rom. XIV, 17). Nam respondetur: res sensibiles nihil sacri et divini continent, si in sua mera natura considerentur; sed possunt quidem de sacro et divino participare, quatenus a Deo assumuntur, ut significent spiritualia et pertineant tanquam ritus ad externum cultum Dei. Sic enim intelligimus signum sacramentale, quamvis sensibile, vere *sacrum* et divinum esse, et quidem non modo ex parte rei significatæ, sed etiam in se ipso, quatenus est ritus ad sacrum cultum legitime pertinens (3).

II.

Signum sacramentale quid et quomodo significet.

835. Sacramentum, prouti diximus, ideo signum est, quia significat. Significat autem nostram sanctificationem. Et in hac tria possunt considerari, videlicet ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi; forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia et virtutibus; et ultimus finis sanctificationis nostræ, qui est vita æterna. Hæc omnia Sacramentis significantur, unde Sacramentum est etiam signum

(1) S. Thomas, III, q. 60, a. 4; q. 61, a. 1.
(2) S. Augustinus, l. XIX, *contr. Faust.*, c. 11
(3) S. Thomas, III, q. 60, a. 4 ad 2^{m} et 3^{m}.

rememorativum passionis Christi, *demonstrativum* gratiæ, quæ in nobis per Christi passionem efficitur, *prognosticum* futuræ gloriæ.

Hanc triplicem significationem in Baptismo ipse docet Apostolus: *Consepulti enim sumus cum illo* (Christo) *per baptismum in mortem* (veteris hominis).... *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius; simul et resurrectionis erimus* (Rom. VI, 4, 5). Quod in Eucharistia recolitur memoria passionis, mens impletur gratia et futuræ gloriæ nobis pignus datur, canit Ecclesia et clare colligitur ex verbis, quibus Christus hoc sacramentum promisit (Io. VI, 50-59) et instituit (I Cor. XI, 24-26). In aliis Sacramentis ipsa hæc tria, licet non tam expresse, significari, sequitur ex eo quod sanctificationem significant. Nam hæc tria, quamvis distincta in se sint, tamen in Sacramentis per modum unius significantur adeo, ut res significata semper una sit, scilicet gratia sanctificans, quæ dum est forma sanctitatis simul est effectus dominicæ passionis atque in gloriam ex se ordinata.

836. Si in comparatione ad Sacramenta N. L. quæratur de significatione Sacramentorum V. L., dici debet quod ita se habent Sacramenta vetera Synagogæ ad nova christianæ Ecclesiæ, sicut hæc nova Sacramenta se habent ad bona æterna Ecclesiæ cœlestis. Ratio est, quia Sacramenta sunt institutiones principales, quæ ideo respondere debent propriæ indoli Testamenti, ad quod pertinent. Hæc autem est indoles utriusque Testamenti, ut Vetus fuerit pædagogia et præparatio ad Novum, hoc autem sit præparatio ad patriam cœlestem, adeo ut inter mosaicam et cœlestem Ecclesiam hæc Christi Ecclesia in terris sit tanquam media, inter umbram veterem et consummationem futuram in cœlis. Hæc porro doctrina est S. Pauli, qui distinguit *umbram* in Veteri Testamento, *imaginem* in Novo, ac denique *res ipsas* imagine nunc repræsentatas sed sine imagine in cœlo possidendas. *Umbram habens Lex futurorum bonorum* (quæ, tunc futura, nunc in N. T. præsentia sunt) *non ipsam imaginem rerum* (Hebr. X, 1). Quæ verba ita eloquenter a S. Ambrosio explicantur: *Primum umbra præcessit, secuta est imago, erit veritas. Umbra in Lege, imago vero in Evangelio, veritas in cœlestibus. Umbra Evangelii et Ecclesiæ congregationis in Lege, imago futuræ veritatis in Evangelio, veritas in iudicio Dei.... Sed iam discessit umbra noctis et caliginis Iudeorum, dies appropinquavit Ecclesiæ. Videmus nunc per imaginem bona et tenemus imaginis bona.... Tunc videbimus* (sine imagine), *cum imago transierit, veritas venerit.... Ascende ergo, homo, in cœlum, et videbis illa, quorum*

umbra hic erat vel imago; videbis non ex parte, non in ænigmate sed in consummatione, non in velamine sed in luce (in Ps. 38, n. 25, 26).

Iamvero hæc quæ generatim de Testamentis, eadem speciatim de Sacramentis utriusque Testamenti valent. Hinc Sacramenta vetera in Synagoga mosaica *umbra* sunt et promissiones novorum in Ecclesia Christi, hæc nova sunt *imagines* et pignora *rerum*, quæ in Ecclesia cœlesti manent sine signis et in sola veritate. Scilicet in veteribus Sacramentis *umbra*, prænuncians bona futura, est ipsa iustitia legalis et typica, quam significabant et efficiebant. Bona futura sic prænunciata sunt merita Christi et vita gratiæ; quæ nunc completa et præsentia significantur et actu exhibentur in Sacramentis N. Legis. Hæc autem Sacramenta, signa cum suis bonis signatis et datis, sunt *imagines* et pignora rerum, quæ perfectæ et sine signis possidentur in cœlo; sed huiusmodi *res* cœlestes non aliud sunt quam ipsa bona, quæ nunc Sacramentis significantur et modo inchoativo dantur; sed quæ consummata et sine velamine in patria manent.

837. Si denique quæratur de *modo*, quo signum sacramentale significet: utrum ex sua quadam naturali convenientia et analogia, an vero ex positiva aliqua institutione; respondemus quod simul utroque modo, hoc sensu, quod res assumpta in signum ob aliquam naturalem proportionalitatem habeat quidem ad significandum *aptitudinem*, sed *actu* significet solum ex divina institutione. Nulla est enim naturaliter certa et fixa proportio inter rem sensibilem et gratiam. Unde Sacramentum aptitudine est signum *naturale*, sed actu est signum *arbitrarium* seu ex placito Dei institutoris. Sic ablutio aquæ est quidem naturaliter apta ad significandam animæ mundationem, sed quod eam actu significet, id positive voluit et instituit Christus (1).

III.

Quibus partibus signum sacramentale constet.

838. « Signum sacramentale, prout est ipsum sensibile seu ipse ritus externus, in Nova Lege duplici elemento conficitur, nempe *rebus* et *verbis*. »

(1) Exinde aptissime explicatur definitio Sacramenti proposita ab Hugone Victorino: « Sacramentum est materiale elementum foris sensibiliter propositum, *ex similitudine repræsentans, ex institutione significans* et ex sanctificatione continens aliquam invisibilem et spiritalem gratiam. » *De Sacram.*, l. I, p. IX, c. 2.

Ad signum sacramentale, quoniam aliqua analogiâ repræsentare debet rem significatam, ideo res semper requiritur. Attamen non est de ratione signi, neque speciatim de ratione signi sacramentalis, ut rebus etiam verba adiungantur. Licet enim verba sint prima inter signa, possunt tamen etiam res absque verbis ad significandum assumi. Ita sacramenta Veteris Testamenti, ut circumcisio, esus agni paschalis, initiatio sacerdotum, in solis rebus et actionibus quibusdam erant instituta, et si quæ verba adiungebantur, non erant divinæ institutionis neque ad rationem signi pertinebant. Econtra Sacramenta Novi Testamenti omnia constant non solis rebus et actionibus, sed simul etiam verbis.

Idque demonstratur *inspectione* ipsius ritus essentialis in singulis Sacramentis, prouti partim in Scripturis ipsis describitur, partim ex apostolica Traditione innotescit. In quinque Sacramentis duplex huiusmodi pars est manifesta; in Pœnitentia et Matrimonio quæstio esse potest non de duplici parte, sed de *modo*, quo *res* et *verba* se habent.

Ratio *congrua* huius compositionis signorum sacramentalium Novi Testamenti triplex affertur e S. Thoma, ut scilicet respondeant Deo sanctificanti, homini sanctificando et Ecclesiæ ministranti. Prima ratio est, ut Sacramentum Verbo incarnato, a quo promanat, quodammodo conformetur in hoc, quod rei sensibili verbum adiungatur, ad unum formandum sacramentum; sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili Verbum Dei in unum Christum unitur. Secunda est, ut Sacramentum proportionetur homini sanctificando in hoc, quod verbum informet elementum, sicut anima nostra informat corpus, et unum ex utroque Sacramentum consecret totum hominem tum secundum animam, qua verbum creditur, tum secundum corpus, quod ab elemento tangitur. Tertia ratio est, ut significatio sacramentalis, quæ per verba perfectior fit, respondeat perfectioni novæ Ecclesiæ. Modus enim significandi per res absque verbis erat in veteribus Sacramentis minus expressus, ideoque congruebat toti illi æconomiæ adhuc imperfectæ umbram habenti futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Ipsa perfectior rerum imago est econtra in Novo Testamento; cui proinde convenit, ut etiam in Sacramentis sit expressior modus significandi, seu per verba, quæ inter homines principatum significandi obtinent (1).

839. « Apte res appellatur *materia*, et verbum *forma*. »

Imprimis propter similitudinem, quam Sacramentum, quamvis sit compositum morale, habet cum composito physico. Nam sicut in com-

(1) *Sum. theol.*, III, q. 60, a. 6; Franzelin th. IV.

posito physico *materia* est pars imperfecta et indeterminata, et *forma* est pars perficiens et determinans materiam ad certam speciem; similiter in Sacramento *res* dicitur materia, quia est aliquid imperfectum et indeterminatum in ratione significandi, quippe quæ assumi potest ad diversas significationes, et *verbum* dicitur forma, quia ipsi rei accedens, eam determinat et perficit ad unam significationem sacramentalem. Sic in *baptismo* aqua indifferens est, per se, sive ad naturalem corporis mundationem sive ad refrigerium; sed verba *ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* determinant aquam ad significandam ablutionem spiritualem.

Accedit quod hic loquendi modus iam a sec. XIII penes omnes Theologos est communis, confirmatus a conciliis Constantiensi, Florentino, Tridentino (sess. XIV, c. 2 et 3) (1). In Instructione ad Armenos legimus: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum* (2).

Demum totum hunc modum compositionis in signo sacramentali, licet non sub appellationibus materiæ ac formæ, habes descriptum apud S. Augustinum illo celebri loco: *Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum... Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo?* (3).

840. Tandem ad solvendas difficultates adverti debet, de ratione *materiæ* sacramentalis necessarium non esse, ut ea sit res *materialis* et *palpabilis;* sed sufficit, ut sit elementum aliquod quidem sensibile, sed minus determinatum, ad plura indifferens, quod accessu alterius elementi magis determinetur et perficiatur.

Hinc sub nomine *rei* seu *materiæ* venit etiam actio minus materialis, uti dolens confessio in sacramento Pœnitentiæ; et sub nomine *formæ* seu *verbi* veniunt etiam ea, quæ verbis *æquivalent,* uti nutus in mutis, qui contraherent Matrimonium. Ut Sacramenta constare dicantur *rebus*

(1) Hæ voces *materia* et *forma* primum usurpatæ inveniuntur a Gulielmo Antissidoriensi (Auxerres), qui obiit an. 1230.

(2) Persona ministri pertinet ad causas extrinsecas Sacramenti; dum causæ intrinsecæ non sunt nisi duæ, materialis et formalis. Hinc res et verba tantum pertinent ad constitutiva Sacramenti eo ipso, quod res constituunt eius materiam et verba formam.

(3) Tract. LXXX *in Io.* n. 3.

et *verbis*, necesse non est, ait Bellarminus, ut *res* non sint verba, et verba non sint res; sed sat est, si aliquid fungatur vice rei, aliud vice verbi. Imo nil impedit, quominus eadem verba in Matrimonio habeant rationem materiæ, quatenus exprimunt id, quod est minus determinatum et indiget determinari per alterum, videlicet quatenus exprimunt *traditionem* corporum per se spectatam; habeant vero rationem formæ, quatenus traditionem hanc ad rationem signi sacramentalis determinant, seu quatenus eam mutuam traditionem declarant et firmant tanquam obligationem matrimonialem perpetuam, id quod mutua *acceptatione* fit (1).

Sed alia difficultas magis generalis ea est, quod melius diceretur materia *totum signum* simul acceptum, res cum verbo; forma autem non alia esset, quam ipsa totius signi *significatio*. Sed sic esset agere de compositione metaphysica Sacramenti, quo sensu bene dici posset quod ipsa *significatio* sit forma *signi*, sicut generatim omne abstractum dici potest forma concreti, uti humanitas forma hominis. Imo sensu quidem elevato et completo dici posset quod *divina et efficax significatio* Sacramenti sit eius forma, dum *totus ritus externus* non esset nisi materia; quo sensu expressio Verbi Incarnati in Sacramentis verior est. Sed Theologi non de hac compositione, sed tantum de compositione velut physica Sacramenti agunt, quando de eiusdem materia et forma loquuntur, et hoc sensu ipsi nunc loquimur.

CAPUT II.

DE INTRINSECA SACRAMENTORUM EFFICACITATE.

841. Præter externam Sacramenti constitutionem veluti physicam, considerari potissimum debet eiusdem interna virtus et efficacia. Ex præstituta Sacramenti definitione, hæc ordinatur ad *sanctificandos homines* et quidem non modo sanctificatione aliqua extrinseca, sed potissimum *vera interna et spirituali* sanctificatione, de qua solum nobis loquendum est. Iamvero sanctificatio, etiam interior, duo simul indicat intime connexa: animæ iustificationem, qua homo fit deiformis et divinæ consors naturæ, et eiusdem animæ realem consecrationem, qua homo

(1) Vide inferius, ubi *De Matrimonio*.

ad cultum Dei mancipatur. Prima sanctificatio in gratia habituali cum donis adnexis sanctificantibus consistit; altera in anima ipsa alicuius realis characteris impressionem importat. Exinde duo distinguuntur effectus præcipui, ad quos Sacramentum ordinatur: *gratia* et *character*.

842. Primus effectus est omnibus Sacramentis communis; attamen cum aliqua differentia, de qua inferius. Subintelligimus simul cum gratia sanctificante conferri etiam alios habitus infusos virtutum et donorum, veluti partes integrantes unius supernaturalis iustitiæ.

Alter effectus est proprius trium Sacramentorum tantum, nempe Baptismi, Confirmationis et Ordinis, quæ non solum conferunt gratiam sanctificantem solis iustis propriam, sed etiam imprimunt in anima, sive iustorum sive peccatorum, quoddam consecrationis signaculum, quod *characteris* nomen obtinuit (1).

843. Novatores effectum hunc postremum omnino denegant, characterem irridentes uti magicam incantationem; alterum vero, qui est gratiæ collatio, soli fidei tribuunt, Sacramentis officium tantum asserentes excitandi fidem. Exinde fit, ut nullum discrimen agnoscant intrinsecum inter Veteris et Novæ Legis Sacramenta, et verba sacramentalia contendant esse non consecrantia sed concionalia ad fidem promovendam.

844. Contra, doctrina catholica duo docet: 1.° Sacramenta Novæ Legis gratiam, ex vi sua, seu ex opere operato, non ponentibus obicem conferunt; unde intrinsece differunt a veteribus Sacramentis, neque instituta sunt ad solam fidem excitandam. 2.° Tria enumerata Sacramenta, æque ex opere operato, characterem in anima imprimunt.

Hinc duæ erunt theses ad vindicias utriusque veritatis. Adiungemus deinceps, quæ ad penitiorem rerum intelligentiam inserviunt.

(1) Character dicebatur nota, quæ antiquitus corpori inurebatur in signum mancipationis ad servitium militare, vel ad aliud huiusmodi. Cum quibus mancipatis aliquam habent proportionalem similitudinem etiam qui ad spiritualem Christi militiam deputantur.

THESIS I.

Sacramenta Novæ Legis gratiam non ponentibus obicem, tanquam causæ instrumentariæ, conferunt ex opere operato.

845. Declaratio. — Tria in primis explicanda sunt: *obex* quid sit, quænam notio *causæ instrumentalis* respectu ad causam principalem, quid significet formula illa *ex opere operato.*

1.° *Obex gratiæ* est animi indispositio vel dispositio mala ad gratiam recipiendam et distinguitur ab *ineptitudine,* quam aliquis habere potest ad ipsum Sacramentum suscipiendum. Ille ad ordinem moralem pertinet et impedit *fructum,* non *valorem* Sacramenti (1): hæc ad ordinem reducitur physicum et impedit ipsum Sacramenti valorem, unde dici posset *obex,* non quidem gratiæ, sed *Sacramenti* (2). Hinc apparet in infantibus posse aliquando adesse physicum obicem Sacramenti; at, quoniam incapaces sunt actuum moralium, nullum obicem gratiæ in eis inveniri posse. In adultis autem obex gratiæ est *impœnitentia* de peccato commisso quoad illa Sacramenta, quæ instituta sunt ad remissionem peccatorum; est *conscientia mortalis peccati* quoad alia Sacramenta, quæ ex sua institutione referuntur ad augendam animarum sanctificationem. Obex huiusmodi tolli nequit, nisi per *actus liberos* ipsius hominis auxilio gratiæ actualis elicitos, scilicet impœnitentia tollitur per actus pœnitentiæ, ad quos requiritur fides, spes, voluntas perveniendi ad gratiam, detestatio commissi peccati cum proposito servandi legem Dei; conscientia lethalis peccati tollitur ea præstando, quæ necessaria sunt, ut quis se ponat in statu gratiæ, inter quæ, ex positiva Dei voluntate, sunt præsertim Baptismus et sacramentum Pœnitentiæ rite susceptum. Advertendum est denique per hos actus non poni *causam* gratiæ *activam,* sed tantum *removeri impedimentum,* ut causa suum

(1) Dispositio *deficiens* est obex non quidem ad gratiam simpliciter, sed ad gratiam uberiorem.

(2) Ineptitudo oritur ex defectu characteris baptismalis quoad alia sacramenta; ex charactere iam recepto quoad sacramentum respectivum; ex sexu fœmineo quoad Ordinem; ex sanitate quoad Extremam Unctionem; ex impedimento dirimente quoad Matrimonium; ex omnimoda innocentia quoad Pœnitentiam; ex voluntate suscipientis omnino invita quoad omnia Sacramenta.

producere effectum possit, seu poni *conditionem, sine qua* Sacramentum gratiam conferre *non* posset (1).

2.° Sequitur declaratio altera, quid sit causa principalis, quid instrumentalis. Causa efficiens *principalis*, quæ esse potest non modo causa prima seu Deus, sed etiam causa secunda seu creatura, ea dicitur, quæ ex sua natura propriam virtutem habet ad producendum effectum et quæ in illum per sese agit et influit: causa *instrumentalis* semper relative dicitur ad principalem et est ea, qua causa principalis utitur ad producendum effectum; ipsa autem in effectum agit virtute non propria, sed derivata a principali agente (2). Est vero notandum, non modo causam physicam, sed etiam moralem, eâdem ratione, in principalem et instrumentalem distingui, prouti influentia causæ in effectum sit propria ipsius, vel derivata ab altera (3). Inde intelligimus, Sacramenta esse causas efficientes gratiæ non quidem principales sed instrumentarias, esse scilicet instrumenta Dei, qui solus est causa principalis physice efficiens gratiæ, et instrumenta Christi hominis, cuius merita sunt principalis et prima causa moralis seu, ut ait Tridentinum, *meritoria* omnis gratiæ.

3° Quod demum spectat ad formulam illam *ex opere operato*, in primis grammatice patet, vocem *operatum* tum a Theologis tum a PP. Tridentinis usurpari significatione passiva pro *opere quod efficitur*. Relate vero ad rem ipsam hac locutione significatam, *opus operatum* opponitur *operi operantis* (in quo ratio meriti attenditur), et indicat non subiecti operationem sed obiective ipsum opus editum per se, quin ratio habeatur *meritis* hominis operantis. Opus operatum igitur in Sacramentis est ipsum sacramentale signum valide positum. Quando itaque Sacramenta dicimus conferre gratiam *ex opere operato*, tria significamus,

(1) Per hos actus removentes repugnantiam gratiæ efficitur ea, quæ dicitur *necessaria dispositio* idest non repugnantia ad infusionem gratiæ. Actus autem virtutum, quibus homo ita se disponit ad Sacramentum, non sunt meritum ad *gratiam sacramentalem*, sed meritum continent ad augmentum gratiæ sanctificantis, quæ conceditur uti *extrasacramentalis* ex opere operantis. Bellarminus *De Sacr.* l. II, c. 1.

(2) Lege omnino S. Thom. III, 62 integrum art. 1 et speciatim ad 2.

(3) Causa *efficiens*, quæ potissimum causa dici solet, est quæ vera *actione* in effectum influit, et est *physica*, quæ effectum physica sua actione attingit et producit; *moralis*, quæ actione morali, uti imperii, consilii, meriti, in effectum influit. Causam distingue a *conditione sine qua non*, cuius nulla est efficientia propria aut derivata ad producendum, sed quæ solum removet impedimentum, vel signum est, ut ad eius præsentiam causa producat. Tale esset denarium plumbeum, quod si quis afferret, acciperet centum libras ex regis ordinatione.

nimirum: 1) *affirmamus* quod ipsum sensibile signum, iuxta Christi institutionem adhibitum, per se valet ad conferendam gratiam; 2) *excludimus* quod gratia sacramentalis conferatur ex opere operantis sive administrantis sive suscipientis, tanquam ex opere meritorio; 3) simul implicite *supponimus,* tum virtutem signi derivari a Deo et Iesu Christo, tanquam a causa principali, tum quosdam actus liberos sive ministrantis sive suscipientis requiri, veluti conditiones necessarias vel ad validitatem vel ad fructum Sacramenti.

Hisce declaratis, hic est sensus thesis demonstrandæ: virtus Sacramentorum Novæ Legis non est, ut excitent fidem per quam deinde homo mereatur gratiam (sicut erat sacramentorum Veteris Legis et sicuti est prædicationis verbi Dei); neque est, ut conferant tantum gratias actuales illustrationis et motionis, quibus homo cooperans iterum merito suo perveniat ad sanctificationem (sicuti est proprium non Sacramenti sed Sacrificii Novæ Legis); sed virtus Sacramentorum Christi eo reducitur, ut per Sacramenta, tanquam per *causas instrumentarias,* ubi obex non impedit, sanctificans gratia *immediate* (i. e. non mediante fide aut merito operantis) et *efficienter* (i. e. vera actione, non mera conditione sine qua non) conferatur. Dicimus autem ita per Sacramenta gratiam conferri *efficienter* non *physice,* quia abstrahimus nunc a modo, quo ea sint instrumentales causæ, utrum physica an solum morali virtute et efficientia. Non enim solutio huius quæstionis, sed solum veritas efficaciæ Sacramentorum est *de fide* in Conc. Trid. (sess. VII, can. 6) iterum proposita et declarata: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam* (1), *quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel iustitiæ, et notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; a. s.* Et can. 8: *Si quis dixerit per ipsa N. L. Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam.... a. s.*

846. Demonstratio. — I. Ex *Scripturis.* Sane 1° applicatio signi sacramentalis immediate coniungitur cum gratiæ collatione: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; Imponebant manus super illos, et accipiebant Sp. Sanctum* (2). Item 2° signum ipsum denominationem sumit ex collatione gratiæ, unde Baptismus e. g. dicitur *lavacrum*

(1) Sacramenta *continent* gratiam, non quidem formaliter sicut vas continet aquam, sed *efficienter* sicut calamus continet literam.

(2) Marc. XVI, 16; *Act.* VIII, 17; cf. *Gal.* III, 27; *Act.* XIX, 6; Iac. V; Ioan. VI.

regenerationis. Iterum 3° signum sacramentale declaratur esse causa gratiæ sive particulis causalibus *ex* et *per,* sive alia particula finali *in,* sive ablativo instrumenti, sive etiam copulando instrumentalem ritum cum Spiritu Sancto, veluti cum sua causa principe. Ita in illis Joannis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et in illis Actuum: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum;* et *Quum vidisset... quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus* (1). Demum 4° ex comparatione Baptismi Christi cum illo Ioannis. Ille, præsupposita pœnitentia, dicitur simpliciter *Baptismus in remissionem peccatorum,* hic appellatur *baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum;* item ille vocatur Baptismus *in Spiritu Sancto,* hic in *aqua* tantum (2).

Iamvero omnes hæ locutiones exprimunt, effectum Sacramenti immediatum esse non fidem aut pœnitentiam, potius præsuppositas: sed *remissionem peccatorum, gratiam Dei, communicationem Spiritus Sancti:* huius autem effectus causam non indicant esse actus fidei, pœnitentiæ et aliarum virtutum præsuppositos in suscipiente; sed causam esse indicant signum ipsum sensibile, ablutionem, manuum impositionem. Si autem signum sacramentale sit causa gratiæ, oportet quod sit causa *efficiens,* et quidem ut *instrumentaliter* assumpta a Deo. Nam impossibile est, quod res sensibilis sit causa vel materialis vel formalis vel finalis iustificationis simulque est absurdum, quod sit causa efficiens iustificationis ex virtute sibi propria, et non ab Eo derivata, qui solus est Auctor gratiæ.

II. *Traditio* eandem veritatem continet; in primis Traditio theoretica seu Patrum doctrina. Etenim 1° PP. intimum nexum enunciant inter ritum sacramentalem et gratiam in anima producendam. *Caro abluitur,* ait Tertullianus, *ut anima emaculetur; caro ungitur ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur: caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur* (3). Nexum verum hunc 2° repetunt ex eo, quod Spiritus Sanctus, virtus divina, elementis aquæ, olei, etc., verbo consecrante, illabitur illis tribuens vim sanctificandi. *Invocato Deo,* ait iterum Tertullianus, *supervenit*

(1) Ioan. III, 5; *Act.* II, 38, VIII, 18; Cfr. *Eph.* V, 26; *Tit.* III, 5; *I^a Tim.* IV, 14; *II^a Tim.* I, 6.

(2) Marc. I, coll. ad *Act.* II, 38; Io. I, 33 coll. ad Luc. III, 16.

(3) Tertull. *De resur. car.* c. VIII.

statim Spiritus de cœlis, et aquis superest sanctificans eas de semet-ipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt (1). Id 3° multiplici similitudine illustrant, præsertim cum de Baptismo loquuntur. Aquam enim baptismalem, ex qua regenerati sumus, sublimius comparant utero Virginis, cui Spiritus Sanctus tribuit virtutem ad generandum Christum; vel eam appellant undam genitalem, in qua christiani veluti pisces nascuntur, et eiusdem fœcunditatem comparant cum illa, quam primitus aquis indidit Spiritus Sanctus, qui ferebatur super illas ad producendas animas viventes. Ita Chrysostomus, Nyssenus, S. Leo M., Cyprianus, Tertullianus aliique (2). Item verba sacramentalia ad conficiendam Eucharistiam comparant verbo creanti.

Accedit Traditio practica, ad quam pertinent imprimis Baptismus infantium, mandatum deinde sæpe repetitum ut etiam sensibus destituti catechumeni Baptismo, fideles absolutione expientur. Congruit denique publica in symbolis professio: *Credo unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Particula illa finalis *in* satis indicat, finem et effectum immediatum Baptismi esse remissionem peccatorum.

COROLLARIA.

847. *Sacramenta Novæ Legis intrinsece et quoad efficaciam differunt a Sacramentis Veteris Legis, non autem ob solam extrinsecam diversitatem rituum.* Ita ex definitione Conc. Trid. sess. VII, can. 2. Etenim rationi propriæ Veteris Testamenti, quod erat umbra futurorum, respondebat propria rituum et sacramentorum ratio. Hinc erant signa demonstrativa et causæ iustitiæ legalis, et per hanc, signa prophetica Salvatoris venturi et interioris sanctitatis per ipsum conferendæ; non autem erant causæ ullo modo sanctitatis interioris, sed meræ *conditiones* erant, quibus positis, Deus interiorem sanctitatem seu gratiam dabat propter meritum congruum fidei, quam homo, ea sacramenta suscipiens, profitebatur in Christum venturum. Vidimus econtra Sacramenta Novi Testamenti esse signa ex virtute sibi intrinseca sanctificantia et veras et reales interioris sanctitatis causas, licet instrumentarias (3).

(1) Tertull. *De Bapt.* c. IV.

(2) Apud Franzelin, th. VI, n. 3.

(3) Hæc doctrina valet pro omnibus veteribus Sacramentis, etiam pro *naturæ remedio* seu illo remedio, quod in statu Legis naturæ, ex divino instinctu inductum, in salutem

848. *Verba, quibus Sacramenta conficiuntur, consecratoria sunt et non mere concionalia.* Protestantes docent, iustitiam christianam esse formaliter ipsam Christi iustitiam nobis imputatam; medium ad hanc imputationem esse *solam fidem* seu fiduciam, nobis peccata non imputari sed imputari nobis Christi iustitiam. Ad excitandam autem fidem hanc valet verbi Dei prædicatio, cui veluti appendix addita fuerunt ad eundem unicum finem excitandi fidem Sacramenta, quæ ideo, sub alia forma, non aliud sunt, quam prædicatio promissionum evangelicarum. Ex hac itaque doctrina sequitur, quod integrum Sacramentum et nominatim *verbum* non est nisi prædicatorium et concionale. Hanc doctrinam damnavit Conc. Trid. Sess. VII, can. 5 et 6; econtra catholica est, quæ hoc corollario asseritur. Scilicet verba illa habent quidem suam theoreticam significationem, quæ etiam ad nostram eruditionem, tanquam ad finem secundarium Sacramentorum, inservire potest. Tamen ea non solum adhibentur per modum concionis ad excitandam fidem, qua mediante, uti volunt Protestantes, iustificetur homo; sed potius et ex fine Sacramenti primario adhibentur tanquam verba, quæ habent directam et immediatam efficaciam tum ad consecrandam materiam, cum qua componunt unum sacrum signum, tum ad consecrandum suscipientem, in quo gratiam causant.

Hæc veritas continetur ut consequens necessarium in eo, quod demonstravimus, nimirum: Sacramenta esse sacra signa immediate efficacia sanctificationis, quam ex opere operato conferunt. Verba enim sunt pars et quidem potior et determinans signi sacramentalis, quæ ideo, ut forma,

parvulorum adhibebatur. Videtur constitisse in aliqua externa professione fidei in futurum Reparatorem et esse poterat vel præcatio quædam, vel benedictio vel fortasse oblatio infantis a parentibus Deo facta. Huic remedio successit *Circumcisio*, de qua S. Thomas ait: " In Circumcisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus, aliter tamen quam in Baptismo. Nam in Baptismo confertur gratia ex virtute ipsius Baptismi quam habet, in quantum est instrumentum passionis Christi iam perfectæ; in Circumcisione autem conferebatur gratia non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat Circumcisio; ita scilicet quod homo qui accipiebat Circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. „ *Sum. th.* III, q. 70, a. 4. Quod speciatim de Circumcisione, idem generatim docuerat superius de omnibus veteribus Sacramentis, dicens: " Sacramenta V. L. erant quædam fidei protestationes, in quantum significabant passionem Christi et effectus eius. Sic ergo.... non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem; sed solum significabant fidem per quam (antiqui patres) iustificabantur. „ III, q. 62, a. 6.

ipsam materiam consecrant in *esse* sacramentale, et una cum materia immediate efficiunt sanctificationem hominis (1).

SCHOLION.

De natura gratiæ, quæ per Sacramenta confertur.

849. Omnia novæ legis Sacramenta conferre rite ea suscipientibus gratiam sanctificantem seu habitualem, ex demonstratis constat et de fide est. De hac autem gratia plura quæri possunt:

850. *Utrum gratia, ex opere operato Sacramentorum collata, sit specifice diversa ab ea, quæ extra Sacramenta ex opere operantis acquiri potest?* Respondemus, non esse in se et intrinsece diversam, sed esse unius eiusdemque speciei gratiam sanctificantem seu habitualem. Differentia aliqua adest extrinseca, quod gratia a Sacramentis collata specialem habet ordinem ad finem proprium singulorum Sacramentorum.

851. *Utrum gratia unius Sacramenti distinguatur ab ea aliorum?* Redit eadem responsio, nullam esse diversitatem specificam; attamen adest aliqua accidentalis differentia eaque duplex.

Una differentia est inter gratiam *primam* et *secundam*. Nam aliqua Sacramenta, i. e. Baptismus et Pœnitentia, *per se*, sunt instituta ad conferendam *primam iustificationem* seu ipsam vitam iis, qui spiritualiter mortui sunt, unde etiam Sacramenta *mortuorum* dicuntur. Alia vero, *per se*, instituta sunt ad conferendam *secundam iustificationem* seu ad augendam gratiæ vitam iam in subiecto presuppositam, unde Sacramenta *vivorum* dicuntur. Per *accidens* vero fit, quod Sacramenta mortuorum subinde conferant gratiam secundam et Sacramenta vivorum, saltem aliqua, conferre possint gratiam primam. Primum accidit, si suscipientes iam iustificati sint. Secundum si peccator in bona fide accedat et attritus; peccatum enim habituale invincibiliter ignoratum et generali attritione retractatum non est obex gratiæ. Ulterior demonstratio ad theologos morales.

(1) Verba, quibus conficitur sacramentum permanens SS. Eucharistiæ non *immediate*, sed *mediate* tantum significant et efficiunt sanctificationem hominis. Nam eorum significatio et efficacia immediata dirigitur ad rem aliquam transferendam vel transmutandam in sacramentum, quæ tamen translatio vel transmutatio est vera consecratio. Sacramentum autem, ita vi verborum constitutum, illud est, quod immediate significat et efficit sanctificationem hominis. Franzelin, th. IX, Cf. Bellarm. *De Sacr.* l. I, c. 19, 20; De Lugo, *De Sacr.* disp. II, sect. IV.

Altera differentia est respectiva ad *diversum finem* cuiusque Sacramenti. Certum est enim quodvis Sacramentum ordinari a Deo ad finem aliquem peculiarem; hinc etiam gratia in quolibet Sacramento confertur ordinata ad finem proprium illius Sacramenti. Ex quo ordine fit, quod homo, aliquo Sacramento sanctificatus, ius aliquod cum ipsa gratia connexum acquirit habendi suo tempore auxilia actualia abundantiora et intensiora ad operandum conformiter fini proprio ipsius Sacramenti.

Huc recidit ea gratia cuique Sacramento propria, quæ speciatim dicitur *gratia sacramentalis*. Gratia sacramentalis, ait S. Thomas, addit super gratiam communiter acceptam, quoddam auxilium speciale ad consequendum proprium finem uniuscuiusque Sacramenti (1). Ea itaque nihil aliud esse videtur quam ipsa gratia sanctificans collata per Sacramentum cum peculiari respectu seu *iure* ad auxilia actualia respondentia fini illius Sacramenti (2). Hinc ex fine datur intelligi gratia sacramentalis cuiusque Sacramenti. Etenim, pro diversitate finis, gratia sacramentalis est respectus et veluti *ius ad specialia auxilia* pro observanda christiana religione in Baptismo, pro fide fortiter et constanter profitenda in Confirmatione, pro exercendis caritatis actibus in Eucharistia, pro peccatis efficacius detestandis aliisque vitandis in Pœnitentia, pro spe erigenda in Extrema Unctione, pro devotione et zelo excitando in Ordine, pro fidelitate servanda in Matrimonio.

852. *Utrum gratia unius Sacramenti sit diversa a gratia alterius quoad quantitatem?* Fateri debemus id plane incertum esse; pendet enim a libera Dei voluntate et Christi, de qua nihil ex revelatione constat. Ad quæstionem solvendam nulla habetur sufficiens ratio Sacramentis ipsis intrinseca. Si enim e. g. pro Eucharistia militat præsentia ipsa Christi, pro Ordine militat maxima dignitas, ad quam elevatur suscipiens.

853. *Utrum gratia unius Sacramenti, vel a diversis vel pluries ab uno suscepti, sit quoad quantitatem diversa?* Communiter tenent Theologi, idem Sacramentum ex opere operato producere æqualem effectum gratiæ in subiecto æque disposito, meliorem vero in eo, qui melius sit dispositus. Quæ gratiæ æqualitas neque tollitur per diversam ministrorum bonitatem. Ita S. Thomas de Baptismo asserit quod scilicet « effectum

(1) *Sum. th.* III, 62, 2. Cfr. Caietanum in h. l.

(2) Sunt tamen Theologi, qui inducunt peculiares habitus distinctos a gratia sanctificante, qui, præter eam, per singula Sacramenta singulis diversis conferantur. Hos peculiares habitus dicunt gratiam specialiter *sacramentalem*.

æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter se habent ad Baptismum; unde, quia omnes pueri æqualiter se habent ad Baptismum, omnes æqualem effectum percipiunt...; adulti vero, quia non æqualiter se habent ad Baptismum, quidam enim cum maiori, quidam cum minori devotione ad Baptismum accedunt; et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt (1). » Tenendum est igitur tanquam principium: Sacramenta conferre gratiam suscipientibus adultis secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem (2). Nulla autem in illis foret gratia, in quibus necessaria dispositio omnino deesset.

Nec tamen dicas, dispositiones has aliquid addere efficientiæ Sacramentis ipsis. Nam dispositiones non aliud faciunt, quam aptare hominem, ut rite subiiciatur Sacramento; ad hoc autem requiritur, ut eos animi affectus ad Sacramentum deferat, quos ipsa Sacramenti susceptio per se demonstrat. Suscipere e. g. Baptismum iam est exercite protestari fidem et spem in Deum sanctificatorem nec non voluntatem abrenuntiandi peccato. Ergo ut homo vere se aptet Baptismo suscipiendo, debet iuxta rei veritatem eos affectus in animo habere. Secus susceptio esset *ficta* (3).

THESIS II.

Tria Sacramenta Baptismus, Confirmatio et Ordo, vi sua, characterem in anima imprimunt, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt.

854. Declaratio. — Thesis, prouti proponitur, de *fide* est ex Concilio Tridentino, sess. vii, can. 9: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile,*

(1) iii, q. 69, a. 8.

(2) Conc. Trident. Sess. vi, c. 7.

(3) S. Thomas iii, 69, a. 9. Duplex *fictio* esse potest in suscipiendo sacramento: alia, quæ *veritatem* Sacramenti, alia quæ solum *effectum gratiæ* excludit, prouti suscipiens voluntate sua vel contradicit ipsi Sacramento, nolens illud suscipere, vel contradicit solum effectui gratiæ. Iamvero, si quis Sacramenta cum hac secunda fictione, seu absque debitis dispositionibus, susceperit proindeque *valide* quidem, sed vel *indigne*, vel *inaniter;* is postea, ablato indispositionis obice, gratiam adhuc consequitur. De Baptismo Doctores omnes id defendunt cum S. Augustino et S. Thoma (ibid. a. 8) potissimum ob eam rationem, quod Sacramentum hoc iterari nequit; ideoque idipsum asseri debet,

unde ea iterari non possunt; a. s. Apparet sumi hic characterem generaliore hoc conceptu, quod sit *signum quoddam spirituale et indelebile.* Quod ulterius consistat in quadam *reali qualitate,* quæ a gratia distinguitur et animæ inhæret, et etiam sit *indelebilis pro futura vita,* id licet non de fide, *certum* est apud Theologos.

In thesi additur illud incisum, quod Sacramenta *vi sua* characterem imprimunt. Id monet, hæc tria Sacramenta esse causam characteris eodem modo, quo vidimus Sacramenta omnia esse causas gratiæ, scilicet *vi sua,* prouti instrumenta sunt Dei et Christi, seu *ex opere operato.* Imo et advertas, ad characteris impressionem neque requiri in suscipiente eas liberas dispositiones, quæ ad gratiæ effectum necessariæ sunt; sed sufficit quod Sacramentum valide recipiatur. Character enim est quædam physica consecratio per se independens ab animæ dispositionibus; dum gratia ex natura sua animam Deo gratam et amabilem reddit, id quod fieri nequit, stante ipsius animæ dispositione contraria.

855. Demonstratio. — I. Doctrina proposita, a quatuor saltem seculis ante innovationem protestanticam, inveniebatur in explicita professione et manifesta prædicatione ecclesiastica universali. Atqui huiusmodi consensio in aliquam doctrinam, quocumque tempore appareat universalis esse in Ecclesia, semper est nota præcipua et tutissima, quod ipsa doctrina sit apostolica. Ergo proposita doctrina de characteris existentia originis apostolicæ est habenda.

Maior huius syllogismi est historice evidens. Doctrina enim de Sacramentis characterem imprimentibus: 1° diu ante seculum XVI supponitur a Romanis Pontificibus (1), ut doctrina certa in Ecclesia, et definita præterea fuit in Conciliis Florentino et Tridentino; 2° inde a seculo XII habet pro se manifestum, constantem et plenissimum consensum omnium Scholæ Doctorum, qui hanc doctrinam proferunt veluti ecclesiasticam et catholicam. Licet enim disputatio in scholis ferveret de characteris natura vel etiam de modo, quo eius impressio probetur (an etiam ex Scripturis), eo tamen evidentior erat consensus de illius existentia (2). Iamvero certa res est, universitatem et consensum Ec-

communiter asseritur, etiam de Confirmatione et Ordine; imo id, ut probabile, concedi debet etiam de Extrema Unctione et Matrimonio; quippe illa, durante eadem infirmitate, istud eodem coniugio iterari non possunt. De Lugo, *De sacr.*, IX, sect. III.

(1) Cfr. Decretales Gregorii IX, L. I, t. 11, cap. 16; et Innocentii III, L. III, tit. 42, c. 3 *Maiores.*

(2) " Characterem in Sacramentis quibusdam imprimi omnes moderni confitentur, sed

clesiæ in aliquam doctrinam optime manifestari tum Conciliis universalibus et Pontificibus, tum consentientibus sententiis multorum et magnorum Doctorum.

Minor autem propositi argumenti continet certum principium, quod *theoretice* et *practice* semper fuit admissum in Ecclesia, et quod suo loco in tractatu de Traditione demonstratum est.

II. Sed ad abundantiorem dogmatis defensionem accedit continua series testificationis in Ecclesia universali usque ad ætatem apostolicam. Ut huc ascendamus, initium 1° sumimus a seculo V. Eo tempore doctrina hæc explicata fuit in controversia contra Donatistas. Contra eos ss. Patres non modo defendebant hæc tria Sacramenta, licet ab hæreticis collata, iterari non posse; sed rei afferebant rationem, quia scilicet hæc Sacramenta perpetuo hærent, etiam in fugitivis, in aliquo suo effectu, qui effectus est spirituale sigillum ad ontologicam hominis consecrationem, distinctam et independentem tum ab actione sacramentali, tum a gratia. Hæc porro est doctrina, quam nomine Ecclesiæ africanæ imo et nomine totius Ecclesiæ profert Augustinus.

Et revera S. Doctor *a)* perpetuo repetit quod illa tria Sacramenta *semper habentur, hærent, insunt, manent, semper sunt in homine,* etiam in hominibus malis et hæreticis. Specimînis gratia recitabo aliqua: *Sacramentum chrismatis.... in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus; sed potest esse et in hominibus pessimis.* Item de episcopis redentibus ex schismate ait, quod *sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra,* et quod *non eis ipsa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos* (1). Atqui evidenter ea verba non possunt intelligi de externa actione sacramentali, quæ fit et transit. Neque multo minus intelligi possunt de effectu gratiæ, qui, ipso Augustino fatente, nonnisi in bonis manere poterat. Ergo necesse est, quod illud *manens* et *hærens* sit aliquid distinctum tum a Sacramento, tum a gratia; sit scilicet aliquis alius realis indelebilis effectus Sacramenti visibilis, qui ideo dicitur et est *Sacramentum manens.* Verum *b)* hoc permanens et hærens in homine semel baptizato, confirmato, ordinato ipse Augustinus declarat, consistere in *ontologica aliqua hominis consecratione,* quæ deleri et amitti amplius non potest. Scribit enim: *Utrumque Sacramentum est* (Baptismus et Ordo),

in *modo* ponendi ipsum in anima partim differunt et partim conveniunt. „ S. Thomas *Dist.* 4, q. 1, a. 1.

(1) *Contra litt. Petil.* l. II, n. 239; *Contra epis. Parm.* l. II, n. 28.

et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in Catholica utrumque non licet iterari (1). Denique *c)* hoc ipsum manens, quod consecrat et obsignat initiatos, licet spirituale sit, tamen s. Doctor cum *signis corporeis* vel circumcisionis, vel monetæ regiæ, vel ovium, vel militum comparat; illudque præsertim propter analogiam cum charactere militum, appellat *characterem* regis et imperatoris Christi, quæ appellatio iamdiu usu ecclesiastico evasit in proprium nomen. Rei habes testimonia plurima eaque apertissima. Inter alia: *Quod accepisti approbo, quia foris accepisti improbo: tene ergo quod accepisti: non mutatur sed agnoscitur: character est regis mei, non ero sacrilegus: corrigo desertorem, non immuto characterem* (2).

Si 2° ascendamus ad seculum IV, eandem doctrinam a Patribus, etiam extra scopum polemicum, explicari invenimus. Illi enim *a)* inter alios effectus Baptismi et Chrismatis recensent quoque *signaculum sanctum, spirituale, divinum, insolubile, indelebile in æternum;* illudque *b)* conferunt cum signis corporeis, non secus ac fecit Augustinus, præsertim *cum charactere militum*, advertentes quod sit *signaculum spiritale in anima:* declarant *c)* huius signaculi munus esse, *ut per illud a Christo tanquam Domino agnoscamur; ut cognoscamur etiam quando desertores evadimus:* præterea, ut sit nobis tum ad defensionem *contra dæmones,* tum ad custodiam et *conservationem gratiæ.* Ita porro passim Basilius, Gregorius nazianzenus, Cyrillus hierosolim., Ephrem syrus, Epiphanius, Chrysostomus, et præclare Ambrosius: *Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem eius et gratiam tenere possimus, quod est utique spiritale signaculum; nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus Sanctus exprimat in nobis imaginis cœlestis effigiem* (3).

Iam 3° secundum hanc doctrinam intelligi debent expressiones, quæ etiam antecedentibus prioribus seculis, licet parcius, occurrunt, quæque vel Baptismum exhibent ut *sigillum impressum,* ut *sigillum infragile,* ut *signaculum in Christo muniens contra tentationes;* vel quæ Confirmationem vocant *sigillum doni Spiritus Sancti,* uti in forma chrismatis in Ecclesia græca. Hæc aliaque testimonia inveniuntur apud Cle-

(1) Ibid. n. 28. Cfr. Pallav. *Hist. Conc. Trid.* l. IX, c. 5.

(2) *Tract.* IV *in Ioan.* n. 16.

(3) S. Ambr. *de Sp. S.* l. I, n. 72 in illud *ad Eph.* I, 13 et II *ad Cor.* I, 21; Cfr. I. Damascenus, *de Fide orth.* l. IV, 9.

mentem romanum, in Constitutionibus apostolicis, in Actibus S. Theclæ, apud Tertullianum aliosque. Insignis locus pertinens ad sec. II est in Excerptis ex Theodoto apud Clementem alex. n. 86, ubi legimus: *Cum Domino numisma oblatum esset, non dixit: cuius est possessio sed cuius est imago et superscriptio? Cæsaris: ut cuius esset, illi redderetur. Sic et fidelis Dei nomen, per Christum, sibi superscriptum habet, Spiritum autem velut imaginem. Quandoquidem et muta animalia per signaculum ostendunt, cuius sit unumquodque, et ex signaculo vindicatur: sic et anima fidelis, quæ veritatis sigillum accepit, stigmata* (notas impressas) *Christi portat.*

III. Denique non desunt veritatis indicia etiam in *ss. Scripturis.* Paulus enim, in 2ª ad Corinthios c. I, 21-22, scribit: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo et qui unxit nos, Deus* (est): *qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (1). Porro hisce verbis evidenter respondet imprimis *phraseologia* Patrum, qui de tribus Sacramentis disserentes frequentissime verba adhibent *signaculi, sigilli, obsignationis.* Respondet deinde ipsorum Patrum *doctrina,* quæ ad tria capita reduci potest: characterem esse signum in nobis spirituale, distinctum tum a ritu externo tum a gratia; eo nos consecrari Deo; illudque manere indelebile. Iamvero hæc pariter indicantur a Paulo, qui primo *distinguit obsignationem* tum ab unctione externa ritus, tum a pignore Spiritus Sancti per gratiam inhabitantis; deinde indicat *consecrationem* ipsa appellatione *signi,* et clarius ad Ephesios c. IV, ubi dicit *nos signari in Spiritu Sancto;* tertio et exprimit signi *perpetuitatem,* ubi adhuc ad Ephesios c. IV, nos asserit signatos *in diem redemptionis,* scilicet ad diem redemptionis perfectæ, quæ erit in altera vita. Imo hisce verbis etiam illud celebratum a Patribus designatur, quod nempe character valet ad custodiam gratiæ, quæ redemptionis est fructus potissimus.

SCHOLION.

De ratione et natura characteris sacramentalis.

856. *Character est aliqua realis qualitas supernaturalis in anima.* Characterem *a)* non esse meram relationem rationis, prouti censebat

(1) Conferantur alia ad Eph. I, 13. *In quo* (verbo veritatis) *et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto*; et in c. IV, 30: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.*

Durandus, sed aliquid *reale*, adeo certum est apud Theologos, saltem post Concilium Tridentinum, ut *temerarium* foret id negare (1). Verum etiam Patrum effata de sigillo huiusmodi sacramentali, similitudines, quibus illud describunt, munera, quæ ei tribuunt, demonstrant characterem esse aliquid reale in anima. Si vero *b)* quæratur de nomine, quo hæc realitas superaddita exprimi possit, aptius est illud *qualitatis;* per characterem enim, si est quid reale, constituitur in anima aliqua modificatio, quæ de anima ipsa prædicanda foret si quæratur: *qualis* per characterem ea facta sit (2)? Deinde *c)* quum hæc modificatio, tum ratione causæ unde est tum ratione finis ad quem ordinatur, sit maxime supernaturalis, hinc ea dici debet qualitas *supernaturalis*. Est *d)* in anima, proindeque *spiritualis*.

857. *Per hanc supernaturalem animæ qualitatem fit consecratio quædam ad Christum regem, prophetam, sacerdotem.* Si enim quæratur distinctius, quid sit illa qualitas supernaturalis in anima; eam *a)* dicimus cum Augustino et aliis Patribus *consecrationem perpetuam ac indelebilem* a gratia distinctam, quæ ideo non sanctificat sed *dedicat* hominem ad *sacra,* seu ad cultum Dei in Ecclesia Christi, proindeque hominem obligat et obstringit ad Christum eiusque familiam (3). Cum autem *b)* in Christi familia adhuc militante triplex fidelium status distinguatur, *subditorum* simpliciter, *certantium* bonum certamen pro fide, et *ministrantium* in ministeriis redemptionis, et cum hi status respondeant tribus Iesu Christi muneribus *Regis, Prophetæ, Sacerdotis;* ideo fit quod, per triplicem characterem Baptismi, Confirmationis et Ordinis, triplex habeatur obligatio et consecratio sive *civium* ad Christum Regem, sive *militantium pro fide* ad Christum Prophetam seu Magistrum, sive *ministrorum* ad Christum Sacerdotem magnum.

858. *Hæc vero qualitas consecrativa fidelium constitit in reali assimilatione ad Christum, formaliter quatenus est summus Sacerdos.* Cum enim consecratio, quæ per characterem fit, sit obiectiva et realis; tum

(1) Concilium enim, sess. VII, can. 9, characterem vocat *signum* et quidem *spirituale* et *indelebile* animæque *impressum;* quæ prædicata de mera relatione vel denominatione externa valde improprie affirmantur.

(2) Quoniam character imprimitur, ideo dici nequit *relatio*, uti Scotus vellet; sed potius pertinet ad genus *qualitatis*, quæ est *accidens modificativum substantiæ in se ipsa.* Cum autem species qualitatis spiritualis non sint nisi duæ, seu: *potentia*, quæ dat posse aliquid simpliciter, et *habitus* seu dispositio, quæ dat illud posse vel bene vel male; tum character, qui ordinatur ad aliquid simpliciter, pertinet ad potentiam, est scilicet *qualitas potestativa.* S. Thomas III, 63, 2; Cfr. in 4 *Dist.* 4, q. 1, a. 1.

(3) S. Thomas, *Sum. theol.* III, 63, 3 ad 2.

quæritur in quo ontologice consistat. Dicimus cum Patribus eam consistere *a)* in reali affinitate, conformatione, assimilatione ad Christum, qua ad ipsum, sicuti ad Dominum nostrum, pertinere monstramur. Ita porro Basilius, Nazianzenus, Cyrillus, Ambrosius, Chrysostomus. Rem vero explicat S. Thomas: Character « secundum propriam rationem characteris... est signum configurativum alicui principali, apud quem residet auctoritas eius, ad quod aliquis deputatur; sicut milites, qui deputantur ad pugnam insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei configurantur. Et hoc modo, illi qui deputantur ad cultum christianum, cuius auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurantur » (1). Ad cultum autem christianum homines deputantur tripliciter: *active* quidem per Ordinem, quo accipiunt potestatem tradendi sacra; *passive* per Baptismum quo, ianuam Ecclesiæ ingressi, potestatem acquirunt recipiendi sacra; adhuc quidem passive per Confirmationem, sed cum aliqua *speciali deputatione* pugnandi pro fidei defensione. Hinc per tria hæc Sacramenta homines triplicem characterem accipiunt eos tripliciter configurantem ad Christum. Ex qua Angelici Doctoris ratione intelligimus etiam, *b)* specialem respectum, sub quo Christus characteris similitudine repræsentatur, esse eius sacerdotalem dignitatem. Ut enim S. Thomæ argumentationem prosequamur, auctoritas cultus christiani, ad quem fideles per tria illa Sacramenta sive passive sive active deputantur, est auctoritas sacerdotalis, quæ tota residet, veluti in fonte, in Iesu Christo Summo Sacerdote. Et ideo character est quædam assimilatio ad Christum, formaliter quatenus est Summus Sacerdos; in quo præcipuo munere etiam cetera munera Capitis Ecclesiæ et Magistri quodammodo comprehenduntur. Hinc Sanctus Thomas: « Totus ritus christianæ religionis derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est, quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quædam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatæ » gradu tamen diverso pro diversis characteribus (2).

(1) *Sum. theol.* III, 63, 3 ad 2.

(2) S. Thomas, ibid. III, 63, 3 in corpore. Articulo insequenti etiam ostendit, characterem imprimi non in essentia sed in potentia animæ et quidem in potentia cognoscitiva. Imprimitur in *potentia*, quia character ordinat hominem ad divinum cultum, cultus autem in actibus consistit, ad actus autem proprie ordinantur potentiæ, sicut essentia ordinatur ad esse. Imprimitur in potentia *cognoscitiva*, quia cultus est quædam fidei protestatio per exteriora signa, fides autem proprie est in cognoscitiva potentia animæ.

Quæ tota doctrina sic paucis resumitur. In Sacerdotio Christi tria notari possunt: Christus, inter Deum et homines positus Sacerdos, primo hinc et inde omnia sacra recipit; secundo eadem sacra testatur et manifestat hominibus; eaque tertio plena auctoritate omnibus abundanter elargitur. Triplex hæc potestas recipiendi, testandi, dispensandi sacra, per tria Baptismi, Chrismatis et Ordinis sacramenta triplici charactere expressa, in homines a Christo derivatur (1).

859. *Character respectum habet etiam ad gratiam.* Ex sua essentiali ratione character dat solum *posse exercere valide* vel saltem *ex officio* actiones sacras, quæ sunt ministrationes et receptiones Sacramentorum aliorumque ad fideles pertinentium. Hinc per se character non est donum sanctificans. Attamen, quia sacræ illæ actiones idonee non fiunt sine auxilio gratiæ; hinc divina largitas characterem recipientibus largitur quoque gratiam ad digne implenda ea cultus munia, ad quæ deputantur. Ceterum ex doctrina Patrum satis clare colligitur, characterem in anima impressum congruam relationem habere ad obtinenda adiutoria interna, ad custodiam specialem bonorum Angelorum et ad arcendas tentationes dæmonum. Imo Patres, ante controversiam cum Donatistis, in qua clarior distinctio characteris et gratiæ necessaria evasit, characterem plerumque considerant in actuali coniunctione cum gratia, unde solent dicere: *Obsignatos nos esse ad futuram hæreditatem, obsignatos ut simus filii Dei,* aut *ne simus coniuncti cum filiis iræ.* Porro, pro beneplacito Dei, character nunquam a gratia deberet esse seiunctus. Hinc character vocatur a Theologis *res et sacramentum,* quippe qui tum a visibili sacramento efficitur, tum simul significat gratiam sanctificantem (2).

(1) Exinde etiam datur intelligi, quod Christo non competit habere characterem, quia potestas eius sacerdotii plena et perfecta excludit omnem rationem participationis et derivationis, quæ in charactere sacramentali necessario est.

(2) Solent Veteres DD. in Sacramentis N. L. tria distinguere " aliquid scilicet, quod est *Sacramentum tantum;* aliquid quod est *res et Sacramentum,* aliquid vero quod est *res tantum* (S. Th. III, 66, a. 1). Sacramentum tantum est ipsum exterius *signum,* quod significat et non significatur. Res tantum est ultimus effectus seu *gratia,* quæ significatur et non significat. Res et Sacramentum est aliquid *intermedium* quod significatur et significat, uti est character qui immediate significatur per Sacramentum externum, cum quo infallibiliter connectitur et qui proinde etiam significat ultimum ipsius sacramenti effectum, qui est gratia. Hoc intermedium (res et sacramentum) in Eucharistia est corpus Christi præsens, a speciebus significatum et significans gratiam reficientem animas; in Matrimonio est vinculum a contractu expressum et postulans gratiam. In Pœnitentia et Extrema Unctione hoc intermedium esse videtur titulus quidam in subiecto positus vi sacramentalis absolutionis vel deprecationis ad hoc, ut obtineat gratiam remissivam peccatorum vel alleviatricem infirmi.

860. *Character denique perpetuo manet.* Et quidem non modo pro hac vita, id quod est definitum, sed etiam post hanc vitam in bonis ad eorum gloriam et in malis ad confusionem. Sententia hæc est in Ecclesia universaliter recepta, eaque Patrum et Conciliorum locutionibus omnino conformis. Perpetuitatem characteris S. Thomas deducit ex perpetuitate sacerdotii Christi, cuius est quædam participatio simulque ex perpetuitate et incorruptibilitate intellectus, in quo character residet (1).

CAPUT III.

DE CAUSA EFFICIENTE SACRAMENTORUM.

861. Causa efficiens Sacramentorum N. L. tota in Christo comprehendi potest, a quo auctore integrum sacramentum omnino pendere, ipsius præstituta definitio asseruit.

Christus autem est auctor Sacramentorum tum ut Deus, tum ut homo, aliter tamen et aliter. Ut Deus auctor est Sacramentorum ea potestate principali et omnino independente, quam dicunt *auctoritatis;* ut homo auctor est altera potestate instrumentali quidem sed instrumenti ipsi principali agenti seu Deo coniuncti, quæ potestas dicitur *excellentiæ.*

862. De prima potestate nulla controversia esse potest. Nam sine probatione constat, eam solius Dei esse propriam, proindeque et propriam esse ipsius Christi, secundum quod est cum Patre et Spiritu Sancto unus verus Deus. Ratio est evidens. Nam solus Deus potest sua propria virtute sive causare gratiam, quæ est quædam deificatio omnem naturam creatam excedens, sive ingredi substantiam spiritualem animæ ad imprimendum characterem, et consequenter Ipse solus ex sua auctoritate potest huiusmodi interiorem et spiritualem effectum infallibiliter coniungere cum signis sensibilibus.

863. Tota disputatio sit itaque de potestate excellentiæ. Duo autem prænotamus: quare hæc potestas excellentiæ Christo competat in quantum homo est; et in quo præcisius ea consistat.

Ratio primi est, quia sacrosancta Christi humanitas, ob suam intimam et personalem unionem cum Verbo, inde plures easque summas prærogativas recipit, quas inter est summa quædam potestas in rebus omnibus et præsertim in iis, quæ spectant ad finem Incarnationis seu ad salutem

(1) III, 63, a. 5.

hominum eiusque media, qualia nominatim sunt Sacramenta. Quæ Christi hominis in Sacramentis potestas est quidem instrumentalis, quia derivata a Deo, cuius sacrosancta humanitas est veluti instrumentum. Sed quoniam est instrumentum ipsi Deo in persona coniunctum, ideo necesse est ut illa Christi hominis instrumentalis potestas excellentiam quandam seu principalitatem obtineat respectu omnium extrinsecorum instrumentorum, qualia sunt Ecclesia et ministri eius. Hæc autem potestas excellentiæ in sua plena perfectione ita propria est Christi, ut si eam voluisset aliis puris creaturis communicare, Ipse tamen semper remansisset auctor Sacramentorum principaliter, alii secundario. Verum propter Ecclesiæ utilitatem Christus totam suam excellentiæ potestatem ita integre sibi reservavit, ut Sacramenta a Christo auctore totaliter penderent et nonnisi ab eo (1).

In quo autem consistat huiusmodi potestas excellentiæ explicat S. Thomas dicens, quod ea « consistit in quatuor: *primo* quidem in hoc quod meritum et virtus passionis eius operatur in Sacramentis, ut supra dictum est (quest. LXII, art. 5). Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem, secundum illud Rom. III, 25: *quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius;* quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur, ideo *secundo* ad potestatem excellentiæ, quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod in eius nomine Sacramenta sanctificentur. Et quia ex eius institutione Sacramenta virtutem obtinent, inde est quod *tertio* ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere Sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso, ideo *quarto* ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ipse potuit effectum Sacramentorum sine exteriori Sacramento conferre (2). » Quæ porro doctrina paucis huic reducitur, quod sacramentalis potestas excellentiæ propria Christi hominis in eo consistit, quod a Christo omnia Sacramenta N. L. dependeant *institutione, administratione, virtute;* Ipse autem a Sacramentis *nullatenus* pendeat.

864. Iamvero si hoc ultimum, quod negativum est, transmittamus, remanet ut dicamus de aliis tribus, in quibus excellens Christi potestas positive consistit. Idque præstabimus tribus distinctis articulis.

(1) S. Thomas, III, 64, a. 4.
(2) Q. LXIV, a. 3.

Art. I.

OMNIA SACRAMENTA N. L. A CHRISTO PENDENT INSTITUTIONE.

865. Ante concilium Tridentinum non defuerunt Theologi, qui aliqua Sacramenta, nominatim Extremam Unctionem et Confirmationem, instituta fuisse assererent ab Apostolis vel post Apostolos ab Ecclesia, dictante quidem Spiritu Sancto. Ita de Extrema Unctione docuisse videntur Hugo a S. Victore et Petrus Lombardus; ita de Confirmatione Alexander Alensis; ita de utraque S. Bonaventura qui expresse posuit, Extremam Unctionem per Apostolos, Confirmationem post Apostolos per Ecclesiam Spiritum Sanctum instituisse (1).

Postquam vero illud Concilium definivit Sacramenta N. L. fuisse *omnia a Iesu Christo Domino Nostro instituta*, nullus catholicorum Theologorum ausus est asserere aliquod Sacramentum ex integro post Christum fuisse institutum, sed omnes fatentur omnia Sacramenta fuisse *immediate* a Christo instituta. Attamen restrictio duplex adhuc fieri solet: alia circa certitudinem, qua hæc immediata institutio teneri debeat, quam certitudinem communiter Theologi dicunt esse firmam, sed non de fide; alia restrictio est circa determinationem, quam Divinus Institutor fecerit materiæ et formæ cuiusque Sacramenti; quam determinationem aliqui Theologi asserunt fuisse satis latam et generalem saltem pro aliquibus Sacramentis, uti sunt Extrema Unctio, Confirmatio, Ordo ipse.

866. Quid in hac re tenendum sit, ex insequenti thesi et adiecto corollario patebit.

THESIS III.

Omnia et singula N. L. Sacramenta Christus Dominus immediate, per se ipsum, instituit.

867. Declaratio. — Dicitur, *Christum instituisse Sacramenta:* sed instituere potuisset sive *mediate* auctoritate Apostolis vel Ecclesiæ concessa, sive *immediate* per se ipsum, dum visibiliter versabatur in terris.

(1) De Augustinis, *De re Sacram.*, p. 133.

Si ab institutione sive immediata sive mediata præscindatur, thesis est sine dubio *de fide*, et ad *minimum* hoc sensu expressa etiam Concilii Tridentini definitio sub anathemate damnat: *si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta* (1). Hoc autem sensu propositio accepta non indiget demonstratione, quia nemo unquam dubitavit quin saltem mediate Sacramenta sint a Christo, a quo totus cultus christianus dependet. Hinc institutionem immediatam demonstrandam assumimus, quæ post illum canonem tridentinum est *proxima fidei*, imo iuxta multos de fide, quod tamen negant alii.

868. Demonstratio. — I. Id exigit imprimis *sensus ipse legitimus definitionis tridentinæ*. Etenim in ea definitione *a)* particula *immediate* subintelligi debet. Est enim in communi modo loquendi, ut per institutorem is proprie designetur, qui per se ipsum immediate instituit vel ordinat quidpiam. Hinc solent in Ecclesia omnia universalia instituta in tres ordines distingui, ut alia dicantur *Dominica* seu Christi, alia *Apostolica*, alia *Ecclesiastica;* non sane quia non proveniant omnia, saltem auctoritate delegata, a Christo, sed tantum quia in usu est, ut instituta Christi ea sola dicantur, quæ ipse immediate instituit. Si ergo Tridentinum Sacramenta dicit instituta a Christo, dum econtra alias omnes cœremonias vocat ecclesiasticas, ratio est, quia illa sunt a Christo immediate. Accedit *b)* quod idem concilium definit, Extremam Unctionem « esse vere et proprie Sacramentum a Christo D. N. *institutum* et a B. Iacobo Apostolo *promulgatum:* » qua distinctione eo ipso Iacobus negatur esse *institutor*, quod eiusdem institutionis solum *promulgator* esse dicitur (2). Et tamen ad hoc Sacramentum fere unum tota recidit quæstio de immediata institutione.

II. Eodem fere modo intelligi debent Patres cum aiunt, Sacramenta esse instituta a Christo, vel Christum esse auctorem Sacramentorum. Ceterum in tota antiquitate altum est silentium de Sacramenti alicuius vel per Ecclesiam, vel per Apostolos institutione. Imo et disertius Patres declarant, Sacramenta nullo sensu posse dici Apostolorum, sed omnino esse Sacramenta Christi, unde et dicunt: *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Christus Iesus? De cœlo ista Sacramenta venerunt* (3).

(1) Sess. vii, can. 1. Cfr. sess. xiv, *De pœn.*, can. 1.
(2) Conc. Trid., Sess. xiv, can. 1.
(3) Vulgatus Ambrosius, *De Sacramentis*, l. IV, c. iv.

III. In ipsis Scripturis certa inveniuntur veritatis indicia. Imprimis *a)* nullum est ex Sacramentis septem, cuius expressa in Scripturis mentio non fiat, prouti suo loco videbimus (1). Ergo nullum post Apostolorum ætatem institutum ab Ecclesia dici potest. Sed *b)* neque ab ipsis Apostolis; nam ipsi profitentur, se ministros dumtaxat esse ac dispensatores mysteriorum Dei, nusquam auctores; unde et quærunt: *Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri eius cui credidistis* (2). Nominatim autem *c)* saltem præcipuorum Sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ et Eucharistiæ solemnis institutio per ipsum Iesum Christum diserte describitur in Scripturis: ergo, secundum analogiam, idem institutionis modus colligi debet quoad alia omnia Sacramenta, nisi alius modus, sive a Traditione sive ab intrinseca rerum ratione constet.

IV. Sed econtra ratio rerum intrinseca suadet immediatam Christi institutionem. Etenim ex una parte Sacramenta, naturâ suâ, pertinent ad fundamenta essentialia Ecclesiæ, sive tanquam media socialis unionis, sive tanquam ritus sacri cultus, sive tanquam instrumenta gratiæ; ex altera vero parte Iesus Christus, ut legislator absolutus, summus sacerdos et causa meritoria omnis gratiæ, voluit ipse per se immediate, dum visibilis erat in terris, suam fundare Ecclesiam in iis saltem omnibus, quæ essentialiter pertinent ad eius fundamenta. Quæ ratio innuitur a S. Thoma, qui et aliam adiungit scilicet « propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent et ne essent diversa Sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur, sicut apud illos qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ,* sicut dicitur I ad Cor. I, 12 » (3).

(1) 1. *Euntes docete.... baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (Matth. XXVI). 2. *Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum* (Act. VIII, 1). 3. *Hoc est corpus meum* (Matth. XXVIII). 4. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. XX, 23). 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum ungentes cum oleo in nomine Domini* (Iac. V, 14). 6. *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. XXVI); 7. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (Eph. V).

(2) I ad Cor. IV, 1; III, 4, 5.

(3) III, 64, a. 2 ad 3 et a. 4 ad 1. Cfr. Augustinus, *Tract. 5 in Ioan.*, n. 7.

COROLLARIUM.

Divinus Institutor materiam et formam Sacramenti ipse determinavit.

869. Ratio est evidens. Qui enim Sacramentum instituit, is debuit etiam determinare partes ex quibus Sacramentum constat. Nihilominus facile intelligitur, tum materiam tum formam potuisse sive determinari strictius sive laxius i. e. vel *in genere*, vel *in specie*. In *genere*, si Christus statuit tantum esse eligendum signum idoneum, electionem autem Ecclesiæ permisit; in *specie*, si ipse Christus signum ex multis selegit et voluit perpetuo servandum. Signum *idem manere*, vel *specifice mutari* iudicari debet non stricto modo, sed secundum moralem hominum æstimationem.

Christum hanc determinationem saltem in *genere* fecisse, concedunt omnes. An etiam in *specie?* Pro Baptismo et Eucharistia indubium est; pro aliis Sacramentis controvertitur; et quidem fatemur necesse non fuisse, ut hæc determinatio in *ultima specie* tum materiæ tum formæ ab ipso Christo fieret, ut is maneret immediatus Institutor. Attamen plures Theologi affirmant, Christum etiam ultimam speciem signi sacramentalis per se constituisse, idque probant tum ex facto, quod nullum invenitur documentum vel historicum indicium huius determinationis ab Ecclesia peractæ, tum ex eo, quod ipsa Ecclesia protestatur, se nullam potestatem habere circa substantiam Sacramentorum (1). Probabile tamen videtur, quod etiam de substantia aliquorum Sacramentorum aliquid Apostoli, dictante Spiritu Sancto ideoque immutabiliter, statuerint. Ita fortasse accidit quoad diaconatum, et quoad unctionem chrismatis, quæ Confirmationis ritui addita fuerit.

In praxi, dum ex Scripturis et præsertim ex usu Ecclesiæ constat, quid *certo sufficiat* ut integra servetur materia et forma; non pari securitate constat quid *certo non sufficiat*. Ita e. g. constat, certo sufficere ad materiam Eucharistiæ panem triticeum sive azymum sive fermentatum, sed non æque constat, utrum panis ex nonnullis aliis speciebus granorum certo non sufficiat (2).

(1) Conc. Trid., sess. XXI, c. 2.
(2) Franzelin, thes. V.

Art. II.

SACRAMENTA OMNIA N. L. A CHRISTO PENDENT ADMINISTRATIONE.

870. Satis non fuit quod Sacramenta instituta sint, sed omnino requiritur, quod deinceps pro opportunitate et necessitate rite conficiantur et singulis hominibus conferantur: id, quod dicitur ipsius Sacramenti *administratio*. Succurrit itaque quæstio, ad quem Sacramentorum administratio pertineat.

871. Sicut institutio, ita et administratio Sacramenti ad Christum pertinet. Christus adhuc est qui baptizat et confirmat et absolvit et consecrat, iuxta illud Ioannis Baptistæ: *Hic*, seu Christus, *est qui baptizat in Spiritu Sancto* (Io. I, 33), et sicut explicat Augustinus: « Hic (Christus) est qui baptizat in Spiritu Sancto, nec sicut Petilianus dicit, iam baptizare cessavit, sed adhuc id agit, non ministerio corporis, sed invisibili opere maiestatis » (1).

872. Verum Sacramenta visibilia sunt, et egent ut administrentur visibiliter et a visibilibus ministris; Christus autem iam nobis invisibilis manet. Quomodo itaque res conciliatur? Distinguendo inter ministrum *principalem* et *secundarios*. Christus sicuti est suorum Sacramentorum institutor, ita est minister principalis, qui, ut ait S. Thomas, obtinet *potestatem ministerii principalis*. Ecclesia autem et in Ecclesia dependenter ab ea alii sunt ministri *secundarii*, quibus ipse Christus communicavit potestatem visibiliter dispensandi sua Sacramenta, qui tamen ita a Christo in ipsa hac dispensatione dependeant, ut nonnisi *pro eo legatione fungantur*. Ita in Sacramentis administrandis Ecclesia eiusve minister personam gerit ipsius Christi, eius nomine agens, eiusque utitur *sermone*, non solum quatenus hic *olim* a Christo fuerit prolatus, sed quatenus *nunc*, cum fit sacramentum, ipse Christus eum sermonem per suum ministrum repetit.

873. Id autem nec intelligi nec probari debet solum ex natura generatim ministerii ecclesiastici pro Christo legatione fungentis, sed ex speciali natura ministerii huius sacramentalis. Revera *a)* in Sacramentis ipse ritus, materia scilicet adhibenda, verba pronuncianda, modus tenendus, omnia ex Christi præscripto ita poni debent, ut actio ministri, nullatenus eius arbitrio permissa, potius Christi quam ipsius ministri esse appareat. Item *b)* effectus huius ministerialis actionis ab ingenio, studio,

(1) *Contra litt. Petil.*, l. III, c. XLIX, n. 59.

merito ministri nullimode pendet, sicut econtra a ministri doctrina et prudentia multipliciter pendent alia docendi et regendi ministeria (1). Res *c)* evidentissime patet in Eucharistia, quam minister, in ipsa persona Christi loquendo, consecrat. Ex hoc Sacramento Sacramentorum, tanquam ab exemplari, eadem functio et actio nomine Christi etiam in aliis Sacramentis intelligi debet, licet minus perspicue appareat. Idipsum *d)* congruit cum æterna permanentia unius Magni Sacerdotis I. Christi. Dum enim in V. T. multi constituti sunt sacerdotes, veluti si suo quisque nomine sacerdos esset, in Novo Testamento unus manet Sacerdos in æternum Iesus Christus, qui etsi nunc non videtur offerre et sanctificare, adhuc tamen in terris Ipse offerre et sanctificare manifestatur in suis ministris, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offerunt et sacramenta, quæ conferunt (2). Demum tota hæc doctrina *e)* explicatur a S. Thoma ubi repetit, in conficiendis Sacramentis ministros aliud non esse, quam instrumenta, quæ non tam agant quam agantur a Christo, qui ideo plenissimo sensu manet *Minister principalis,* a quo ministri secundarii pendent et moventur ut *ministri instrumentales.*

Hinc verum remanet quod, cum ministri secundarii baptizant vel consecrant vel absolvunt, revera non ipsi id faciunt, sed Christus, iuxta illud Augustini: « Petrus baptizet, hic (Christus) est qui baptizat; Paulus baptizet, hic est qui baptizat; Iudas baptizet, hic est qui baptizat (3).

874. Hæc porro, in quæstione de administratione Sacramentorum, est veritas fundamentalis, eamque Patres, præsertim Augustinus, multipliciter declararunt in controversia contra Donatistas. Ex hac enim veritate duo consequuntur, quæ totam illam quæstionem declarant et solvunt. Primum est, quod si Christus est qui suum Sacramentum conficit et administrat, iam eius valor totus a Christo auctore, non vero a fide et probitate ministri pendere debet. Aliud est, quod si minister in administrando Sacramento non aliud agit, quam repræsentare Christum

(1) " Invenimus dictum ab Apostolis.... et *ministerium meum* et *evangelium meum*, quamvis utique a Domino impertitum et donatum: *baptismus* autem *meus*, nemo dixit eorum omnino. Neque enim... ministrant (e. g. regendo) omnes æqualiter, nec æquali prudentia sunt omnes præditi et in evangelizando alius alio melius operatur.... alius alio doctior in ipsa doctrina salutari; alius autem alio melius baptizatus dici non potest sive ab inferiore sive a maiore baptizatur „ (et ideo baptismus non est Cephæ vel Pauli vel Apollo, sed Christi solius). Ita S. Augustinus, *De Bapt.*, l. V, n. 14, 15.

(2) S. Ambrosius, *Enarr. in Ps. 38*, n. 25.

(3) In *Io.*, tract. VI, n. 7. Cfr. S. Ambr., ep. 63, n. 38.

ministrum principalem; iam necesse est, ut huic principali agenti minister ipse secundarius, ut *instrumentum, se subiiciat;* ut scilicet intendat facere quod facit Christus, seu quod facit Ecclesia (1).

875. Hæc duo evidenter sequi et demonstrari ex illa præstituta fundamentali veritate, distinctius apparebit ex duabus insequentibus thesibus.

THESIS IV.

Ad valorem Sacramenti neque sanctitas neque fides in ministro requiritur.

876. Declaratio. — Thesis ponit contra Donatistas aliosque hæreticos, ad valorem Sacramenti neque statum gratiæ neque ipsam fidem in ministro requiri. Dicitur ad *valorem,* quia ad *liceitatem* administrationis quod attinet, est sane secundum dignitatem Sacramenti, ut minister sit non modo fidelis, sed etiam in statu gratiæ. Quod asserimus, *de fide* est, pluries definitum et etiam in Concilio Tridentino, sess. 7, can. 12 et nominatim pro Baptismo can. 4.

877. Demonstratio. — Ratio requirendi in ministro fidem, communionem ecclesiasticam, statum gratiæ, ut valide conferre possit Sacramenta, repetenda foret vel ex natura intrinseca Sacramentorum, quatenus hæc aliquo modo suam efficaciam derivarent ex merito dispensantis; vel ex natura potestatis ministerialis, quatenus minister, ipsa sua virtute, naturaliter influeret in effectum Sacramenti; vel denique a voluntate Institutoris, qui de facto voluerit exigere tanquam conditionem ad validitatem Sacramenti fidem et probitatem ministri. Atqui certo constat, Sacramenta suam efficaciam nullatenus habere a merito ministri; ministrum nulla sua virtute propria per se influere in effectum Sacramenti; Christum autem valorem Sacramenti non alligasse, tanquam conditioni, meritis personalibus ministri. Ergo certo omnino constat, ad validam Sacramentorum administrationem neque fidem, neque ecclesiasticam communionem, neque statum gratiæ in ministro requiri.

Probatur *minor* per partes, et 1° Sacramenta, ex sua natura, efficaciam nullatenus habere a merito ministri. In disputationibus enim adversus rebaptizantes a III ad V seculum, principii instar, ratum erat

(1) S. Thomas, III, 64, 8 ad 1.

apud catholicos: *Sacramenta non esse ministrorum sed Christi;* sanctitatem scilicet et virtutem Sacramentorum totam esse ex meritis Christi et divina institutione, dispensatoremque ipsum principalem esse Christum. Consequenter Sacramentum, sive a bono sive a malo ministro dispensetur, idem manet in sua sanctitate et virtute (1). Id iam continetur demonstratum in iis, quæ diximus de efficientia Sacramentorum non ex opere operantis sed ex opere operato, et sequitur ex præstituta veritate: Sacramenta *ab ipso Christo administrari* ita, ut sint moraliter actiones ipsius Christi et non cuiuscumque secundarii ministri.

Item 2° minister nulla virtute sua propria influit in effectum Sacramenti. Sane ministri et ipsi aliquo modo influunt in effectum Sacramenti eo ipso, quod sunt causæ Sacramenti; causa enim causæ est causa causati. Attamen eatenus influunt in effectum, quatenus ponunt actionem ipsam sacramentalem, ex qua proprie ille effectus sequitur. Atqui actionem sacramentalem ponunt ad instar instrumentorum, et consequenter non propria virtute sed virtute causæ principalis. Ergo si quæ virtus ex Sacramento in effectum exeritur, ea non est ministri sed tota est causæ principalis. Aliis verbis: ministri influunt in effectum Sacramenti non alio influxu, nisi quatenus legatione pro Christo fungentes vicaria potestate ponunt actionem sacramentalem; quæ ideo ex Christo, non ex ministro, virtutem habet producendi gratiam et alios effectus. Hæc ratio tota eo reducitur, quod minister sit *merum instrumentum;* eamque Patres multiplici illustrant similitudine, uti canalis qui licet lapideus aquam ad irrigandum deducit, uti sigilli, quod licet ferreum regis imaginem imprimit, uti manuum, quæ licet sordidæ bonum semen ad fructificandum serere possunt (2).

Fatemur tamen quod Christus potuisset, si voluisset, meritis ministri sive fidei sive probitatis, veluti necessariis conditionibus, alligare valorem Sacramenti. Hinc cardo quæstionis in eo vertitur, quod 3° loco in minore propositione ponebatur, nempe talem non fuisse voluntatem Christi. Id autem nobis constare nequit nisi ex doctrina apostolica; et revera constat evidentissime. Traditionem enim illam, quod valor Sacramentorum est independens a fide et probitate ministri, manifestam reddunt tum universalis et tranquilla consuetudo omnium Ecclesiarum usque ad Agrippini tempora; tum reclamatio Pontificis Romani Stephani et sub ipso aliorum pastorum, quando propagari cœpit doctrina de nul-

(1) S. August., in *Io.*, tract. 5, n. 6, 18.

(2) Cfr. omnino S. Thomas, III, 9, 64, a. 5 et ibid. ad 2.

litate Sacramenti ab hæreticis collati; tum denique istantior prædicatio et solemnes Conciliorum definitiones, postquam ex ipsa inquisitione res erat ad liquidum deducta. Porro de illa veteri *consuetudine* aiebat Augustinus: *Nondum erat diligenter illa Baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis et hæreticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est.... Quam consuetudinem credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum* (apostolorum) *neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis* (apostolis) *tradita et commendata creduntur. Hanc ergo consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum dicit S. Cyprianus quasi cœpisse corrigi; sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationum fluctus ad plenarii concilii confirmationem perducta est, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi* (1). Deinde, quæ fuerit *reclamatio* Pastorum contra illam rebaptizantium novitatem, ita describit Vincentius lirinensis: *Cum undique ad novitatem rei cuncti reclamarent atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc bonæ memoriæ P. Stephanus Apostolicæ Sedis antistes cum ceteris quidem collegis suis sed tamen præ ceteris restitit, dignum, ut opinor, existimans si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in epistola, quæ tunc ad Africam missa est, idem his verbis sanxit: nihil novandum, nisi quod traditum est* (2). Instantior denique veritatis *prædicatio* facta fuit ab Augustino et S. Hieronymo aliisque Patribus et præsertim in Conciliis, e quibus Arelatense I an. 314, Nicænum I, Constantinopolitanum I an. 381, Arelatense II an. 452, Constantiense contra Wicleffum, ac demum Tridentinum. Etsi vero plerumque in hac controversia ageretur tantum de non necessitate fidei in ministro, idque præsertim pro Baptismo, eadem ratio a fortiori currit etiam ad probandum, non esse necessariam probitatem in ministro et quidem relate ad omnia Sacramenta. Attamen de sacramento Pœnitentiæ est notandum, quod irritum esse potest, non ob fidei vel sanctitatis defectum, sed ratione iurisdictionis, quæ in hæreticis et pravis ministris forte deesset.

(1) S. August., *Bapt.*, l. II, n. 12, et alibi sæpe.
(2) *Commonit.*, c. IX.

THESIS V.

Ad valorem Sacramenti requiritur in ministro intentio, saltem generalis, faciendi quod facit Ecclesia.

878. Declaratio. — *Intentio* in genere est voluntatis *deliberata* tendentia in aliquid sive faciendum sive omittendum; unde in amente, dormiente, ebrio, quia deest deliberatio voluntatis, nulla datur intentio. In casu nostro intentio faciendi quod facit Ecclesia, est tendentia deliberata voluntatis ad illum ritum ponendum, quem ponit Ecclesia. Intentio hæc est *specialis,* si est directa ad aliquod obiectum speciale, ut si quis intendat speciatim producere non modo Sacramentum sed etiam *effectum* Sacramenti, vel intendat celebrare ritum, *etiam sua fide, sacrum,* aut facere id quod facit nominatim Ecclesia *Romana.* Si econtra quis tantum *generatim* vel *in confuso* intendat facere quod facit Ecclesia, tum eius intentio dicitur *generalis.* Iamvero licet melior sit illa specialis, tamen dicimus, ad validitatem Sacramentorum necessariam esse tantum hanc generalem.

Hoc sensu accepta propositio *de fide* est ex Conc. Tridentino ita definiente: *Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; a. s.* (1).

879. Demonstratio. — I. Sacramentum, iuxta præsentem saltem institutionem, non est solum ipsa actio materialis quomodocumque posita, sed est ipsa actio quatenus ponitur *ministerialiter* nomine Christi. Ex Scripturis enim et Traditione sine demonstratione constat, Christum non modo instituisse Sacramenta, veluti res de se efficaces, quocumque modo fierent, sed insuper constituisse in hominibus veram potestatem ministerialem efficiendi Sacramentales actiones, et per has remittendi nomine Christi peccata et sanctificandi suscipientes Sacramenta. Huc recidunt illa verba Christi ad Apostolos eorundemque successores: *Data est mihi omnis potestas.... euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos* (2); et illa: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.... accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remit-*

(1) Sess. vii, can. 11.
(2) Matth. xxviii, 18, 19.

tuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt (1); et rursus: *Hoc facite in meam commemorationem* (2). Ergo Sacramenta non sunt tantum ipsæ actiones, sed actiones quatenus vera potestate ministeriali a Christo commissa perficiuntur. Iam vero ut actio sacramentalis ponatur ita ministerialiter nomine Christi, non modo requiritur quod agens sit legitimus minister, sed etiam quod, saltem implicite, agere velit tanquam minister Christi. Posset enim eundem actum materialiter ponere etiam proprio marte. Atqui ut quis, ponens Sacramenti actum, velit, saltem implicite, agere tanquam minister Christi, debet ad minimum velle saltem generatim et in confuso illum actum ponere, quem instituit Christus, seu quem ex Christi institutione Ecclesia ponere consuevit. Ergo Sacramentum non fit, si minister saltem generatim et in confuso non velit id facere, quod Ecclesia facere consuevit.

II. Idem fere argumentum sub alia consideratione exhibetur a S. Thoma et communiter a Theologis (3). Quando aliquid est indifferens ad multos effectus, necesse est ut per aliquid determinetur ad unum. Atqui res et verba Sacramentorum ex se adhuc indifferentia sunt possuntque ad plura alia referri. Sic ablutio in Baptismo potest exerceri ad naturalem corporis mundationem, ad sanationem aut refrigerium, itemque ad sacramentalem ablutionem. Nec dici potest, ablutionem determinari ad sacramentalem per verba: *Ego te baptizo....*; nam et hæc verba adhuc indifferentia sunt per se ad significandam ablutionem tam sacramentalem, quam naturalem corporis, quæ devotionis gratia, Dei nomine invocato, fieret. Res igitur et verba ad rationem Sacramenti per intentionem ministri, cum nihil aliud supersit, determinari debent.

COROLLARIUM.

Ad valorem Sacramenti non videtur sufficere solemnitas ritus externa, si intentio interna sit contraria.

880. Sententia, quod ad valorem Sacramenti sufficiat ritus externus quantumvis contraria sit intentio interna, nomen et celebritatem habet ab Ambrosio Catharino, eamque sequuntur theologi præsertim galli, inter quos Drouvenius. Ea videtur satis refutari ex demonstratis.

(1) Io. xx, 21-23.
(2) Luc. xxii, 19.
(3) S. Thomas, *Sum. Theol.*, iii, q. 64, a. 8.

Nam intelligi nequit, quomodo cum tali contraria intentione consistere possit intentio qualiscumque faciendi quod facit Ecclesia. Si quis enim ponens Sacramenti actum, solum intendat illum ponere sive ad iocum sive etiam ad seriam illusionem et simulationem; is porro non intendit illum actum ponere, quem ponit Ecclesia, sed alium omnino, qui illius erit iocosa vel seria fictio et simulatio (1). Ceterum damnata est ab Alexandro VIII hæc propositio: *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia.* Hac damnatione ait Benedictus XIV, grave vulnus inflictum fuisse prædictæ sententiæ (2).

In praxi recolendum est, in Sacramentorum administratione partem tutiorem esse sequendam: unde si casus occurreret de Baptismo cum intentione solum externa collato, Sacramentum iterandum esset sub conditione, vel, si per tempus licet, Sedes Apostolica foret consulenda.

Art. III.

OMNIA SACRAMENTA N. L. A CHRISTO PENDENT VIRTUTE.

881. Sacramenta pendent a Christo non modo institutione et administratione, sed etiam *virtute*. Ad cuius rei intelligentiam revocandum est, eam esse Sacramentorum virtutem, ut sua applicatione facta hominibus eos consecrent et sanctificent, unde sint non modo signa gratiæ, sed causæ veræ et reales sanctificationis, licet instrumentariæ. Id est dogma fidei, quod supra demonstravimus. Iam sequitur quæstio: undenam tanta virtus Sacramentorum pendeat.

Certa omnibus responsio est: tantam vim gratiæ causativam non aliunde provenire Sacramentis, quam ex meritis I. Christi et speciatim ex eius sacratissima passione et morte. Verum cum hac quæstione alia connectitur: ista virtus a meritis Christi in Sacramentis derivata in quo præcise consistit, vel quomodo Sacramenta causant gratiam? De utraque quæstione pauca.

(1) Etiam hi theologi concedunt unanimiter, Sacramenta *nulla* esse, si administrentur per *iocum* etiam *externe* manifestum; volunt autem esse valida, si actio, posita cum quacumque intentione etiam simulandi, sit tamen *externe seria*.

(2) Bened. XIV, *De Synodo*, l. VIII, c. IV.

I.

Efficacia Sacramentorum a meritis I. Christi crucifixi derivatur.

882. Dogma est ex fundamentalibus nostræ fidei, quod sine Christi merito nemo iustificatur (1) et quod nostræ iustificationis causa meritoria est Christus pro nobis crucifixus (2). Iamvero ex hoc sequitur, vel in eo continetur hæc veritas, pariter fidei, nimirum: in ordine præsenti providentiæ nulla esse Sacramenta efficacia gratiæ, quorum dignitas et virtus non sit ex meritis Iesu Christi.

Huius veritatis declarationem det iterum S. Thomas in loco, ad quem ipse appellat (III, q. LXII, a. 5). Postquam articulo antecedenti demonstrasset adesse in Sacramentis quandam instrumentalem virtutem gratiæ causativam, ostendit hanc virtutem Sacramentis inesse ex passione Christi hisce verbis: « Sacramentum operatur ad gratiam causandam per modum instrumenti. Est autem duplex instrumentum: unum quidem separatum, ut baculus; aliud autem coniunctum, ut manus. Per instrumentum autem coniunctum movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiæ est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum coniunctum; sacramentum autem sicut instrumentum separatum. Et ideo oportet quod virtus salutifera a divinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta derivetur. Gratia autem sacramentalis ad duo præcipue ordinari videtur: videlicet ad tollendos defectus præteritorum peccatorum, in quantum transeunt actu, et remanent reatu; et iterum ad perficiendam animam in his quæ pertinent ad cultum Dei secundum religionem vitæ christianæ. Manifestum est autem ex his, quæ supra dicta sunt (quæst. XLVIII et XLIX), quod Christus liberavit nos a peccatis nostris præcipue per suam passionem, non solum efficienter et meritorie, sed etiam satisfactorie. Similiter etiam per suam passionem initiavit ritum christianæ religionis, *offerens seipsum oblationem et ostiam Deo,* ut dicitur Ephes. v. Unde manifestum est, quod sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum; in cuius signum de latere Christi pendentis

(1) Conc. Milev., can. 3, 4; Araus., can. 24, 25; Trid., sess. VI, cap. 5, 6; can. 4, 9, 13; Sess. XIV de pœnit., cap. 4, can. 5; damnata pr. Quesn. 68 apud Denzinger, *Ench.*

(2) Conc. Trid., sess. VI, cap. 4, 14.

in cruce fluxerunt aqua et sanguis, quorum unum pertinet ad Baptismum, aliud ad Eucharistiam, quæ sunt potissima sacramenta. »

883. Quæ doctrina confirmatur ex Ss. Scripturis, ubi Sacramenta intime connectuntur cum Christi passione et morte, utique tanquam cum causa meritoria principali. Ita ubi legimus: *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ* (Eph. v, 25, 26). Christus itaque in cruce moriens non solum meruit sanctificationem Ecclesiæ, sed eam meruit operandam per sacramentale lavacrum baptismi. Virtus itaque huius lavacri in verbo vitæ derivatur a Christi morte. Hinc *quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus* (Rom. vi, 3), non solum quia baptismus significando commemorat mortem Christi, sed etiam quia simul pretium illius mortis veluti in se replicat et baptizando applicat (1).

884. Eadem est doctrina Patrum, quando dicunt, Sacramenta ex latere Christi i. e. ex consummata eius passione fluxisse (Ambrosius): Sacramenta esse rubentia sanguine Christi: *unde rubet baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus?* (Augustinus in Io. tract. 11, n. 4); baptizari nos in sanguine Christi per lavacrum regenerationis (Hieronymus in Is. i, 11). Omnia itaque Sacramenta ex morte Christi habent vivificandi efficaciam (2).

II.

Quomodo suam efficaciam Sacramenta a Christo recipiant, eamque in effectum exerant.

885. Ad modum explicandum, quo Sacramenta novæ Legis suam efficaciam recipiant et exerceant, tenendum est, tanquam fundamentale, hoc principium: *Sacramenta, dum fiunt, sunt moraliter actiones ipsius Christi Redemptoris et Summi Sacerdotis.* Id est indubitatum et abunde constat ex dictis. Christus enim ipse sua morte meruit ut sua posset instituere Sacramenta; ipse omnia et singula per seipsum instituit; ipse per ministros suos sua auctoritate fungentes ea iugiter administrat; ipse merito passionis et mortis suæ in eis operatur.

886. Iamvero inde 1° sic argumentamur: Debita facta proportione id affirmandum est de huiusmodi Christi actionibus sacramentalibus,

(1) Cfr. Coloss. ii, 12; I Cor. xi, 26.

(2) S. Bonav., *Procem. in 4 Sent.* Franzelin, *De Sacram.*, th. x; cfr. Suarez in 3 P., tom. I, disp. 39, sect. 3.

quod de actionibus, quas ipse physice et personaliter peragebat dum visibiliter in terris versabatur. Actiones enim substituti et delegati tanti fere æstimantur ac si a delegante et substituente ipso physice procederent, idque maxime de Christo est dicendum, qui sua ipsa reali virtute in suis ministris, suo nomine et auctoritate agentibus, Ipse, licet invisibiliter, actu operatur.

Atqui de actionibus, quas ipse Christus personaliter peragebat, duo ad rem nostram affirmari debent: 1° quod habebant dignitatem et pretium infinitum ad merendam redemptionem et sanctificationem nostram; 2° quod ipsis actionibus visibilibus Christi hominis realiter aderat invisibilis divina virtus et potentia ad miraculosa quæque operanda. Ratio primi seu meriti est, quia actus illi Christi erant liberi actus hominis; meritum autem erat infinitum, quia actus erant personæ divinæ. Ratio secundi erat ipsa unio hypostatica humanitatis cum Verbo, unde sequebatur quod in ipsis actionibus, per se humanis, virtus quædam divina inesset; unde fiebat, ut tactus manus Christi daret salutem et verba eius id facerent quod significabant, uti ex. g. quando manum mortuæ puellæ apprehendit et ait *surge;* surrexitque rediviva puella.

Igitur hæc duo debita facta proportione etiam de Sacramentis asseri debent, quippe sunt moraliter ipsius Christi operationes. *Primo* scilicet asseri debet adesse in eis *pretium* meriti, non quidem ad merendum ex novo, sed certe ad merita Christi applicanda singulis. Nam si Sacramenta sunt actiones Christi, hoc ipso ab eo mutuantur aliquam dignitatem coram Deo, qui in I. Christo Filio suo unigenito omnem complacentiam posuit. Sed hæc dignitas nequit esse novi meriti, quia Christus merita sua semel complevit in cruce. Ergo Sacramenta habebunt saltem valorem replicandi et applicandi singulis suscipientibus merita iam in cruce pro omnibus consummata, ut sint in eis ratio et titulus postulans eorundem sanctificationem. Sed *secundo* asseri debet, adesse in Sacramentis etiam *virtus quædam divina* ad illud miraculosum physice operandum, quod est ipsa sanctificatio. Etenim sanctificationem ultimo producere et efficere, non potest nisi Deus. Hinc Sacramenta, eo ipso quod merita Christi applicando inducunt in hominibus initiatis exigentiam eorundem sanctificationis, simul exigunt, ut inibi, in ipsis sacramentalibus actionibus, adsit Deus virtute sua sanctificatrice.

887. Idem argumentum resolvi potest 2°, in hanc aliam formam, fortasse aptiorem, ut etiam intelligatur, ea duo in Sacramentis contingere ad modum unius, et eatenus Sacramentum sanctificare, quatenus significat. Argumentum sic procedit: Sacramenta, quoniam sunt signa,

ideo integre sumpta dici possunt verba et, ex præstituto principio, sunt verba ipsius Christi ea per suos ministros nunc adhuc pronunciantis; proindeque de hisce sacramentalibus Christi verbis dici debet quod dicendum erat de verbis, quæ Christus adhuc viator pronunciabat. Atqui verba, quæ Christus viator pronunciabat, vera semper erant adeo ut, ne veritas deficeret, potius practice efficiebant quod exprimebant ita, ut sæpius essent verba practica. Ergo sic pariter vera esse debent verba sacramentalia adeo, ut etiam producant quod significant. Atqui, prosequendo argumentum, verba sacramentalia, uti vidimus a D. Thoma explicari, significant passionem Christi et sanctificationem. Ergo sic vere significare debent hæc duo, ut et practice meritum passionis Christi veluti replicent et applicent, et sanctificationem ipsam producant. Sed ex sese verba sensibilia ipsam gratiam efficienter producere non possunt. Ergo saltem *imperent* et *exigant*, ut sibi ea virtus divina coniungatur, quæ valeat ad illam productionem, et ita verba ipsa fiant practica.

Ita etiam erat de verbis practicis, quæ Christus adhuc viator pronunciabat. Verba illa erant per se humana, nec, ut talia, per se potuissent operari; sed in eis aderat virtus divina Verbi, cum quo humanitas in persona coniungebatur. In verbis personalibus Christi inexistentia virtutis divinæ erat ex unione hypostatica; sed in verbis sacramentalibus est ex exigentia meritorum Christi, quæ in Sacramentis replicantur et applicantur ad hunc finem sanctificandi.

888. Hisce declaratis satis intelligimus, quomodo Sacramenta sint veræ et reales causæ sanctificationis nostræ.

Sunt imprimis reales causæ, sicuti causæ non fictitiæ, sed reales omnino sunt meritum, imperium, lex, et alia huiusmodi. Producunt enim in subiecto realem exigentiam, realem titulum, ius reale, ad habendam gratiam. Sunt tamen causæ instrumentales tantum, quia Sacramenta virtutem hanc habent non ex sese, sed per derivationem a Christo et a passione eius, et quidem causæ sunt *disponentes* ad sanctificationem, quia sanctificationem non per se producunt, sed ponunt in subiecto titulum et necessariam exigentiam ad eam suscipiendam. Actio verbi sacramentalis propria esset significatio, sed quod hæc significatio sit *imperativa* et *practice* illam exigentiam producens, id est a meritis I. Christi crucifixi. Hinc Sacramenta sunt instrumenta Christi, cuius passio et merita constituunt causam principalem, sed ultimo sunt instrumenta ipsius Dei, qui illam Christi passionem et hæc Sacramenta ordinavit et institui voluit, ut per ea nos sanctifi-

caret (1). Potuisset Deus immediate ipse per se nos sanctificare, sed voluit per instrumentum coniunctum humanitatis Christi et per instrumenta separata Sacramentorum.

889. Imo ex dictis et illud ulterius sequitur, quod Sacramenta, vero aliquo sensu, sint non modo dispositive, sed ultimo et quidem *physice* causæ effectrices sanctificationis. Diximus enim quod ex illa exigentia, quam Sacramenta producunt in subiectis ut sanctificentur, fit ut in ipsa Sacramenta illabatur virtus divina, quæ dum visibilibus signis significatur inibi invisibiliter operatur gratiam. Si itaque Sacramentum accipiatur in toto suo complexu, signum sensibile cum virtute divina in eo manente, Sacramentum dici potest et debet ultima et physica causa ipsius sanctificationis. Est tamen non ipsum signum sensibile per se; sed virtus illa divina signo expressa et insidens, quæ physice perficit hominis initiati sanctificationem.

Hucusque igitur intentio solum fuit declarandi generatim rationem cur sacramenta a Deo assumpta sint in instrumenta nostræ sanctificationis seu cur a Deo acceperint vim et efficaciam causandi effective; non vero explicandi ipsum formale exercitium causalitatis, quatenus vellem me in aciem ponere cum illis theologis qui causalitatem moralem sacramentorum contra physicam tuentur; quod alacriter disputatur (2). Iuvat etiam adnotare cum cl. Billot quod, quacunque supposita sententia de causalitate sacramentorum respectu gratiæ, sive morali sive physica, semper firmum manet sacramenta immediate causare aliquem effectum prævium gratiæ; eum quem diximus dispositionem et titulum exigitivum; quo fit ut sacramenta dicantur causare gratiam *instrumentaliter dispositive*.

Effectus ille prævius a S. Thoma certe dicitur *res et sacramentum;* porro aliquando est aliquid ordinis intentionalis, ut vinculum coniugale

(1) Si passio Christi referatur ad Deum, qui illam æterno suo consilio ordinavit ad nostram salutem et per eam nos vult iustificari, passio est causa per *modum efficientiæ*, causa quidem instrumentalis seu instrumentum ipsius Dei. Si autem passio referatur ad Christum hominem, qui nostram iustificationem et salutem meretur, dicitur causa, eaque principalis, per *modum meriti*. Ita S. Thomas: " Passio Christi, secundum quod comparatur ad divinitatem eius, agit per modum *efficientiæ*, in quantum vero comparatur ad voluntatem animæ Christi, agit per modum *meriti*. „ III, 48, 6.

(2) Causalitatem physicam negant Alex. Alensis, Scotus, Canus, Vasquez, Becanus, De Lugo, Virceburgenses, Franzelin, et nunc, mutata sententia, etiam Billot. Eam affirmant communiter Thomistæ, Salmaticenses, Valentia, Suarez, Bellarminus et alii, sed in explicatione huius physicæ causalitatis discrepant.

in matrimonio repræsentans unionem Christi et Ecclesiæ, aliquando est character, in quo, præter notam physicam attenditur deputatio ad certum munus, quæ morale quid sonat (1).

CAPUT IV.

DE NUMERO SACRAMENTORUM.

890. Ex semel constituta doctrina, Sacramenta esse tantum signa concionalia ad fidem excitandam, pronum erat novatoribus imminuere, sicut necessitatem Sacramentorum, ita et numerum. Ab initio ancipites, demum in binario numero plerumque constiterunt, Baptismum et Eucharistiam tantum admittentes; attamen plus ad modum ritus cuiuscumque, quam veri Sacramenti.

891. Catholici econtra veteri doctrinæ insistentes Sacramenta numero septem admittunt, neque plura neque pauciora, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium. Quorum septem Sacramentorum convenientiam pulchre desumit S. Thomas a similitudine, quæ vitam spiritualem inter et corporalem adest (2). Homini quippe ad vivendum, tum suo tum reipublicæ bono, hæc septem videntur necessaria esse; imprimis ut homo individuus generetur, augeatur, nutriatur, ac, si in morbum incidat, sanetur, et ab infirmitatis quoque reliquiis liberetur; deinde ut respublica magistratibus regatur et in novam prolem propagetur. Ita ad spiritualem vitam quisque homo per Baptismum renascitur christianus, per Confirmationem robore augetur, per Eucharistiam nutritur, per Pœnitentiam a peccatis sanatur, per Extremam Unctionem a peccatorum reliquiis purgatur: Ecclesia autem per Ordinem suos habet magistratus, a quibus gubernatur, et per christianum Matrimonium novam in dies acquirit sobolem, qua in

(1) Cf. Billot, *De Sacramentis in communi* p. 75 et 105 in secunda edit. — Placet, titulo laudis, memorare Dissert. theolog.: *De Causalitate Sacramentorum* auctore sac. Antonio Merisio, qui ulterius inquirit circa effectum formalem tituli exigitivi, qui est res et sacramentum.

(2) *Sum. theol.* III, q. 65, a. 1. Paulo aliter S. Bonaventura in *Centiloquio* P. 3, sect. 47, numerum Sacramentorum componit cum triplici necessitate vitæ christianæ, ut sint *medicamenta vitiorum, adiuvamenta virtutum, armamenta militiæ.*

perpetuum conservatur. Inde etiam apparet congruentia ordinis, quo ita Sacramenta enumerantur, ut priora sint quæ ad vitam individualem, posteriora quæ ad socialem vitam pertinent. Ex Sacramentis autem individualibus præcedunt tria, quæ requiruntur, per se, ad principium, augmentum et conservationem vitæ spiritualis; sequuntur quæ, per accidens, requiruntur ad depellendum sive spirituale morbum sive morbi reliquias. Ex socialibus Ordo præponitur Matrimonio, quia de spirituali vita magis participat (1).

Verum, hisce aliisque congruentiis missis, septenarius Sacramentorum numerus dogmatice adstruitur insequenti thesi.

THESIS VI.

Novæ Legis Sacramenta neque plura neque pauciora sunt quam septem.

892. Declaratio. — Hoc est dogma catholicum, quod Conc. Tridentinum (Sess. VII, can. 1) hisce enunciat verbis: *Si quis dixerit Sacramenta N. L.... esse plura vel pauciora quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum; a. s.* Sepositа demonstratione *directa*, qua singulorum Sacramentorum veritas ex disertis scripturæ et traditionis testimoniis comprobatur, quæque esse non posset nisi synthesis ex tractatibus de singulis Sacramentis, demonstratione utemur *indirecta*, eâque decretoria ex consensu christiani nominis petita.

893. Demonstratio hac una argumentatione instituitur: Quando seculo XVI novatores suam hæresim spargere cœperunt, ex multis saltem iam seculis Ecclesia universa publice, diserte, theoretice et practice conspirabat in fidem, septem esse Sacramenta Novæ Legis. Atqui ita esse non potuit ex aliqua doctrinæ innovatione quovis tempore inducta post apostolicam prædicationem. Ergo doctrina, qua Ecclesia universa tenet, septem esse Sacramenta, est ab ipsis Apostolis et consequenter a Christo.

Probo *maiorem* simplici antiquitatis recensione. Nam 1° christianos

(1) S. Th. III, 65, 2.

omnes a seculo XII ad XVI conspirasse in hanc fidem, testes sunt *theoretice* publicæ catecheses (1) et synodicæ constitutiones (2), quæ plurimæ ad rem allegari possent, tum etiam Theologi omnes (3), quorum nullus, licet in pluribus ad Sacramenta spectantibus dissenserint, de septenario numero dubitavit; deinde *practice* testes sunt omnes sive ministri sive fideles, qui fidem hanc quotidie profitebantur ipsa Sacramentorum publica et solemni administratione vel susceptione, cuius ritus in antiquioribus quoque libris liturgicis inveniuntur descripti. Quam in fidem 2° cum Latinis conspirarunt Græci, iam a seculo XI imo et IX ab unitate romana seiuncti. Id constat *a)* ex nulla unquam facta a Græcis contra Latinos reclamatione super hanc rem, neque tempore concilii Lugdunensis et Florentini; *b)* ex professionibus fidei Græcorum, inter quas est illa Michaelis Palæologi Gregorio X oblata; nominatim *c)* ex irrito Protestantium conatu pertrahendi Græcos ad suum errorem, qui sæpe adversus illos declararunt, septem se credere Sacramenta a Christo Domino instituta (4); tandem *d)* ex eorum libris liturgicis et ritualibus. Imo 3° sectæ Orientis ab Ecclesia iam a seculo V divulsæ, uti sunt nestoriani et monophysitæ, eamdem de numero Sacramentorum septenario fidem profitentur (5).

Hoc præsupposito, facile probamus quod in *minore* asseritur, hunc consensum explicari non posse per aliquam innovationem post Apostolos inductam; idque duplici argumento, historico et theologico. Nam *historice* constat, quod 1° innovatio nullo tempore post Apostolos facta fuit. Porro non seculo XII, licet eo tempore revera factam esse Protestantes autument. Nostra enim doctrina etiam apud Græcos reperitur, qui cer-

(1) E. g. S. Brunonis Apostoli Pomeraniæ an. 1127 apud Bolland. in vita S. Octonis.

(2) E. g. professio fidei ab Inn. III Valdensibus præscripta an. 1210 ante Conc. Later. IV (1215); Constitutiones synodales anglicæ; Conc. Costant. 1414; Instruct. ad Armenos in Conc. Flor.

(3) E. g. Hugo a S. Victore, Petrus Lombardus, 1145.

(4) Annis 1576-78-81 Ieremias patriar. cp. refutavit confessionem augustanam sibi a protestantibus transmissam. Cum autem eius successor Cyrillus Lucaris Calvinianis indulsisset, damnatus fuit, etsi iam defunctus, a tribus synodis Constantinopoli habitis annis 1638-42-72, quæ et fidem in septem Sacramenta professæ sunt. Synodo secundæ aderat etiam Patr. totius Russiæ.

(5) Nestoriani adhuc in Persia supersunt; Monophysitæ in Armenia et in Ægypto, ubi dicuntur Copti ex corrupta voce, qua Iacobitæ vocabantur ab eorundem antesignano Iacobo Baradæo syro. Ad hos pertinent Abyssinii, qui a Coptis ægyptiis episcopum primatem recipiunt.

tissime hanc fidem non hauserunt a Latinis post suam ab illis separationem. Ergo Latini et Græci eam hauserunt immutatam ex fonte communi, qui antecessit eorum separationem, scilicet ab Ecclesia universali seculi IX vel VIII, quo ab ea Græci divulsi sunt. Sed neque seculo IX vel VIII innovatio inveniri potest: nam doctrina, quam defendimus, reperitur apud illas Orientis sectas, quæ iam seculo V Ecclesiæ castra deseruerunt. Quare ex eadem ratione inferendum est, eam Orientales et Occidentales hausisse usque nunc immutatam, tanquam ex fonte communi, ab Ecclesia matrice seculi V et IV. Antea vero, quando Ecclesia tot decorata martyribus atque eximiis illustrata Doctoribus tenax admodum erat antiquitatis et adversatrix omnis novitatis, innovatio nullo modo concipi potest. Verum 2° etiamsi daretur, quovis tempore et quovis modo innovationem accidisse, certe aliqua extaret rei memoria. Omnis enim innovationis in fide, saltem alicuius momenti, scimus patrem et aliquando matrem, item patriam et annum nativitatis et plurima cetera adiuncta; ergo hæc omnia sciremus etiam de hac doctrina, si ea esset innovatio humana; eo vel magis quod innovatio talis, in re tam practica et publici usus, induci non potuisset, quin tota commoveretur Ecclesia. Econtra huius innovationis nulla adiuncta historice assignari possunt, nec huiusmodi commotionis ullum exstat vestigium in tota antiquitate.

Accedit ad idem probandum multo adhuc evidentius argumentum *theologicum*. Si enim consensus ille adeo constans et universalis, quovis tempore post Apostolos, inductus fuisset ex aliqua humana innovatione, iam Ecclesia universa defecisset a fide, quam Christus tradidit ei in perpetuum conservandam; idque contra illud principium in sacra theologia certissimum, imo de fide tenendum, quod Ecclesia universa, in quavis ætate accipiatur, per assistentiam et directionem Spiritus Sancti est prorsus infallibilis in credendo et docendo.

Si itaque theologice et historice constat, consensum illum Ecclesiæ universæ in doctrinam de septenario numero Sacramentorum non esse innovationem post Apostolos inductam; iam hoc ipso concludendum est, hanc doctrinam non esse humanam, sed divinam nobis ab Apostolis traditam.

894. Ad præcavendas vero difficultates, quæ contra demonstratum universalem consensum urgeri solent, hæc generatim advertisse sufficiat: 1° Patres, sin minus de septenario numero, certe de singulis septem Sacramentis testimonium dicunt, prouti videbimus in tractatibus partialibus. 2° Quod autem desideretur apud Patres facta simul connume-

ratio septem omnium Sacramentorum, id explicari potest. Nam *a)* Patres methodum scientificam non sequuntur, uti posteriores Doctores et Theologi; *b)* multiplex Sacramentorum ad invicem distinctio ac diversitas logice postulabat quod consideratio analytica in singula Sacramenta præcederet, ut deinde fieret synthesis; *c)* synthesis autem completa statim facta non fuit, quia impediebatur a disciplina arcani et aliunde necessaria non erat, nullo adhuc instante adversario; *d)* attamen synthesis partialis sæpe invenitur apud Patres, qui pro suo scopo simul recensere solent sæpissime duo sacramenta: Baptismum et Eucharistiam; sæpius tria: Baptismum, Chrisma, Eucharistiam, quæ simul conferri solebant, unde et simul in cathechesibus explicabantur; quibus aliquando Ordinatio addi solet ad recensionem complendam quatuor Sacramentorum, quæ proprie *consecratoria* et *perficientia* sunt (1). Non tamen excludebantur tria reliqua, quæ fine suo principali sunt et dicuntur *medicinalia* (2). Nominatim 3° *pedum lotio*, licet omnia requisita videatur habere, nunquam pro vero proprioque Sacramento habita fuit ab Ecclesia, cuius praxis in re sacramentaria est optima revelatæ doctrinæ *interpres*.

COROLLARIA.

895. *Septem hæc Sacramenta non sunt inter se paria, sed aliqua ratione aliud alio præstat.* Ita definivit Conc. Tridentinum sess. VII, can. 3: « Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; a. s. » Si enim Sacramenta septem numerantur, hoc ipso ad invicem distingui debent. Distinguuntur quidem externe materiâ, formâ et ritibus: sed hæc distinctio, attenta divini Institutoris sapientia, internam quoque distinctionem finis et virtutis supponit ita, ut quodlibet Sacramentum excellentiam habeat sibi propriam.

Et revera Baptismus excellit omnibus quoad necessitatem et effectum remittendi peccatum originale et omnia actualia, etiam secundum omnem pœnam; quod nullo alio sacramento fit. Confirmatio ipsi excellit Baptismo, quatenus est eius perfectio, quæ totum Baptismi effectum præsupponit et superaddit gratiam copiosiorem eamque speciatim roboris, quæ ab aliis non datur. Pœnitentia præstat ceteris necessitate,

(1) Ita Tertullianus superius citatus *De Baptism.* cap. IV.
(2) Franzelin, th. XIX.

solo Baptismo excepto, sed ipsum Baptismum in eo superat, quod, ut speciale Sacramentum divinæ misericordiæ, sine fine iterari potest. Extrema Unctio ipsam Pœnitentiam perficit, cuius effectum præsupponit et superaddit gratiam copiosiorem ad finem specialem erigendi in spem animum ultimo luctantem. Ordo constituit homines in gradu sublimiore, quam non alia Sacramenta. Matrimonium præstat significatione, nam significat Christi unionem cum Ecclesia. Verum simpliciter Sacramentis omnibus præcellit Eucharistia, cuius excellentia est in ipsa Sacramenti substantia, quatenus non solam divinam virtutem continet, sed ipsum divinæ virtutis auctorem I. Christum. Hinc est etiam omnium Sacramentorum consummatio, quia omnia ad Eucharistiam, veluti ad finem, ordinantur (1).

896. *Nullum ex Sacramentis N. L. superfluum dici potest; sed omnia sunt respective necessaria.* Id definivit Conc. Tridentinum Sess. VII, can. 4. « Si quis dixerit Sacramenta N. L. non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci; licet omnia singulis necessaria non sint; a. s. » Quo canone tria statuuntur: Sacramenta non esse superflua; quædam ita esse necessaria, ut sine ipsis vel eorum voto non possit salus acquiri; non omnia tamen esse singulis necessaria.

Porro divina institutione septem omnium Sacramentorum supposita, nullum eorum superfluum dici potest. Licet enim Deus potuisset eumdem salutis effectum nobis concedere aliis mediis, vel etiam sine ullis mediis; tamen postquam ea septem media instituit, iam ea omnia necessaria dici debent necessitate præcepti, vel pro singulis vel pro Ecclesia. Verum, Deo volente, necessaria etiam sunt necessitate medii, cum hac tamen distinctione, quod tria Sacramenta necessaria sunt *simpliciter:* Baptismus pro omnibus, Pœnitentia pro lethaliter lapsis post Baptismum, Ordo respectu Ecclesiæ; cetera vero Sacramenta necessaria sunt necessitate medii ad *meliorem* effectum salutis consequendum: Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio pro singulis, Matrimonium pro christiana societate (2).

(1) Cfr. omnino S. Thomas III, q. 65, a 3.

(2) S. Thomas III, q. 65, a. 4; Bellarminus *De Sacr. in genere* l. II, c. XXII.

SCHOLION.

De Sacramentalibus.

897. Præter Sacramenta sunt res aut actiones, quæ propter aliquam cum Sacramentis similitudinem *Sacramentalia* dicuntur; et quæ definiri possunt: *signa sensibilia in Ecclesia adhiberi consueta, quæ specialem vim habent, quamvis non ex opere operato, ad quosdam spirituales effectus.* Breviter dicemus: quot et quænam enumerentur, a qua auctoritate instituta sint, quos effectus et qua vi producant.

Ea sunt *multiplicis generis* sexque enumerari solent hoc versiculo contenta: *orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens,* idest oratio dominica, aspersio aquæ benedictæ, comestio panis benedicti, confessio generalis, eleemosyna, benedictio episcopi vel abbatis consecrati. Verum numerus nulla est certa aliqua ratione aut auctoritate fundatus, unde ex quadam cum Sacramentis analogia etiam ad septem classes reduci possent. Quæ sunt: 1ª aspersiones aquæ benedictæ; 2ª orationes et invocationes, uti oratio dominica, nomen Iesu, signum crucis; 3ª comestibilia benedicta, ut panis, sal etc.; 4ª actus pœnitentiales, uti *Confiteor* cum tunsione pectoris et addita generali sacerdotis absolutione, impositio cinerum; 5ª certæ oblationes, præsertim eleemosyna; 6ª sacræ unctiones ad consecrandum vasa, altaria, Ecclesias, personas uti abbates; 7ª religiosæ professiones. Quibus addi deberet legitima verbi Dei prædicatio, falso quidem a protestantibus primum Sacramentorum reputata, sed quæ ex speciali I. Christi institutione et commendatione aliquid de Sacramentis participat.

Ut patet, hæc non omnia sunt *instituta* ab Ecclesia, uti oratio dominica, nomen Iesu, prædicatio verbi Dei, quæ vel Deum ipsum institutorem vel aliquam adiunctam habent divinam promissionem. Omnia tamen in Ecclesia et ab Ecclesia adhibentur, et præsertim in ipsa Sacramentorum administratione.

Qui autem sint Sacramentalium *effectus,* colligitur ex ipsius Ecclesiæ usu et orationibus, quas in plerisque consecrandis vel adhibendis ea fundit. Inde assequimur, Sacramentalium efficaciam non quidem unice, sed maxime dirigi vel *adversus dæmones* eorumque infestationes, uti aquæ benedictæ, vel ad *remissionem venialium* peccatorum, uti generalis absolutionis, quam Sacerdos ante dispensandam Eucharistiam impertit.

Quæ porro *efficacia* oritur ex triplici capite: imprimis ex genere proprio sacramentalium, quæ forte sibi coniunctum haberent aliquem pium affectum, uti compunctionis in tunsione pectoris; deinde ex speciali promissione divina, ut facta est pro eleemosyna, oratione dominica, nomine Iesu; tertio ex adiuncta auctoritate vel intercessione Ecclesiæ, uti est in variis benedictionibus ab ipsa Ecclesia institutis. Hæc virtus non est quidem *ex opere operato* neque *infallibilis,* unde præsertim Sacramentalia a Sacramentis distinguuntur, sed proprie est *ex opere operantis;* attamen quatenus speciali aliqua promissione vel Ecclesiæ auctoritate nititur, aliquid participat de efficacia operis operati, seu efficit ex *opere operantis* ipsius Ecclesiæ.

TRACTATUS
DE BAPTISMO.

898. Modo ad singula Sacramenta progredimur. Primum non quidem dignitate, sed ordine et necessitate est Baptismus, per quem aditus patet ad cetera Sacramenta et ad regnum cœlorum, unde *vitæ spiritualis ianua* dicitur (1).

Circa hoc Sacramentum dogmatice spectatum satis erit quærere: quid sit; quibus et a quo administrari possit aut debeat. Hinc duo erunt capita:

I. De Baptismi natura,

II. De eiusdem administratione.

CAPUT I.

DE BAPTISMI NATURA.

899. *Nomen* Baptismi est grecum a verbo βαπτίζω vel βάπτω, quod significat *mergo, tingo, abluo,* ac huic Sacramento applicatum fuit, quod, qui olim baptizabantur, toti aquis immergi ac ablui solerent. In Scripturis non modo sensu literali pro *immersione* aut *ablutione in aquis* (2), sed etiam sensu metaphorico usurpatur pro *abundante* sive *afflictione* sive *gratia,* quæ hominem instar copiosæ aquæ mergit et absorbet (3). Verum, usu ecclesiastico et in foro sacramentali, Baptismi nomen lotionem illam sacram præcise denotat, quæ est primum inter septem Sacramenta novæ Legis.

(1) " Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiæ. „ Eugenius IV *in conc. Flor. ad Armenos.*

(2) De Iudith legitur: *Baptizabat se in fonte aquæ* c. XII, 7.

(3) Luc. XII, 50; Mar. X, 38; *Act.* I, 5.

900. *Alia quoque nomina* huius Sacramenti in Scripturis et apud Patres occurrunt. Denominatur enim a materia *Lavacrum aquæ, sacramentum aquæ* vel *fluminis, unda genitalis, fluvius aquæ vitalis;* a forma *Sacramentum Trinitatis;* ab effectibus *Sacramentum regenerationis, renovationis, signaculum* seu *sigillum*, et præsertim a Græcis *Illuminatio* seu *sacramentum illuminationis*, quia illo de potestate tenebrarum transferimur in admirabile lumen (1); demum a cærimoniis *Unctio, amictus splendidus, candidum vestimentum,* etc. De his aliisque nominibus etiam Catechismus romanus (2).

901. *Definitio* autem inter alias plures aptior et commodior esse videtur illa, quam ex verbis ipsius Christi et Apostoli Pauli desumit Catechismus romanus, qui Baptismum dicit: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo* (3). Explicatius a Theologis definitur: *Sacramentum a Christo Domino institutum, in quo, per ablutionem exteriorem corporis sub invocatione Ss. Trinitatis, homo spiritualiter regeneratur* (4). Ex qua definitione intelligis, Sacramentum Baptismi non esse ipsam aquam, quâ rem permanentem, sed aquæ ad hominem applicationem seu *ablutionem* sub invocatione Ss. Trinitatis; per hanc vero ablutionem non modo baptizatos *demonstrari* sed *effective regenerari* filios Dei; unde et intelligis, quo potissimum vitio laborent protestantium definitiones, uti est illa Calvini: « Baptismus est signum initiationis, quo in Ecclesiæ cooptamur societatem, ut Christo insiti inter filios Dei censeamur (5). »

902. *Natura* itaque Baptismi, si accipiatur in suo complexu, prouti definitum est, duplici veluti parte continetur, nimirum exteriore ritu, qui ex apta materiæ cum forma coniunctione resultat, et interiore effectu

(1) 1ª *Petr.* II, 9; *Colos.* I, 13.

(2) *Catech. Rom.* Pars. II, n. 4.

(3) Ibid. n. 5.

(4) Nemo unquam negavit Christum instituisse Baptismum, sed de tempore, quo illum instituerit, disputant Theologi. Certum tamen est, institutum fuisse ante passionem (Io. III, 22; IV, 12). Certum item est, non incepisse obligare nisi a promulgatione Legis evangelicæ in die Pentecostes. S. Thomas (*Sum. th,* III, 66, 2 coll. ad 4, D. 3, a. 5) quatuor tempora distinguit: 1^{m} in baptismate Christi, quando indicata fuerunt Sacramenti *materia* in aqua, *forma* in revelatione Trinitatis, *effectus* in audita voce divinæ complacentiæ (Matth. III, 16, 17); 2^{m} in colloquio cum Nicodemo, quando *necessitas* baptismi declarata fuit (Io. III, 5); 3^{m} in missione apostolorum per Iudeæ vicos, quando baptizandi *usus* inchoatus fuit (Matth. X); 4^{m} post resurrectionem, quando fuit præcepta *promulgatio* ad omnes gentes (Matth. XXVIII, 19).

(5) Calvinus, l. IV, *Instit.* c. XV.

spiritualis generationis, qui in charactere baptismali et consequente iustificatione consistit (1). Hinc dicendum erit primo de *materia* et *forma* Baptismi, id quod apposita thesi præstabimus; deinde de eiusdem *effectibus,* quos satis erit enarrare summatim, quia plura iam præoccupata fuerunt in iis, quæ superius disputavimus de iustificatione et de characteribus sacramentalibus.

THESIS VII.

Materia remota Baptismi est aqua vera et naturalis, proxima est tam immersio quam infusio et aspersio: ad formam vero necessario requiritur, ut tres divinæ personæ distincte invocentur, simulque actus baptismi exprimatur.

903. Declaratio. — Materia *remota* Baptismi, seu qua utendum est ad illam sacramentalem ablutionem, dicitur esse *aqua* ad exclusionem alterius cuiuscumque liquoris, contra id, quod docuit Lutherus, aptum ad baptizandum esse quidquid balnei loco esse potest; dicitur aqua *vera,* ne aqua sumatur sensu methaphorico, prouti volebat Calvinus cum Socinianis; dicitur *naturalis,* ut excludatur omnis aqua artificiali modo confecta. — Deinde materia *proxima* est ipsius materiæ usus seu ipsa ablutio aquæ. Dicitur simul, hanc baptismi ablutionem valide posse fieri sive per *immersionem* sive per *infusionem* aut *aspersionem,* idque contra Græcos schismaticos. Aspersio, ut quisque videt, non est aliud quam specialis modus infusionis, proindeque quod de infusione dicetur, illud de aspersione quoque erit intelligendum. — Demum proponitur quæ sit vera Baptismi *forma,* de qua porro duo asserimus esse de necessitate sacramenti, tum distinctam personarum Ss. Trinitatis invocationem, tum ipsius actus baptizandi expressionem per verba: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* vel per æquivalentia.

Ut patet, thesis habet tres partes. Prima *de fide* est ex Conc. Tridentino Sess. VII, *De Baptismo,* can. 2: *Si quis dixerit, aquam veram*

(1) Iuxta S. Thomam in Sacramento baptismatis est tria considerare: *Sacramentum tantum,* quod est *ablutio corporalis exterior,* quæ significat internos effectus et ipsa non significatur, *res et Sacramentum,* quod est *character baptismalis,* qui significatur per exteriorem ablutionem et ipse significat interiorem iustificationem; *res* tantum, quæ est ipsa hominis iustificatio significata et non significans. *Summ. theol.* III, q. 66, a. 1.

et naturalem non esse de necessitate Baptismi... a. s. Altera *certa* est, imo ad *fidem pertinet,* ex sequenti can. 3: *Si quis dixerit, in Ecclesia romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam, a. s.* Tertia vero pars, quoad invocationem divinarum personarum, adhuc *de fide* est tum ex canone recitato 3, tum ex can. 4: *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti... non esse verum Baptismum: a. s.* Quod præterea actus baptismi debeat exprimi, est *certa* sententia ex Decreto Eugenii IV ad Armenos (1).

904. Demonstratur Pars I. — I. Ex sacris *Scripturis,* in quibus 1° illa *verba* D. N. I. Christi: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto,* sensu obvio et literali, prouti cuique patet, sunt de aqua vera. Iamvero sensus obvius semper præsumi debet, nisi demonstretur oppositum vel ex interpretatione Traditionis vel ex aliqua intrinseca ratione. Econtra luculenta Traditio exegetica semper ea intellexit sensu literali, et nonnisi Socinianis et Calvino, seculo demum XVI, venit in mentem ea alium in sensum detorquere. Ratio autem hic metaphoram suspicandi nulla est omnino. Neque enim eam suadet, quod aqua coniungatur Spiritui Sancto, quia causæ *principali instrumentalem* addere licet: neque quod Ioannes Baptista dicat: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam.... ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni* (2). Nam comparatio non instituitur ratione *ritus* sed ratione *effectus,* qui est ipsius Spiritus Sancti influxus et operatio, prout sub ignis symbolo designatur; nisi forte, quod probabilius est, Præcursor respiciat hic futurum Divini Spiritus descensum supra Apostolos.

Accedunt 2° in divinis literis *facta* evidentissima. Nam eunuchus ille fide iam satis imbutus, statim ac venit cum Diacono Philippo ad quandam aquam, dixit: *Ecce aqua: quid prohibet me baptizari* (Act. viii, 36)?

(1) Eugenius IV ad Armenos inter alia hæc habet: " Forma autem est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus S....* Cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit S. Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum; si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum. „ Deinde Alexander VIII inter plures propositiones hanc damnavit sub n. 27: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, prætermissis illis: ego te baptizo.* Et iam antea Alexander III idem decreverat *L. 3 Decr. tit. 42,* c. 1. Cfr. Denzinger, *Enchir.* n. 591, 1184, 331.

(2) Matth. iii, 11.

Ita Petrus, quum videret Cornelium cum suis ad Baptismum dispositum, inquit: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi?* (Act. x, 47).

II. Confirmat veritatem *Traditio* et theoretica et practica. *Practica* quidem, quia semper adhibita fuit in Baptismo aqua vera, prouti testantur quotquot sunt libri rituales et pontificales Latinorum et euchologia Græcorum; et nunquam receptus fuit baptismus in aliquo liquore collatus, uti ille, qui in cervisia conferebatur in Norwegia, iudicatus fuit invalidus a Gregorio IX (1).

Traditio vero *theoretica* colligitur 1° ex tot illis typis, quibus Patres præfiguratum censuerunt Baptismum; omnes enim in aqua consistunt vel cum aqua miscentur, uti sunt aquæ primitivæ super quas ferebatur Spiritus, aquæ producentes reptilia, fons irrigans paradisum, diluvium, arca Noe, transitus Israelitarum per rubrum mare, aquæ de petra eductæ, mundatio Naaman syri, piscina probatica, aqua profluens ex latere Christi. Item 2° ex variis nominibus Baptismi, quæ Patres ex aqua sumpserunt simulque ex nomine *pisciculorum*, quo designabant aliquando baptizatos. *Sed nos pisciculi*, ait Tertullianus, *secundum ἰχθύν nostrum I. Christum in aqua nascimur* (2). Præsertim 3° ex disertis testimoniis, ad quæ spectat integer Tertulliani libellus *De Baptismo*, qui incipit hisce verbis: *Felix Sacramentum aquæ nostræ.* Sed in re apertissima sufficiat illud Augustini: *Quid est Baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est Baptismus* (3). Sed 4° præterea Patres ostendunt, quantum consentaneum fuerit, ut in propriam Baptismi materiam aqua institueretur. Id porro pluribus rationibus Hieronymus ad Oceanum demonstravit; inter quas duæ notandæ sunt, scilicet: aquæ *aptitudo* ad designandam spiritualem animæ mundationem, quæ huius Sacramenti effectus proprius est, et Baptismi *necessitas*, unde seligenda fuit ea materia, quæ esset ubique obvia atque facile comparabilis (4).

905. Pars II. — Id apparet 1° ex ipsa lotionis natura. Id, quod ad integritatem substantialem Baptismi requiritur, est ut aqua per actionem baptizantis ita applicetur baptizando, ut hic lotus dici possit ad significationem ablutionis internæ. Atqui sive immergendo, sive infundendo seu aspergendo conferatur Baptismus, semper aqua per baptizantis ac-

(1) Apud. Rayn. an. 1241.
(2) Tertul. *De Baptism.* c. I.
(3) August. *Tract. 15 in Ioan.* n. 4.
(4) Cfr. S. Thomas, *Sum. th.* III, q. 66, a. 33; Cfr. Catech. rom. P. II, n. 10.

tionem ita baptizando applicatur, ut semper fiat vera ablutio, quæ proinde æque est apta ad significandam interioris hominis ablutionem. Ergo...

Fatemur quidem potuisse Christum, si voluisset specialem quoque ablutionis modum determinare; sed econtra, nulla lavacri differentia constituta, tantum 2° generalibus verbis baptizandum seu abluendum esse mandavit: *euntes docete... baptizantes eos.* Quorum verborum sensum ita generalem omnino esse apparet 3° ex ipsorum Apostolorum exemplo, qui ablutionem quamlibet videntur indifferenter in baptizandi officio usurpasse. Nam immersione quidem Eunuchus est baptizatus, qui ad id descendit cum Philippo in aquam, atque de ea ascendit, uti legimus Act. XIII, 38. Econtra infusione aut aspersione tinctos fuisse certo apparet tria hominum millia, qui conversi fuerunt prima die Pentecostes et alia quinque millia, qui altera vice una simul crediderunt (1). Quis porro crediderit Petrum aliosve Apostolos et discipulos, tam brevi tempore, tantam hominum multitudinem immergendo baptizasse?

Nec 4° alia est interpretatio, quam practice Ecclesia dedit legis a Christo præscriptæ. Si enim credidisset Ecclesia aliquem abluendi modum esse de necessitate Baptismi, illum inviolabiliter observasset, nec unquam probasset diversas baptizandi rationes. Econtra indubie constat, magnam in hac re fuisse disciplinæ diversitatem pro mutatis temporum et locorum et baptizandorum circumstantiis. Primis temporibus in universali Ecclesia immersionem viguisse, testes locupletissimi sunt Patres et rituales, et adhuc seculo XIII aiebat S. Thomas, *tutius esse baptizare per modum immersionis, quia hoc habet usus communior.* A seculo autem XIV in tota fere latina Ecclesia, abrogato immersionis ritu, alter per infusionem invaluit, prouti testantur rituales libri ab eo tempore editi. Attamen hic illic immersio adhuc saltem permissa aliquo in usu fuit, uti est in hac nostra mediolanensi Ecclesia. Ne quis vero putet primis temporibus immersionem teneri necessariam, certum est eo ipso tempore ab immersione fieri exceptiones, nominatim pro ægrotis et moribundis, qui in lecto decumbentes aspersione vel infusione baptizabantur, unde dictus est *Baptismus clinicorum.* Magno episcopo de huius Baptismi valore dubitanti respondit Cyprianus ep. 76, omnino valere; cuius doctrinam velut sua ætate certissimam sequitur S. Augustinus lib. VI, contra Donatistas cap. VII. Ecclesia vero baptizatos clinicos, qui convaluissent nunquam permisit rebaptizari; licet, ob culpabilem tanti Sacramenti dilationem, eos a sacris ordinibus arcendos esse iudicaverit.

(1) *Act.* II, 41; XVI, 33.

906. Pars III. — I. Probamus imprimis de essentia formæ esse, proindeque de necessitate Sacramenti, distinctam trium Personarum Ss. Trinitatis invocationem, hoc facili argumento: Illa tantum forma valida haberi debet quam instituit Christus, quia Sacramenta in suis partibus essentialibus omnino pendent ab institutione Christi. Atqui Christus ad formam Baptismi præscripsit distinctam Personarum Ss. Trinitatis invocationem. Ergo ad formam Baptismi hæc distincta invocatio necessario requiritur.

Cardo quæstionis est in minore propositione. Ad eam probandam in evangelio unicum habemus testimonium Matthæi c. ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Fatemur ex hisce verbis, si sola considerentur, distinctam invocationem quidem suaderi, sed non adeo evidenter ostendi necessariam. Possent enim ea verba exponi vel de fide Trinitatis, ut baptizemus in fide Trinitatis, vel etiam de auctoritate, idest ut baptizemus auctoritate a Deo accepta. Si tamen ad hunc locum adiungamus Ecclesiæ auctoritatem, certissime constat, illam invocationem trium distincte Personarum ad formam Baptismi ex Christi præcepto pertinere. Etenim 1° Ecclesia semper eos rebaptizari iussit, qui aliter, quam sub hac expressa Personarum divinarum invocatione baptizati erant. Ita statuit de iis, qui redibant ex Gnosticis, Montanistis, Sabellianis, Paulianistis, Eunomianis et Anomæis, qui omnes suam hæresim in forma Baptismi exprimere solebant. Verum etiam 2° diserte ss. Patres docuerunt, legem dominicam baptizandi exposito sensu esse accipiendam. S. Cyprianus in ep. ad Iubaian. c. XVIII ex proposito docet, non valere Baptismum in solo Christi nomine collatum, eo *quod Christus gentes baptizari iubeat in plena et adunata Trinitate.* Adduci possent Tertullianus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Athanasius, qui cum aliis citantur a Suaresio et communiter a Theologis (1).

(1) Sæpius legimus quosdam baptizatos fuisse *in nomine Iesu Christi* Act. II, VIII, X, XIX. Hinc quæstio orta est inter Theologos, quid de hoc baptismate sit tenendum. Qua de re *triplex* est sententia. *Prima* censet Baptismum in nomine Christi valere: eam tuentur Beda, Petrus Lombardus, Orsi et saltem permittere videtur Nicolaus I in responsione ad Bulgaros. *Altera* tenet ex *speciali dispensatione* Apostolos in nomine Christi valide baptizasse, ut illud nomen honorabile infidelibus redderetur; deinceps vero illam dispensationem cessasse. Ita S. Bonaventura et S. Thomas. *Tertia* communior et certa sententia atque in praxi omnino tenenda statuit, Baptismum in solo Christi nomine collatum semper fuisse et esse invalidum. Baptismus vero, qui passim in Scripturis dicitur collatus *in nomine Christi,* idem esse videtur ac *Baptismus Christi* vel melius *Baptismus collatus auctoritate Christi.*

II. Quod autem, præter hanc divinarum Personarum invocationem, requiratur etiam ut exprimatur actus Baptismi, dubitarunt vel etiam denegarunt antiquiores aliqui Theologi, quia illa expressio non videbatur exigi in adducto Christi præcepto et nondum constabat de expressa Ecclesiæ definitione. Verum etiam in hac re, quæ fuerit dominica voluntas, Ecclesia, optima et unica eiusdem voluntatis interpres, iam satis ostenderat ipsâ perpetuâ praxi, tum in Occidente tum in Oriente servata, semper exprimendi actum baptizantis et personam baptizandam, idque per verba: *Ego te baptizo* apud Latinos et per alia: *baptizatur manibus meis talis servus Christi,* aut per æquivalentia, apud Græcos. Verborum illorum in forma Latinis usitata primus meminit S. Gregorius M. sec. VI in suo *Sacramentario;* verum meminit huius formæ, non tanquam recenter a se primum inductæ, sed tanquam iam notæ et usitatæ in Ecclesia occidentali.

Rationem autem a priori reddit Doctor angelicus, quia sola illa verba: *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* etiam cum ipsa lotione externa, non determinate significant id, quod hoc Sacramento significari debet. Nam posset fieri lotio ad refrigerandum aut curandum ab aliquo morbo, et ad id etiam recte, ex præcepto apostolico, invocaretur auxilium Ss. Trinitatis. Itaque addendum est verbum *Baptizo,* quo, ex usu ecclesiastico, significatur purgatio a sordibus non tam carnis, quam spiritus (1).

SCHOLION.

De effectibus Baptismi.

907. Baptismi effectus alios longe a Catholicis statuerunt Protestantes, nimirum quod Baptismus peccatum quidem non tollat, sed illud ita tegat, ut baptizatus non possit damnari, etiamsi velit, nisi nolit credere; quod Baptismus liberet ab observantia humanarum legum, imo legis divinæ, item ab omnibus votis; quod sola memoria Baptismi salvet a peccatis post ipsum admissis. At nemo non videt, hos non tam esse Baptismi effectus, quam Lutheranorum errores, merito damnatos a Tridentino Sess. VII, totidem can. 6, 7, 8, 9, 10.

908. Econtra veri effectus Baptismi sequentes sunt:

(1) *Sum. theol.* III, q. 66, a. 5 ad 2; Cfr. Bellarm. *De Baptismo,* l. I, c. III.

1° *Tollit peccatum omne, originale et actuale, et omnem quoque pœnam temporalem remittit.* Id *de fide* est ex Tridentino definiente, per Baptismi gratiam *tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet,* et *nihil* esse *damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem.... ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur* (1). Res evidens est in Scripturis et Patribus. Iuxta hanc fidem nunquam Ecclesia opera satisfactoria iniunxit pro peccatis, etiam gravissimis, ante Baptismum patratis. Ratio ipsa confirmat ex eo, quod Baptismus est et dicitur spiritualis regeneratio et renascentia (2). Renascentia enim spiritualis importat depositionem totius veteris hominis et præterea consecutionem novæ naturæ. Ergo Baptismus destruit id omne, quod mali et damnationis erat in baptizato, simulque eidem infundit novam naturam, seu

2° *Infundit gratiam sanctificantem aliaque dona divina et virtutes,* docente Tridentino, Baptismum esse causam instrumentalem iustificationis, *quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum* (3). Alios post se effectus hæc gratia trahit, de quibus uberius in tractatu *De gratia.*

3° *Imprimit characterem in anima,* prouti vidimus superius. Exinde baptizatus incorporatur Ecclesiæ, ipsique Christo ceu membrum unitur et configuratur, iuxta illud Pauli: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.... Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu* (4); præterea ius acquirit ad specialia gratiæ actualis auxilia pro assequendo Baptismi fine implendisque sponsionibus in illo suscipiendo factis.

Ad hos revocantur illi effectus, quos Patres enumerant et maxime Nazianzenus et Chrysostomus, nimirum quod Baptismus faciat animam pulchram, Deo dilectam, splendentem, quod eam obsignet regio sigillo, quod faciat heredem Dei, quod aperiat regnum cœlorum et similia (5).

(1) Sess. v, *De pecc. orig.* can. 5.
(2) S. Thomas l. IV *Contra Gent.* c. 59. *Quia generatio unius..*
(3) Sess. vi, cap. 7.
(4) *Ad Gal.* iii, 37.
(5) Bellarminus, *De Baptism.* c. xii, xiii.

CAPUT II.

DE BAPTISMI ADMINISTRATIONE.

909. Sub hoc titulo plures quæstiones institui possunt: a quo, quibus et quomodo Baptismus administrandus sit. Omnium vero potissima est illa: *quibus* Baptismus conferri *debeat* aut *possit*. Videbimus, eum conferri debere omnibus omnino hominibus, tanquam necessarium ad salutem; et nominatim etiam infantibus valide et licite conferri posse, adeo ut, cum adoleverint, obligatione Baptismi revera teneantur. Ad duplicem hanc veritatem tuendam duæ erunt theses: de *necessitate Baptismi* et de *Baptismo infantium*. Dicemus deinceps pauca et transeunter de aliis quæstionibus *a quo* et *quomodo* conferri debeat Baptismus, seu de eius *ministro* et *cæremoniis*.

THESIS VIII.

Baptismus aquæ est omnibus ad salutem necessarius necessitate medii: suppleri tamen potest per martyrium, et in adultis etiam per veram contritionem cum voto suscipiendi Baptismum.

910. Declaratio. — Thesis duas habet partes. In *prima* asseritur generatim, Baptismum in aqua esse omnibus ad salutem necessarium, non tantum necessitate præcepti, quod omnes admittere debent ex evidentissima Christi lege: *docete omnes gentes baptizantes eos;* verum etiam necessitate *medii*, quatenus scilicet, Baptismo etiam inculpabiliter omisso, nequeat obtineri salus. Verum hæc necessitas medii non est *prorsus absoluta;* proindeque in *secunda* parte asseritur, Baptismum suppleri posse, sive in adultis sive in infantibus, *martyrio* (1), quod propterea dicitur *baptismus sanguinis*, et in adultis etiam *contritione* caritate perfecta, quæ Baptismi votum includat et quæ idcirco dicitur *baptismus flaminis*. Prima pars *de fide* est ex Tridentino, Sess. VII,

(1) *Martyrium* definitur: *perpessio mortis aut lethalis cruciatus pro Christi fide, vel pro virtute christianæ fidei.* Unde duo sunt de essentia martyrii: primum, velut *materiale*, mors ipsa vel cruciatus illativus mortis: alterum, veluti *formale*, illius mortis vel cruciatus illatio ex odio fidei vel propter opus aut virtutem christianæ fidei. Wirceburg. theol. *De Bapt.* n. 75.

can. 5: *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; a. s.* Altera pars, licet non expresse definita, spectat ad *certam* Ecclesiæ doctrinam. Baptismi *votum* valere ad salutem supponit Tridentinum, ubi pronunciat, iustificationem *sine lavacro regenerationis, aut eius voto, fieri non posse* (1).

911. Demonstratur Pars I. — Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, quod est medium ita per se ordinatum ad salutem, ut, eo etiam inculpabiliter omisso, non possit obtineri salus: atqui ita Baptismus ad salutem ordinatus est, ut, Baptismo etiam inculpabiliter omisso, obtineri salus non possit. Ergo....

Porro *minor* probatur 1° ex *verbis* Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (2). Quæ sententia est plane universalis, æque parvulos quam adultos involvens; etiam igitur infantes, si Baptismo priventur, licet id sit absque eorum culpa, tamen non possunt obtinere salutem. Hic sensus dominicæ sententiæ confirmatur ex ratione adiecta: *Quod natum est ex carne, caro est.... Oportet vos nasci denuo.* Quæ ratio pro necessitate Baptismi sane est aliquid in omnibus hominibus ex Adamo progenitis suapte natura insertum, independenter ab eorundem voluntate. Idipsum 2° constat ex *Traditione,* præsertim ex disputatione cum Pelagianis. Cum enim hi contenderent, parvulos sine Baptismo posse consequi vitam æternam; ideo damnati sunt, atque sæpius in pluribus conciliis declaratum fuit, parvulos sine Baptismo perire. Ideo scribit Augustinus ad Renatum: *Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes antequam baptizentur morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus* (3). Accedit praxis Ecclesiæ, quæ, ipso Augustino teste, maxime sollicita semper fuit, ne sine Baptismo infantes decederent, unde baptizandi facultatem, in casu necessitatis, etiam laicis etiam mulieribus indulget, et sine Baptismo defunctos non credit pertinere ad Ecclesiam nec sepultura sacra donat. Neque desunt 3° *principia* ad rem confirmandam, inter quæ est illud, quod infantes nequeunt Spiritu vivificari nisi vel ex opere operantis vel ex opere operato: sed non ex opere operantis, cuius sunt incapaces: ergo ex opere operato,

(1) Trid. Sess. vi, cap. 4; Sess. xiv, *De Pœnit.* cap. iv.

(2) Ioan. iii, 5.

(3) August. l. III, *De anima et eius origine* c. ix. Aliorum Patrum sententias vide apud Bellarminum l. I, c. iv.

proinde per Sacramentum : sed Sacramentum, ad vitam spiritualem primo conferendam institutum, est Baptismus. Ergo citra Baptismum, infantes vitam salutis consequi nequeunt.

912. Pars II. — I. Martyrium, quod aliquis non baptizatus subit, mortem aut lethalem cruciatum pro Christo tollerando, supplet vices Baptismi aquæ, tam in infantibus quam in adultis, quoad remissionem culpæ omnis et pœnæ ; idque *quasi ex opere operato*, ut quædam realis imitatio passionis Christi, quæ etiam in Sacramento est prima causa meritoria iustificationis.

Id 1° generaliter affirmat Christus : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (1). Tum 2° ex Patribus auctor constitutionum apost., ait quod cruciatus, quo cathecumenus propter Deum afficitur, *erit illi verior baptismus* (2). Tertullianus cum dixisset præter aquæ lavacrum adesse etiam lavacrum sanguinis, de quo ipse Dominus tingi optabat, addit : *Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repræsentat et perditum reddit* (3). Clarius Augustinus : *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis* (4). Quare 3° Ecclesia colit et invocat tanquam sanctos etiam martyres cathecumenos, uti S. Emerentianam, etiam infantes, si qui pro Christo mortem subierunt, uti illi sunt, quos Herodes occidit, et de quibus canit Ecclesia, quod *non loquendo, sed moriendo Christum confessi sunt.* In adultis autem, ut iustificentur martyrio, requiritur saltem *attritio* cum voto etiam implicito baptismi aquæ.

II. Baptismus aquæ suppleri etiam potest baptismo *flaminis* seu desiderii, qui aliud non est, quam actus caritatis vel *contritionis perfectæ* votum Sacramenti includens.

Res est evidens 1° ex eo, quod per caritatem aut perfectam contritionem infallibiliter confertur gratia iustificans, iuxta ipsius Christi promissionem : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum* (5). Porro qui hoc supernaturali amore diligitur a Deo, iam est iustificatus ; proindeque iam obtinet id saltem, quod est principalis effectus

(1) Matth. x, 39.
(2) Lib. V, cap. 5.
(3) Tertul., *De Bapt.* c. xvi.
(4) *De civit.* l. XIII, c. 7.
(5) Io. xiv, 21.

Baptismi, scilicet remissionem culpæ; licet forte supersit aliqua adhuc pœna luenda pro peccatis. Id 2° confirmatur exemplo Cornelii centurionis et suorum, qui Spiritum Sanctum antequam baptizarentur acceperunt (1). Hinc 3° S. Ambrosius Valentinianum imperatorem cum solo baptismo flaminis defunctum suffragiis Ecclesiæ adiuvari voluit et, in eius funebri oratione, inter alia dixit: *Quod si martyres suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas* (2). Et expressius Augustinus: *Invenio*, inquit, *non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum sucurri non potest* (3). Unde et apparet, quod huiusmodi caritatis baptismus valet tantum *ex opere operantis* et in operante præsupponit fidem et spem theologicam et consequenter notitiam divinæ revelationis, vel illius saltem principalis fidei articuli, de quo Paulus ad *Heb.* xi, 6.

III. Pro valore utriusque baptismi, flaminis et sanguinis, ita perbelle argumentatur S. Thomas: « Baptismus aquæ efficaciam habet a passione Christi, cui aliquis configuratur per Baptismum et ulterius, sicut a prima causa, a Spiritu Sancto. Licet autem effectus pendeat a prima causa, causa tamen superexcedit effectum, nec dependet ab effectu. Et ideo præter Baptismum aquæ potest aliquis consequi sacramenti effectum ex passione Christi, in quantum quis ei conformatur, pro Christo patiendo. Unde dicitur Apocal. 7, 14: *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Eadem etiam ratione aliquis per virtutem Spiritus Sancti consequitur effectum Baptismi, non solum sine Baptismo aquæ, sed etiam sine baptismo sanguinis; in quantum scilicet alicuius cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum et diligendum Deum, et pœnitendum de peccatis; unde etiam dicitur baptismus pœnitentiæ » (4).

Qua ratione attenta, apparet Baptismo aquæ potiorem esse baptismum flaminis, utroque baptismum sanguinis. Nam illæ « duæ causæ, passio Christi et Spiritus Sanctus, operantur quidem in quodlibet trium baptismatum, excellentissime tamen in baptismo sanguinis: nam passio Christi operatur quidem in Baptismo aquæ per quamdam figuralem repræsentationem; in baptismo autem flaminis vel pœnitentiæ per quam-

(1) *Act.* ix, 44.
(2) In obitu Valentiniani.
(3) August. l. IV, *De Bapt.* cap. xxii.
(4) *S. th.* iii, 66, 11.

dam affectionem; sed in baptismo sanguinis per imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritus Sancti operatur in Baptismo aquæ per quamdam virtutem latentem; in baptismo autem pœnitentiæ per cordis commotionem; sed in baptismo sanguinis per potissimum dilectionis et affectionis fervorem, secundum illud Ioan. XV, 13: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* » (1).

Tamen hæc comparatio accipi non debet in ratione Sacramenti. Cum enim solus Baptismus aquæ sit Sacramentum, tum sub hac ratione in eo alii duo continentur, qui nec valere possunt nisi illius votum implicite contineant. Inde etiam apparet, non tolli unitatem Baptismatis, quam profitemur in symbolo (2).

THESIS IX.

Baptismus infantibus quoque valide et licite conferri potest, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, rebaptizandi non sunt; neque sunt interrogandi an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt.

913. DECLARATIO. — Thesis habet tres partes. *Prima* est, valide et licite infantes baptizari, unde sequitur *altera* pars, eos non esse rebaptizandos, cum ad annos discretionis pervenerint. Utrumque asseritur contra Anabaptistas, qui ex lutherano principio, sacramenta esse tantum ad excitandam fidem, inferebant, infantes utpote actuum fidei incapaces frustra baptizari. *Tertia* pars asseritur contra Protestantes generatim qui, innixi principio, neminem invitum obligari posse ad servandum id, quod alius eius nomine promisit, contendunt parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse an ratas habeant promissiones Baptismi a patrinis eorum nomine nuncupatas: id, quod in praxim deduxerunt illo ritu, quem dicunt *confirmationem*. Omnia sunt *de fide* ex Conc. Tridentino, Sess. VII, primum et alterum ex can. 13, tertium ex can. 14 de Baptismo. Prior canon ita sonat: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis*

(1) III, 66, 12.
(2) S. Th. III, 66, II.

pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; a. s. Canon alter ita est: *Si quis dixerit, huiusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec aliâ interim pœna ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: a. s.*

914. Demonstratur Pars I. — I. Ex ss. literis nullum quidem testimonium *disertum,* attamen aliquod habemus 1° certum *principium,* ex quo argumentari possumus. Ex eo enim, quod legimus, Deum voluntate sincera velle omnes homines salvos fieri, ad quos utique etiam parvuli pertinent; tum ex eo, quod ipse Christus asseruit, parvulorum esse regnum cœlorum (1), deducimus: ergo infantes beatitudinis capaces sunt. Atqui ad beatitudinem absque Baptismo pervenire non possunt, quia neque infantes ab illa eximuntur lege: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo infantes, quia beatitudinis capaces, hoc ipso etiam Baptismi capaces sunt. Accedit 2° haud improbabilis *coniectura,* quod Apostoli parvulos quoque baptizaverint; nam narratur, integras familias fuisse baptizatas, ut illam Lydiæ purpurariæ, illam custodis carceris, quo Paulus detinebatur, illam Stephanæ (2).

II. Sed validius veritas hæc confirmatur *Traditione* theoretica et practica adeo splendida, ut ipsi Protestantes coacti fuerint *pædobaptismum* retinere; licet, ex eorumdem principiis, et Traditio in rebus fidei sit prorsus contemnenda, et Baptismus in infantibus sit omnino inutilis, quum nullum fidei actum in eis excitare possit. Huiusmodi in Ecclesia traditio maxime elucet ex controversia cum Pelagianis; nam adversus eos argumentum fere præcipuum pro originali peccato Patres urgebant ex eo, quod etiam infantes baptizarentur. Pelagiani autem nunquam ausi sunt negare huius Baptismi sive valorem sive utilitatem, scientes quod nimis insitam et publicam christianorum fidem commovissent. Verum etiam ante quæstionem pelagianam, de praxi baptizandi

(1) Matt. xix, 15; Marc. x; Luc. xviii, 15. Pueri illi a Luca dicuntur *βρέφη*. *βρέφος* vero significat infantem tenellum vel lactantem. Deinde a Luca dicuntur allati vel adportati *προσέφερον*.

(2) *Act.* xvi, 13, 33; I[a] *Cor.* i, 16.

infantes præclare testatur Cyprianus in epistola synodica ad Fidum. Hic postulaverat, utrum infantem liceret baptizare ante octavum a nativitate diem, dum circumcisio nonnisi octavo die peragi licebat. Respondet s. Pater, quod a *Baptismo atque a gratia prohiberi.... non debet infans....* (1). Ante Cyprianum testatur Origenes, quod *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis Baptismum dare* (2). Cuius traditionis citari adhuc possent testes vetustiores Irenæus, Auctor Constit. apost., Dionysius; sed in re evidentissima, satis.

III. Demum ex nulla parte ratio apparet, cur infantes a Baptismo arceri debeant. Non ex parte *Dei* eos baptizari vetantis, quia vetum nullum exstat, sed potius contrarium ex scriptura et traditione colligitur, sicuti vidimus: non ex parte *Sacramenti,* quod, quantum est de se, ex opere operato producit effectum: non ex parte *ministri,* qui materiam et formam æque applicat parvulo quam adulto: non ex parte *subiecti,* in quo requirantur dispositiones, quarum infantes sint incapaces; nam pueri sicut habitualiter solum aversi a Deo sunt, ita citra dispositiones actuales, ad Deum habitualiter converti possunt: non denique ex parte *Ecclesiæ,* quæ nullum possit per Baptismum acquirere ius in infantes ob eam rationem, quod nemo nisi propria voluntate, si liber natus est, subiici alteri debeat; nam infans eo ipso quod homo natus est, iam antecedenter ad suam voluntatem subditur legi divinæ, quæ omnes homines obstringit, ingrediendi Ecclesiam proindeque suscipiendi Baptismum (3).

915. Pars II est evidens corollarium antecedentis. Si enim infantes valide baptizari possunt, non licet eos, cum adoleverint, rebaptizare. Hæc enim est voluntas Christi institutoris, ne Baptismus, semel valide collatus, iteretur. Constat ex sacra Scriptura, ubi Paulus dicit: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati.... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam,* scilicet ad eam pœnitentiam, quæ in adultis

(1) Cyprianus, *epist.* 63. Scripta ea fuit post a. 252 nomine synodi 66 episcoporum, summique momenti est ac fere tota de pædobaptismo.

(2) Origenes, l. V, *in ep. ad Rom.* c. IX.

(3) Eos tamen non liceret pueros baptizare, quorum infideles parentes essent inviti, quia id esset violare ordinem naturæ, quæ filios, ante usum rationis, ponit sub cura et providentia parentum, et insuper esset exponere Sacramentum profanationi. Excipe casum necessitatis, uti in mortis articulo, ex illo principio quod in extrema necessitate omnia bona sunt communia. Si autem quocumque modo contingat aliquem infidelium puerum, etiam parentibus invitis, fuisse baptizatum; ipso facto sub Ecclesiæ iure is remanet constitutus, cui Ecclesiæ iuri ius paternum cedere debet. Ita S. Thomas, III, 68, 10; cfr. 2-2, 10, 12. Cfr. *Civiltà Catt.* Series 3ª, vol. 12, pag. 385.

requiritur veluti dispositio ad Baptismum (1). Constat evidentius ex perpetua doctrina et praxi Ecclesiæ, quæ Baptismi iterationem quovis tempore exhorruit. Rationes vero afferri solent, quia non iteratur peccatum originale, ob quod præsertim Baptismus est institutus; quia indelebilis est character per Baptismum impressus.

916. Pars III. — Qui docent, pueros baptizatos non obligari promissionibus, quas pro ipsis patrini noncuparunt, nisi eas ratas habuerint, innituntur illo principio, quod nemo invitus obligatur ad id, quod alius eius nomine promisit. Sed 1° hoc principium, ita generatim acceptum, falsum est. Sicut enim ex ipso iure naturali et civili tenentur parentes et tutores infantibus consulere, quamdiu sibi ipsi providere nequeunt; ita parvuli, cum adoleverint, tenentur ea servare pacta, quæ in eorum utilitatem pro ipsis parentes vel tutores inierunt. Ergo pariter, sicut parentes infantum et tutores, quales sunt patrini et Ecclesia, tenentur eis procurare Baptismum, quia ad eorum salutem æternam est omnino necessarius; ita ex sua parte infantes, cum adoleverint, iis obstringuntur obligationibus, quas Baptismus secum fert et quas ipsi, per patrinos, declararunt sibi sumpsisse adimplendas. Accedit autem 2° quod illud principium, ex qua parte aliquando verum est, nullo modo applicari potest promissionibus Baptismi. Non ideo enim infantes obstringuntur Baptismi obligationibus, quia id pro ipsis promiserunt patrini: sed potius id patrini promiserunt, quia iam antecedenter infantes ex lege divina universali tenebantur, cum primum habuissent sufficientem rationis usum, recipere Baptismum et consequenter sese subiicere obligationibus, quas suapte vi Baptismus secum fert. Hinc absonum omnino est, quod parvuli, cum adoleverint, interrogentur utrum ratas habere velint promissiones, quas tum per se, ex lege divina, spondere deberent, si id per patrinos nondum fecissent. Exinde apparet, eas promissiones proprie non esse nisi *declarationes* suscipiendi obligationes, quæ iam aliunde tenent.

SCHOLIA.

I. *De Baptismi ministro.*

917. Ad *validitatem* quod attinet, omnis homo, etiam mulier, etiam infidelis est validus minister Baptismi. Ita constat ex traditione con-

(1) *Heb.* VI, 5.

stanti Ecclesiæ et ex aperta Lateranensis IV definitione: *Sacramentum Baptismi... a quocumque rite collatum proficere ad salutem* (1). De Baptismo iam scripserat Augustinus, quod *si nulla necessitate usurpetur et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum* (2). Congrua ratio huius facultatis, quam Christus omnibus fecit valide baptizandi, evidenter est summa huius Sacramenti necessitas (3).

918. *Licite,* iuxta leges divinas et canonicas, minister *solemnitatis* et quidem *ordinarius,* ex potestate, est episcopus et deinde presbyter, hodie regulariter parochus (4); *extraordinarius,* ex concessu, est diaconus. Minister autem *necessitatis* est omnis homo viator etiam laicus, etiam mulier, etiam hæreticus vel schismaticus vel infidelis. Hoc ex praxi et sensu Ecclesiæ iam expresserat Tertullianus ubi scribit: *Dandi quidem* (Baptismum) *habet ius summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem..., alioquin etiam laicis ius est* (5). Et Concilium Florentinum in decr. ad Armenos: *In causa autem necessitatis non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest.*

II. *De Baptismi cæremoniis.*

919. Baptismi administratio altera est *solemnis* et publica, quæ in ecclesia fit cum præscriptis cæremoniis et ritibus, quæque olim celebrabatur certis temporibus Paschatis et Pentecostes: altera *privata,* quæ sistit in solo ritu essentiali ablutionis sub invocatione divinarum personarum, quæque ad exigentiam necessitatis quovis loco, a quolibet homine, sine aliis ritibus fieri potest.

Cæremonias, quæ in solemni administratione adhibentur, recensisse sufficiat. Ad generales pertinent *locus sacer* et *benedictio fontis.* Ad particulares spectat usus vetustissimus sponsorum, qui nunc *patrini* dicuntur, et spectant præterea aliæ plurimæ cæremoniæ. Quæ præcedunt Baptismum sunt: *statio ad fores Ecclesiæ, catechismus, exorcismus,*

(1) Later. IV, Cap. *Firmiter.*
(2) August. l. II, *Const. epist. Parmeniani,* n. 29.
(3) S. Thomas III, 67, 3.
(4) Ex Rit. Rom. *De min. Bap.*
(5) Tertul. *De Bapt.,* n. 7.

sal, signa crucis, saliva et *ad fontem accessio.* Quæ concomitantur: *abrenuntiatio, fidei professio, petitio Baptismi.* Subsequuntur *inunctio chrismate, vestis candida, cereus ardens, nominis impositio.* Explicatio horum rituum est in catechismo romano (1).

920. Nemini profecto dubitare licet, cæremonias istas et maximi æstimandas et accurate observandas esse. Id enim de omnium Sacramentorum cæremoniis decrevit concilium Trid. Sess. VII, can. 13: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiasticum pastorem mutari posse; a. s.* Cuius decreti ratio est *potestas legislativa,* quam Ecclesia accepit a Christo ad ea statuenda, quæ externum Dei cultum promoverent et in bonum animarum cederent: in qua potestate potestas quoque continetur instituendi cæremonias in Sacramentorum administratione. Nam cæremoniæ huiusmodi ad duplicem illum finem assequendum maxime inserviunt, sive scilicet ad maiestatem et reverentiam mysteriis nostræ religionis conciliandam, sive ad maiorem intelligentiam et pietatem fidelium excitandam et fovendam. Huius autem potestatis argumentum directum dat ipse Paulus, ubi de Eucharistiæ celebratione loquens, ait: *Cetera, cum venero, disponam* (I ad Cor. V, 24). Quæ verba nonnisi accidentia Sacramenti respicere possunt, cum essentialia a Christo præcepta iam nota Corinthiis esse deberent.

(1) Catech. rom. Pars II *de bapt.* n. 50 et seq.

TRACTATUS

DE CONFIRMATIONE.

921. Ut renati fonte baptismatis roborentur ad agonem pro fide, alio sacramento signantur, quod ideo dicitur *Confirmatio,* quodque a materia remota dicitur etiam *chrisma,* a materia proxima *impositio manus,* a signo vel crucis in fronte vel characteris in anima nuncupatur *sigillum* vel *signaculum spiritale, dominicum, regium,* a sua ad Baptismum relatione appellatur aliquando *perfectio, consummatio, sacramentum plenitudinis.*

922. Hoc Sacramentum definiri potest: *Sacramentum quo, per manus impositionem et unctionem chrismatis in verbo, datur robur gratiæ ad profitendam et tuendam fidem in Baptismo susceptam.* Quæ definitio naturam Confirmationis adæquate exprimit, ut ex dicendis patebit (1).

923. Quod potissimum demonstrari debet est veritas huius Sacramenti, quod ex albo sacramentorum Protestantes omnino omnes expungunt. Exponemus deinde causas, quæ hoc Sacramentum conficiunt, et effectus, qui ab eo in suscipiente producuntur.

Hinc duo capitula sufficient:

I. De veritate sacramenti Confirmationis,

II. De eiusdem Sacramenti causis et effectibus.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

924. Protestantes, quia negare non possunt fuisse in veteri Ecclesia ritum aliquem, qui diceretur *Confirmatio,* finxerunt eum ritum non fuisse quidem Sacramentum a Christo Domino institutum, sed cæremoniam quandam ab Ecclesia introductam et ad instar complementi Baptismo superadditam ad instructionem, examen et exortationem puerorum, qui

(1) Theol. Wirceb. *De sacr. Confirm.* n. 124.

in infantia fuerunt baptizati. Contra monstrabimus, Confirmationem esse non meram ecclesiasticam cæremoniam, sed verum Sacramentum, sicut Baptismus, sed a Baptismo diversum.

THESIS X.

Confirmatio est verum ac proprie dictum Novæ Legis Sacramentum a Baptismo distinctum.

925. Declaratio. — Thesis *de fide* est etiam ex Conc. Tridentino Sess. VII, can. 1 ita definiente: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; a. s.*

926. Demonstratio. — Probatur 1° ex Act. VIII, 14, ubi narratur, ad Samaritanos, qui per Philippum diaconum baptizati fuerant, missos fuisse Petrum et Ioannem, qui *imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum:* et antea dicitur, illos Apostolos, cum venissent, *oravisse* pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Item Act. XIX, 5 et 6 de duodecim discipulis ephesiis narratur, quod *baptizati sunt in nomine Domini Iesu: et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos; et loquebantur linguis et prophetabant.* Ex quibus hoc instituitur argumentum; ad verum ac proprie dictum Sacramentum requiruntur sequentia: 1° signum sensibile, 2° collativum gratiæ, 3° divinitus institutum. Atqui ea singula habentur in impositione illa manuum, de qua agitur in adductis Actuum locis. Nam habetur 1° signum sensibile i. e. impositio manus cum oratione; illudque 2° collativum gratiæ, quia per illam manus impositionem dabatur Spiritus Sanctus, cuius nomine *principaliter* gratia sanctificans intelligitur (1);

(1) Dicit Calvinus, Apostolos manus imponendo non dedisse nisi dona quædam loquendi linguis et miraculorum. Sed hoc falsum est. Nam dona illa gratis data non dicuntur in Scripturis simpliciter Spiritus Sanctus. Hic tantum in iustis habitat, dum illa dona etiam in peccatoribus inveniri possunt. Ceterum per manus impositionem Spiritus dabatur, quem Dominus promiserat Io. c. XIV, XV, XVI, et ultimo. At inibi Dominus promisit non donum linguarum, sed gratiam Spiritus intus roborantis et confirmantis in fide. Ergo per illam impositionem dabatur gratia interna roborans seu adiumentum gratiæ

et quidem 3° divinitus institutum; nunquam enim Apostoli ita ordinarie ac secure imposuissent manus, ut daretur Spiritus Sanctus, nisi mandatum Domini tenuissent, cui uni spectat potestas excellentiæ annectendi sensibilibus signis infallibilem gratiæ collationem (1). Ergo impositio illa manus est verum et proprie dictum Sacramentum, et quidem distinctum a Baptismo; imponebatur enim manus iam baptizatis, et quidem non ab eo semper qui Baptismum administraverat, sed ab alio ministro inter eos, qui in Ecclesia excellerent.

Ne vero quis insistat, Apostolorum tantum hoc fuisse privilegium, ut per impositionem manuum dona gratis data divini Spiritus conferrent, præsto est 2° *Traditio* ostendens, quod si deinceps donum linguarum cessavit, non ideo cessavit ille ritus ab Apostolis adhibitus; sed eum constanter tenuit Ecclesia. Ergo non ad alium finem, nisi ut conferret, sin minus amplius donum linguarum, certe adhuc, licet modo invisibili, Spiritum Sanctum. Et revera huius ritus usum fuisse universalem in Ecclesia, neque novatores denegare possunt, dum pro illo fidem faciunt Græci schismatici et sectæ ipsæ Orientis ab Occidentali Ecclesia iam inde a sec. V disiunctæ. Verum sec. V testem habemus cum aliis Augustinum, qui respiciens ad manuum impositionem, de qua in Act. VIII, scribit: *Quem morem in suis præpositis* (scil. episcopis) *etiam nunc servat Ecclesia* (2), de quo more alibi inquit: *In hoc unguento Sacramentum chrismatis vultis interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus* (3). Seculo IV de *chrismate,* quod post lavacrum baptizati accipere debent, loquitur conc. Laodicenum; item conc. Eliberitanum de baptizato ad episcopum perducendo, *ut per manus impositionem perfici possit.* Eodem fere tempore Cyrillus hierosolymitanus adeo clare de hoc Sacramento, integra catechesi XXI, disserit, ut

sanctificantis, tanquam effectus saltem *principalis* et *ordinarius.* Cetera dona externa erant ipsius manuum impositionis effectus *secundarius* et *extraordinarius* pro necessitate illius temporis, quo nova doctrina prædicanda erat.

(1) Bellarm. *De Confirm.* cap. II. Et S. Thomas: " ideo dicendum est quod Christus instituit hoc Sacramentum non *exhibendo*, sed *promittendo* secundum illud Io. XVI, 7: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem „ (III, 71, 1 ad 1^{m}). Apostoli autem *primitias* seu plenitudinem Spiritus Sancti, sine sacramento, receperunt in die Pentecostes (ibid. art. 2 ad 1^{m}).

(2) Aug. l. XV, *De Trin.* c. XXVI, n. 46.

(3) Idem, l. II, *contra literas Petiliani* c. CIV.

ex protestantibus Chemnitius illud per contemptum appellet *chrisma cyrillianum.* Ante Cyrillum, sec. III, inter testes apertissimos citantur S. Cornelius papa et S. Cyprianus. Hic scribens de illa impositione, quæ Act. VIII refertur, ait: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur et signaculo dominico consummentur* (1). Clarius, si possibile est, de Confirmatione, uti de vero Sacramento, loquitur Tertullianus, exeunte sec. II, idque tribus præsertim locis, in libro *de præscriptionibus* n. 36 in alio *de resurrectione carnis* loco iam superius citato et in illo *de Baptismo* cap. VII et VIII, ubi scribit: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione... In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit; quomodo et ipsius Baptismi carnalis actus quod in aqua mergimur, spiritualis effectus quod delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum.* Porro hic Tertullianus ritum exprimit distinctum a Baptismo eiusque cæremoniis, quia eum dicit conferendum egressis de lavacro, et Baptismo ipsi comparat et opponit; ac sicut Baptismo ita illi tribuit vim producendi spiritualem gratiæ effectum, quod nonnisi solis veris sacramentis convenit. Imo nitide adæquatum exprimit huius Sacramenti sensibile signum, quo Spiritus Sanctus invitatur, scilicet *unctionem* et *manus impositionem* cum *benedictione.*

Falso itaque dixit Calvinus in suo *antidoto* Conc. Tridentini, quod *olei qui faciat mentionem nemo est ex veteribus;* et inepte adductis Patrum testimoniis responderunt, uti solent, Protestantes, ritum illum, de quo loquuntur Patres, fuisse tantum cæremoniam ecclesiasticam Baptismo superadditam.

Demum 3° *congruam rationem* huius instituendi Sacramenti S. Thomas desumit ex comparatione vitæ spiritualis cum corporali. Sicut enim in vita corporali, præter motum generationis ad eandem vitam producendam, est motus augmenti, qui hominem perducit ad perfectam ætatem; ita in vita spirituali, præter baptismi regenerationem ad eandem vitam primo conferendam, Confirmatio esse oportet, qui hominem perducat quasi ad quandam perfectam ætatem spiritualis vitæ. Unde Melchiades papa dicit: « in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post baptismum roboramur » (2).

(1) Cyprianus, ep. 73 *ad Iubaian.* n. 9.
(2) *Summ. theol.* III, 76, 1.

CAPUT II.

DE CONFIRMATIONIS CAUSIS ET EFFECTIBUS.

927. Ut huius Sacramenti natura satis innotescat, dicemus de causis Confirmationis intrinsecis, quæ sunt *materia* et *forma;* de eius causis extrinsecis, quæ sunt *minister* et *subiectum;* de eiusdem *effectibus.* Seligemus præcipua, quæ scitu necessaria sunt, eaque paucis attingemus, quia pene omnia iis anticipata fuerunt, quæ ad probandam superiorem propositionem adduximus.

I.

Materia et forma Confirmationis.

928. Ex testimoniis adductis iam noscimus huius Sacramenti materiam proximam, unde per se patet remotam esse duplicem, nimirum: *impositionem manus* ad significandam derivationem virtutis a Christo, et *chrismationem* seu unctionem chrismate factam in fronte ad effectus sacramenti expressius significandos. Chrisma enim in *oleo* gratiam roborantem Spiritus Sancti designat, in *balsamo* bonum Christi odorem seu fragrantiam bonæ famæ significat, quæ in alios redundat. Unctio autem fit signo crucis in fronte et ut confirmatus in manifesto se ostendat christianum esse, et ne nomen Christi ob timorem vel erubescentiam confiteri prætermittat. Id pulchre explicat S. Thomas, III, 72, 2 et 9 et l. IV *cont. Gent.* c. 60.

Sunt tamen diversæ sententiæ ad rem componendam. *Prima* sententia censet, materiam proximam esse tantum *manus impositionem,* de qua sola loquuntur ss. literæ. *Altera,* quæ placuit Thomæ et Bellarmino, docet manus impositioni substitutam fuisse *unctionem* et modo hanc solam essentialem esse. *Tertia* statuit, vel duplicem *seorsum* materiam vel *alterutram* esse essentialem. *Quarta* sententia tuetur ad materiam sacramenti *simul* cum unctione requiri manus impositionem, non quidem eam, quæ fit ante chrismationem et ab hac seiungitur, sed alteram, quæ habetur in ipsa chrismatione neque ab hac distinguitur. Quam sententiam iam fere omnes præferunt. Nam eâ conciliantur Traditionis monumenta, quæ faciunt mentionem modo huius modo illius,

tanquam ritus maxime proprii, quo hoc administretur Sacramentum. Cum vero improbabile sit, quod duplex *seorsum* adhiberi debeat materia vel quod *alterutra;* hinc teneri debet, ex duabus illis materiis partialibus constitui *unam* adæquatam materiam (1).

Quod autem materia ad unctionem adhibenda sit chrisma, seu *oleum balsamo mixtum,* patet ex antiquissimo usu utriusque Ecclesiæ Occidentalis et Orientalis.

929. Ex designata materia, apparet quod *forma* erunt verba, quæ episcopus pronunciat, dum pollice manus in capite confirmandi impositæ eius frontem inungit. Videlicet, apud Latinos sunt verba hæc vel æquivalentia: *signo te signo Crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (2); et apud Græcos: *signaculum doni Spiritus Sancti* (3), ubi iuxta idiomatis indolem subauditur, *ecce,* vel: *tibi datur.* Et revera, sicuti proprium est formæ, dicta verba: *signo te, confirmo te,* determinant materiam ad significandum confirmationis effectum, qui est robur spirituale in fidei agone. *Ss. Trinitas,* quæ invocatur, est huius gratiæ prima causa; signum *Crucis* est insigne supremi Ducis Christi, pugnatoribus datum (4).

II.

Minister et subiectum Confirmationis.

930. Ex illis sive Scripturæ sive Patrum effatis, quibus superiorem thesim comprobavimus, colligis, *ministros* huius sacramenti *proprios* et *ordinarios* solos esse episcopos. Cuius rei congrua ratio est, quia ultima cuiusque operis consummatio ad supremum artificem pertinet; unde hoc Confirmationis sacramentum, quoniam opus Baptismo inchoatum perficit, ideo episcopis reservatur, qui summam in Ecclesia potestatem obtinent (5).

(1) Si quis diceret, Apostolos prius confirmasse cum nuda impositione manus, deinde vero statuisse ut impositio manus fieret cum unctione chrismatis in fronte, is rem ex eo explicaret, quod Christus materiam huius Sacramenti solum in genere alicuius signi idonei adsignasset, relicta Apostolis potestate determinandi materiam in concreto. Idem aliqui etiam de forma dicunt.

(2) Aliqui iudicant tantum ea verba: *Confirmo te chrismate salutis,* substantialia esse; quia priora characterem significant, quem forma significare non solet; posteriora desunt in forma Græcorum. *Summula theol. mor. ad usum Sem. Reatini,* Vol. III, cap. *de Confirmatione.*

(3) Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. In can. 7. Conc. CP. I, apud Mansi tom. 3, p. 564.

(4) S. Thomas III, 72, 4.

(5) S. Th. III, 72, 11.

Sed id expresse concilium Tridentinum Sess. VII, can. 2 statuit: *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; a. s.*

Si vero episcopus declaratur *ordinarius* minister, hoc ipso supponitur, simplices sacerdotes censeri posse ministros *extraordinarios*. Et revera in Oriente passim presbyteri confirmant, sane ex privilegio et tacito quasi Apostolicæ Sedis consensu et non absque episcopi delegatione. Ex plurimis vero factis liquet, id aliquando dari etiam in Ecclesia latina, attamen non absque *expressa* Romani Pontificis delegatione. Ita porro rem declarat Eugenius IV ad Armenos: *Legitur tamen, aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis sacramentum* (1). Cum vero presbyteri potestas ad confirmandum sit tantum inchoata et incompleta, quæ perfici debet delegatione *legitima* vel episcopi apud Græcos vel Romani Pontificis apud Latinos; hinc si ea delegatio deesset, non modo illicite sed etiam invalide presbyter confirmaret. Episcopus econtra, qui ex iure divino completa pollet potestate, confirmaret illicite, attamen valide, etiamsi suspensus, schismaticus vel hæreticus esset. Præterea chrismatis confectio semper ad episcopum unice pertinet.

931. Pariter ex superius allatis ss. literarum et Patrum locis apparet, *subiectum* Confirmationis constanter indicari *omnem* et *solum* baptizatum. Et revera 1° *omnis*, cui competit spiritualis generatio Baptismi, nisi impediatur, ad augmentum tendit, eoque indiget contra spirituales nequitias. Neque a Confirmatione, per se, excluditur ætas infantilis. Nam « anima, ad quam pertinet et spiritualis nativitas et spiritualis ætatis perfectio, immortalis est; et potest sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore iuventutis vel pueritiæ consequi perfectam ætatem, quia huiusmodi corporales ætates animæ non præiudicant » (2). Verum 2° *soli* baptizati confirmari debent; quia Baptismus iuxta concilia Flor. et Trid., est ianua ad sacramenta alia omnia suscipienda; et quia non datur augmentum vitæ, nisi prius detur nativitas.

(1) Denzinger, *Ench.* n. 592. Cf. Bened. XIV, an. 1745, 4 Maii, tom. I *Bullarii* sui, Instruct. 129, § 8.

(2) S. Thomas, *Sum. theol.* III, q. 72, a. 8. Græci confirmare infantes solent; hic usus etiam apud Latinos tenuit usque ad sec. XIII; et etiam nunc, si vix adsit rationabilis causa, solent infantes confirmari. Synodus Mediolanensis V, an. 1579, prohibet, ne parvuli confirmentur ante septemnium, *nisi ob iustam causam.*

III.

De Confirmationis effectibus.

932. Effectus Confirmationis principalis est augmentum gratiæ sanctificantis, quo in professione christiana perficimur, cum iure ad auxilia specialia ut fortiter profiteamur fidem (1). Ratio *primi* apparet ex iis, quæ diximus de efficientia generatim Sacramentorum omnium ad producendam gratiam vel primam vel secundam; et ex iis, quæ speciatim de Confirmatione legimus, scilicet per eam dari Spiritum Sanctum, qui porro nunquam dicitur dari aut mitti nisi cum gratia sanctificante. Cum autem gratia prima conferatur iam in Baptismo, vel perdita reparetur per Pœnitentiam, et cum ex dictis Confirmatio dari non debeat nisi baptizatis; hinc manifestum est, Confirmationem ordinari, per se, ad dandam secundam gratiam seu gratiæ augmentum. Hæc *deinde* gratia, quam confert Confirmatio, dicitur nos perficere in professione christiana, quia adhuc superius audivimus, eam dari ad *consummandum*, ad *perficiendum* et, prouti ipso nomine indicatur, ad *confirmandum* id, quod iam per Baptismum habetur, i. e. professionem nominis et fidei christianæ. Cum hoc fine connectitur *demum* et inde sequitur ius, quod Confirmatio homini confert, ad specialia auxilia, ut fortiter profiteatur nomen et fidem christianam, quæ professio est Confirmationis finis.

933. Alter huius sacramenti effectus est *character*, de quo iam superius diximus. Huius officium est consecrare fidelem tanquam Christi militem ad pugnandum pro fide, prouti declarat S. Thomas: *character est quædam spiritualis potestas ad aliquas actiones sacras ordinata... sed in Confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei.... Et ideo manifestum est quod in Sacramento Confirmationis imprimitur character*, quo scilicet *confirmatus accipit potestatem publice fidem Christi verbis profitendi, quasi ex officio* (2). Exinde, sicut signo baptismali distinguitur homo fidelis ab infidelibus; ita hoc chrismatis signo distinguuntur spiritaliter provecti ab his, quibus dicitur: *sicut modo geniti infantes* (3).

(1) Ita in Conc. Florentino *Decreto pro Armenis*, an. 1439: " Effectus autem huius sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes; ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus ungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et præcipue crucem eius, *qui Iudæis quidem est scandalum, gentibus autem stultitia*, secundum Apostolum, propter quod signo crucis signatur. „

(2) *Sum. th.* III, q. 72, a. 5.

(3) *Sum. th.* l. c. ad 1.

TRACTATUS

DE SS. EUCHARISTIA.

934. Venerabundi at simul gaudio læti de Ss. Eucharistia tractationem aggredimur, de eo videlicet mysterio, quod est tum maiestate divinæ præsentiæ formidabile, tum affluentia divini amoris iucundissimum. Est enim *mysterium Corporis et Sanguinis D. N. Iesu Christi, qui sub speciebus panis et vini, verbo consecratis, offertur, continetur et sumitur.* Εὐχαριστία vocatur, seu *bona gratia, gratiarum actio*, sive quod maximum *beneficium* continet a Deo nobis factum, quod est ipse omnium beneficiorum auctor et fons nobis donatus; sive quod est effectus summæ *benevolentiæ* Dei erga nos; sive quod est nobis aptissimum medium ad *gratias* Deo reddendas (1).

935. Quo nomine et explicatione iam satis indicatur quanta sit huius mysterii præstantia, quæ ceterum ex aliis multis splendidisque nominibus manifestatur (2), præsertim vero ex comparatione cum aliis Sacramentis. Licet enim inter Sacramenta novæ Legis tertio loco Eucharistia enumeretur, omnibus tamen longissime præstat, non eo quidem sensu quod reliqua Sacramenta supplere vel eorum operari effectum possint; sed ex aliis plurimis rationibus. Imprimis Eucharistia continet Christum *substantialiter* et *permanenter* præsentem, dum alia continent solum quamdam instrumentalem *virtutem* a Christo derivatam,

(1) Ita in Eucharistia triplex sensus facile verificatur, quo accipi solet vox *gratia* seu pro *beneficio*, pro *benevolentia*, pro *gratiarum actione*. Cfr. tract. *De gratia*.

(2) Vocatur hoc Sacramentum ab occasione eius institutionis *pascha*, *cœna*, *cœna Domini*; a re, quam continet, *corpus* et *sanguis Christi*, *sanctum Domini*, *sancta sanctorum*, *sanctissimum*, et a Græcis *donum*, quia Christus est antonomastice donum; a materia *panis cœlestis*, *panis supersubstantialis*, *panis angelorum*; a ritu consecrationis *eulogia* seu *benedictio*; ab effectibus *vita*, *communio* et *communicatio*, *viaticum*; ratione sacrificii *oblatio*, *sacramentum altaris*; ratione excellentiæ *Sacramentum* veluti per antonomasiam, *Sacramentum sacramentorum*; item *synaxis* ob præsentem fidelium cœtum a distributione *fractio panis*, *mensa Domini*. Cfr. S. Thomas, III, q. 73, a. 4.

eamque actione *transeunte* (1). Deinde omnia alia Sacramenta ad hoc sicut ad finem ordinari videntur, unde et ritus plus minusve in Ecclesia servatur, ut cetera quælibet Sacramenta, dum suscipiuntur, Eucharistiæ perceptione consummentur. Tertio Eucharistia non solum est Sacramentum, sed præterea Oblatio illa munda, quæ sacrificiis V. Legis typicis succedens a solis ortu usque ad occasum in odorem suavitatis Deo offertur (2).

936. Est igitur Eucharistia *Sacramentum* simul et *Sacrificium:* ea namque dupliciter considerari debet, tum relate ad homines, quos sanctificat, et sub hac ratione est Sacramentum, tum relate ad Deum cui offertur in cultum, et sub hac ratione Sacrificium est. Hinc tractatus dividitur in partes duas:

I. De ss. Eucharistiæ sacramento,

II. De tremendo Missæ sacrificio.

PARS PRIOR.

DE SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

937. Eucharistiam imprimis esse veri nominis Sacramentum atque unum e septem N. Legis, infinitis pene Traditionis testimoniis omissis, ex ipsa christiani Sacramenti ratione et natura convincitur. Etenim in ea *signum externum et sensibus subiectum* sunt species panis et vini verbo consecratæ. Habetur deinde *res significata et producta* primo quidem in cibo et potu spiritali, qui est corpus et sanguis Christi sub panis vinique speciebus, et consequenter in ea gratiæ refectione, quam inde sumentes in animabus suis recipiunt. De Christi autem *institutione* neque Evangelistæ neque Apostolus, uti videbimus, dubitandi locum relinquunt (3). Exinde *species consecratæ* sunt sacramentum tantum, quod significat et non significatur; ipsum *corpus Christi verum* est res et sacramentum, quod significatur a speciebus et significat gratiam reficientem; ipsa *gratia reficiens* animas est res tantum. Cum autem hæc gratia animas reficiendo, eas cum Christo et cum aliis

(1) Conc. Trid. Sess. XIII, cap. III, *De Euch.*

(2) S. Thomas, III, 65, 3; Cfr. Suarez in III par. tom. 3, distinct. 40, § 1.

(3) Catechis. rom. *De Euch. Sacr.* n. 7.

membris eius in unum corpus Christi mysticum coniungat, tum hoc etiam dici solet huius sacramenti res.

938. De *materia* autem et *forma* huius Sacramenti satius erit pauca prænotare. Ad spirituale alimentum exprimendum convenienter ex pane et vino materia assumpta est (1). Panis quidem et vinum sunt materia remota: species vero consecratæ, sub quibus Christus continetur sunt materia proxima. Forma autem adæquata Eucharistiæ sunt verba, quæ in persona Christi sacerdos consecrando pronunciat: « hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei. » Id ratum est inter catholicos, qui et conveniunt hisce verbis ipsum Salvatorem in ultima cœna usum fuisse. Cum autem huiusmodi Sacramentum sit permanens; hinc permanens eiusdem sacramenti forma sunt illa ipsa verba consecrantia, prout semel prolata species consecratas denominant eisque manent intentionaliter affixa.

939. Ex hisce omnibus Eucharistia, quatenus Sacramentum, apte definitur: *Sacramentum Corporis et Sanguinis I. Christi, sub speciebus panis et vini verbo consecratis, ad spiritualem animæ alimoniam.* Ex qua definitione apparet, catholicam doctrinam de hoc sacrosancto Sacramento ad tria capita apte reduci; quæ sunt: *præsentia* realis et substantialis corporis et sanguinis Domini, eaque tanquam totius mysterii fundamentum; *modus* huius præsentiæ, seu modus, quo sub speciebus consecratis panis et vini corpus Christi *fit* et *est* præsens; *finis* et propria virtus Sacramenti, quod est in cibum animarum. Hinc dicemus:

I. De reali Christi præsentia,
II. De modo præsentiæ Christi in Sacramento,
III. De Sacramenti huius fine et fructu.

CAPUT I.

DE REALI CHRISTI PRÆSENTIA IN EUCHARISTIA.

940. Fidem in realem Christi præsentiam in Sacramento, primum nono seculo, Ioann. Erigena denegavit, et deinde, undecimo seculo, impugnavit Berengarius, qui tamen nullos fere habuit asseclas, et

(1) Hæc utraque materia, cum sit in unum redacta ex multis granulis, etiam exprimit, doctore Augustino, corporis mystici unitatem, idque ex ipso Paulo dicente: *Quoniam unus panis, unum corpus multi umus, omnes, qui de uno pane participamus.* (I Cor. x, 17).

a pluribus conciliis damnatus tandem in synodo Romana, sub Gregorio VII, formulam fidei subscribere compulsus est, postquam pluries vel iudices deluserat vel ad errorem redierat (1). Verum infausto seculo XVI nefandum errorem in apertam hæresim restaurarunt Œcolampadius, Zwinglius, Calvinus. Primus docuit in sacra cœna non ipsum dominicum corpus adesse, sed, per actum mentis et fidei, panem veluti Christi corpus *apprehendi.* Alter cum suis asseclis, qui *Sacramentarii* dicuntur, statuit non ipsum corpus Christi, sed eius *figuram* et imaginem esse in Sacramento. Qui autem erat in fallendi arte magister, Calvinus ita rem composuit, ut panis non solum signum et figura corporis Christi sit, sed cum eodem corpore in cœlis existente ita arcane uniatur, ut quamdam *virtutem* inde recipiat alendi animas in vitam æternam.

Contra illos Concilium Tridentinum decrevit præsentiam Christi in Sacramento *veram, realem, substantialem,* ad penitus excludendam hæreticam doctrinam, qua asserebatur præsentia tantum per *fidem,* in *figura,* et per spiritualem *virtutem.* Lutherus fatens se ab evidentia verborum Domini expedire non potuisse, corpus Christi, quamvis una cum panis substantia, realiter præsens in Eucharistia admisit; sed cum ea modificatione, quam Bucerus primum excogitavit, scilicet corpus Christi non adesse nisi in actu sumendi; idque ad finem destruendi adorationem, cultum, asservationem Eucharistiæ et alia, quæ in Ecclesia catholica in usu sunt. Hanc etiam hæresim Conc. Tridentinum damnavit statuens præsentiam corporis Christi non esse in usu tantum, dum sumitur, sed post consecrationem, ante et post usum, permanere; ideoque Eucharistiam cultu latriæ esse adorandam et in sacrario asservari posse (2).

941. Iamvero in hoc fundamentali dogmate de reali Christi præsentia statuendo et vindicando operam præcipuam ponere debemus. Ad quem finem erunt duæ theses. *Prima* generatim realem Christi præsentiam firmissimis revelationis argumentis statuet; ut inde etiam deducamus eam esse non transeuntem in usu tantum, sed permanentem. *Altera* ad quaslibet præcavendas difficultates inserviet, quæ contra hoc dogma obiici solent.

(1) Denzinger, n. 298.
(2) Sess. XIII, can. 4.

THESIS XI.

In ss. Eucharistiæ sacramento Christi corpus et sanguis vere, realiter et substantialiter continentur.

942. Declaratio. — Thesis effertur ipsis fere verbis Tridentini Sess. XIII, can. 1° definientis: *Si quis negaverit in ss. Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. Iesu Christi ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute: a. s.* Dicitur itaque *Christi corpus et sanguinem,* seu generatim *Christum,* in Sacramento *contineri,* scilicet *præsentem adesse;* quin huius præsentiæ modus nunc explicetur. Item dicitur Christus in Sacramento esse *vere, realiter, substantialiter,* non quia hæc adiectiva distinctam postulent demonstrationem, sed ut quodlibet hæreticorum effugium præcaveatur, qui præsens corpus Christi in sacra cœna asserebant vel in *fide,* vel in *imagine,* vel in *virtute* tantum.

943. Demonstratio fit triplici argumento: 1° ex verbis, quibus Christus Eucharistiam *promittit,* Io. c. VI; 2° ex verbis, quibus eam Christus *instituit,* quæque referuntur suo loco ab aliis tribus evangelistis nec non a Paulo in 1ª ad Cor. XI, 24 et 25; 3ª ex *Traditione* et constanti consensione totius nominis christiani. Demonstrationem satis longam in tres dividimus paragraphos.

§ 1. Verba, quibus Christus Dominus (Io. VI) promisit Eucharistiam, intelligi omnino debent sensu, non metaphorico, sed proprio, quod scilicet: Ipse nobis daturus erat carnem et sanguinem suum realem et substantialem in verum et proprium cibum et potum.

944. Profecto si id demonstratum erit, hoc ipso constabit Christi carnem et sanguinem vere, realiter ac substantialiter in Eucharistia contineri. Nam Christus Deus fidelis est, atque si promisit seipsum in verum et proprium cibum et potum; revera dedit: ac si dedit, non intelligimus aliter id evenisse quam in hoc Eucharistiæ sacramento, quod ipse instituit. Ad illud autem evidentius demonstrandum evangelicæ narrationis expositionem præmittimus (1).

(1) Cfr. Franzelin, *De Sacr. Euch.*, th. III; Wiseman, *De reali præsentia, etc. lectiones,* Lect. I-IV; Patrizi *Comm. de Pane vitæ;* Ventura, *Spiegazioni evangeliche, omelia* 30ª.

I. *Expositio* totius capitis VI Ioannis est hæc. Approximante tertio paschate, Christus in deserto quinque panibus et duobus piscibus satiat quinque virorum millia et postea, nocte facta, super mare ambulans transit Capharnaum. Die insequenti eo convolant turbæ quærentes Iesum (*v.* 1 ad 25).

Tunc Dominus eas est allocutus insigni illo sermone de *pane vitæ*. Incipit exhortans Iudæos, ut opus aliquod salutare præstando, sibi comparent cibum permanentem in vitam æternam. Et quærentibus illis, quodnam esset hoc opus, Dominus respondet esse *credere in eum;* et cum ipsi, ad credendum peterent signum, quale fecit Moyses dans panem de cœlo (*v.* 26, 31); Iesus, eis solemniter affirmat, seipsum esse panem de cœlo: *Amen, amen dico vobis: non Moyses dedit vobis panem de cœlo: sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit et dat vitam mundo* (*v.* 32, 33). Et quia, auditores id non intelligebant, ideo Iesus dixit eis palam: *Ego sum panis vitæ,* sive hebraismo communissimo *cibus* vitæ (*v.* 34, 35). Sed cum ageretur de re omnino supernaturali, quæ, non tam intelligi, quam credi debebat; hinc, antequam suam propositionem explicaret, fidei exhortationem adhuc prosequitur et Iudæos murmurantes, quod se dixerit panem de cœlo descensum, iterum in fide confirmat et concludit dicens: *Amen, amen dico vobis; qui credit in me, habet vitam æternam* (*v.* 35 ad 47). Et statim repetit propositionem: *Ego sum panis vitæ* (*v.* 48), eamque iam clarius explicat in sensu veri cibi manducandi, aperte dicens: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (*v.* 49-52). Quo audito, litigabant Iudei de sensu horum verborum, sed ea Iesus in eodem sensu pluries confirmat et explicat (*v.* 53-59).

Narrat deinde Evangelista, aliquos discipulos hoc sermone offensos abiisse; Magistrum autem perstitisse in suo consilio, paratum deseri etiam ab apostolis, qui tamen cum eo manserunt.

Ex hac expositione intelligimus tria, quæ hoc capite continentur, omnia ad Eucharistiam pertinere. Etenim *multiplicatio panum*, repræsentatione et miraculo, præparat, *sermo de pane vitæ* exhibet, *narratio subsequens* confirmat Christi promissionem de eucharistico cibo. Verum id omnino negant protestantes et verba de pane vivo, de carne manducanda et sanguine bibendo intelligunt metaphorice de fide, quatenus Christus ut obiectum fidei dicitur panis, et credere in eum dicitur manducare et bibere de eo. Econtra, Catholici tenent, verba præsertim, quæ Christus dixit in secunda parte sermonis, esse omnino

intelligenda sensu proprio de vera carne Christi manducanda et de eius vero sanguine bibendo. De qua interpretatione universalis Patrum consensus et ipsa œcumenica concilia nos dubitare non sinunt (1). Aliqui tamen concedunt, panem vitæ in prima illius sermonis parte accipi posse pro obiecto fidei (2). Sed verior nobis videtur sententia, quod una sit totius sermonis propositio, nempe: *Ego sum panis vitæ*, et quod panis huiusmodi semper sumatur pro cibo eucharistico, prouti deinceps pro sua vera carne et vero sanguine I. Christus explicat.

II. *Argumentatio* tamen sumi debet potissimum ex parte apud omnes indubia, eaque tota huc reducitur ut demonstretur: verba, quæ Dominus dixit de *se ipso pane vivo manducando* et de *sua carne manducanda in cibum* et de *suo sanguine in potum bibendo*, ea verba, inquam, esse intelligenda sensu non metaphorico de fide aut signo, sed sensu vero et proprio; qui scilicet est de reali et substantiali carne Christi in verum cibum manducanda, de reali et substantiali sanguine Christi in verum potum bibendo. Id autem tripliciter probatur: ex verbis ipsis, ex antecedentibus, et subsequentibus (3).

(1) Conc. Ephes. ep. ad Nestor.; Nicæn. II, Act. VI; Trid. Sess. XIII, cap. 2, Sess. XXV, cap. 1.

(2) Ita etiam Wiseman et Franzelin, quorum sententiam prius secuti, nunc veneratissimo viro suadente, dimittimus, idque ob validas rationes et auctoritates, quæ videri possunt apud Toletum, *in S. Thomam* III, q. 75, a. 1; A Lapide in c. VI. *Io.* aliosque Theologos.

(3) En, sub oculos, integer contextus dominici sermonis *Io.* c. VI. (Exordium a v. 26 ad 31): *Amen, amen dico vobis: queritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.* Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei? Respondit Iesus et dixit eis: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare.

(Propositio a v. 32 ad 34): Dixit ergo eis Iesus: *Amen, amen dico vobis: non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo.* Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc.

(Prima sermonis pars a v. 35 ad 47): Dixit autem eis Iesus: *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquam.... Hæc est autem voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Murmurabant ergo Iudei de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Et dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic:

Probatur 1° *ex verbis ipsis* a *v.* 48 ad 59 occurrentibus, quorum præcipua sunt hæc: *Ego sum panis vitæ.... Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.... Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.... Caro enim mea vere est cibus; et sanguis meus vere est potus.... et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Iamvero hæc verba, etiam per se inspecta, proprium sensum fundunt.

Nam *a)* nisi contrarium probetur, sensus proprius semper *præsumi* debet. Atqui *b)* sensus *metaphoricus excluditur* omnino; primo quia Christus promittit panem in futuro, ideoque tanquam aliquem novum panem, non vero fidei, quæ iam aderat; secundo quia in sensu *cibi* et *panis* accipi quidem potest verbum Dei seu fides, non autem pro *credere* accipi possunt verba *manducare* et *bibere*, præsertim ubi invicem distinguuntur; tertio quia dictio speciatim *manducandi carnem alicuius* nullam metaphoram patitur, nisi in sensu moliendi alicui gravem iniuriam, præcipue per calumniam; unde non poterat Iesus eam dictionem vertere ad quemlibet alium metaphoricum sensum, qui esset bonus.

Econtra *c)* sensus proprius *positive demonstratur*. Nam primo asseritur a Christo, ubi panem promissum cum *manna* comparat, et expressius ubi iuxta textum græcum exprimit *veritatem carnis* dicens: *et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo* (scilicet in cruce) *pro mundi vita;* itemque ubi exprimit *veritatem cibi et potus* repetens: *caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus.* Secundo sensus proprius intelligitur ab iudæis litigantibus de modo, quo Christus carnem suam daret ad manducandum. Iterum tertio proprius

Quia de cœlo descendi? Respondit ergo Iesus et dixit eis: *Nolite murmurare in invicem.... Amen, amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam æternam.*

(Altera pars a v. 48 ad 59): *Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens; ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Litigabant ergo Iudei ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus: *Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea, vere est cibus; et sanguis meus, vere est potus; qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

sensus confirmatur a Christo, qui intellectionem iudæorum non corrigit, licet id sit pro more suo (1); sed potius quæ locutio dura visa est iudæis, eam locutionem suscipit et efficacius repetit usque sexies, concludens iisdem fere verbis repetitis, quæ dixerat ante obiectionem iudæorum: *hic* (ita declaratus) *est panis, qui de cœlo descendit.... qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Probatur 2° *ab antecedentibus* tum scilicet a prodigiosa panum multiplicatione, tum ab illa fidei exhortatione, quam Christus præmisit. Illo enim miraculo voluit Christus præfigurare et hoc ipso magis credibilem reddere turbis mirabiliorem multiplicationem sui corporis sub specie panis ad universum mundum satiandum (2); et illâ adeo insistenti adhortatione ad fidem Christus supponit, se esse promissurum aliquod magnum mysterium captu difficile, quod nonnisi fide percipi potest (3). Atqui hæc omnia sensum non haberent, si verba Christi non essent proprie intelligenda de vera eius carne danda in cibum. Ergo...

Probatur 3° *ex iis, quæ secuta sunt.* Etenim *a)* non modo *Iudæi,* sed iam *multi ex ipsis discipulis* conqueruntur, durum esse hunc sermonem et a sequendo Christo deficiunt. Atqui durus eis non fuisset, si eum intellexissent sensu aliquo translato. Nec tamen *b)* dici potest, eos errasse verba Christi intelligendo proprio sensu: quia tunc Christus, attenta sua bonitate et consueta docendi ratione, debuisset errorem detegere; econtra perstat in suis verbis, et ad ea confirmanda appellat ad suam originem cœlestem et ad suam futuram glorificationem, fidem postulans in verba sua, sensu quo ea dixerat; et potius sinit discedere discipulos, paratus se deseri ab ipsis Apostolis, potius quam sensum verborum emollire. Nec *c)* valet ea exceptio, quam Protestantes faciunt ex v. 63: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam: verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Nam hæc verba non probant sensum metaphoricum, sed potius *supernaturalitatem rei* propositæ, unde significatio est: « res, quam vobis proposui utique vera est, sed ordinis supernaturalis, quæ proinde non potest *intelligi* secundum

(1) Io. III, 3-5. Item solet evangelista corrigere verba intellecta in malum sensum, uti Io. XXI, 18, 19.

(2) Iuxta optimos interpretes ipse Salvator innuit hanc relationem multiplicationis panum ad eucharistiam, ubi ait quod *hunc* (panem, quem dabo vobis) *Pater signavit* (v. 27).

(3) Sic intelligimus, in exordio et in prima parte illius sermonis, *fidem* quidem a Christo proponi et inculcari, sed non tanquam *panem*, qui promittitur, sed tanquam *conditionem* necessariam ad illum panem salutariter capiendum, qui promittitur, nempe Eucharistiam.

carnalem seu naturalem sensibusque addictam intelligentiam, sed quæ *credi* debet secundum eam fidei intelligentiam, quæ supernaturalis est et a divino Spiritu datur. » Cum qua generaliore interpretatione et illa cohæret, quæ speciatim ponit, Christum illis verbis non sensum proprium exclusisse sed sensum materialem capharnaiticum, quod caro ipsa Christi in suo naturali existendi modo esset manducanda, prouti ea manducatur, quæ macello venditur.

§ II. Verba, quibus Christus instituit Eucharistiam (Matt. XXVI; Marc. XIV; Luc. XXII; 1ª Cor. XI), intelligi necessario debent sensu proprio affirmante, ipsum Corpus et Sanguinem Christi sub symbolis visibilibus constitui.

945. Christus promissis stetit et in ultima cœna: *accepit panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis, et ait: accipite et comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ita Matthæus et iisdem pœne verbis Marcus, Lucas et Paulus locis signatis. Verba hæc sensum habent tam apertum, ut christiani, interrogati de ratione propriæ fidei in præsentiam realem Christi in sacramento, nullam firmiorem et evidentiorem indicare possent, quam hanc: quia Dominus Deus dixit *hoc est corpus meum;* ita est, et ita credimus et profitemur, *hoc est corpus eius.* Unde fides catholica in hac re non est nisi *repetitio* verborum Christi.

Hinc probatio sensus proprii in hisce verbis vix ad demonstrationis normam exigi potest, adeo clara est. Cum tamen vim inferant verbis Sacramentarii, ut persuadeant sensum translatum; ideo præstat aliquibus rationibus propriam significationem illustrare.

946. Eas sumemus tum ex verbis ipsis, tum ex aliis extrinsecis considerationibus; simulque præcipuas Protestantium difficultates diluemus (1).

I. *Verba ipsa*, si iuxta vim propriam spectentur, exigunt sensum proprium. Hæc vis attendi debet *a)* in ipso pronomine demonstrativo *hoc* et *hic*. *Hoc* (τοῦτο) enim ex grammatica lege referri nequit *ad panem* qui græce (ἄρτος, ὁ) et latine est generis masculini; sed vel concordat cum *corpore,* quod est in utraque lingua (σῶμα τό) generis neutrius, vel in confuso significat rem, quam Christus tunc porrigebat nondum determinatam, sed mox determinandam per prædicatum, abso-

(1) Franzelin, th. IV; Cf. Wiseman, op. c.

luta cum esset propositio (1). Hinc in utroque casu pronomen *hoc* semper indicat *corpus meum*, ita ut sensus sit: *hoc, quod vobis porrigo manducandum, est corpus meum.* Eadem argumentatio valet pro altera propositione: *hic est sanguis meus.* Accedit *b)* emphasis, qua prædicatum exprimitur cum articulo τό repetito, quasi diceretur: « hoc est *ipsum* τό corpus meum, *ipsum* quod pro vobis tradetur: hic est *ipse* (τὸ αἷμα) sanguis meus, *ipse* Novi Testamenti, *ipse* qui pro multis effundetur (2). » Unde sensus exsurgit: hoc est corpus meum non symbolicum, sed illud ipsum, quod pro vobis tradetur, hic est sanguis meus non in figura, sed ille ipse, qui pro vobis effundetur. Ita revera Patres solent horum verborum vim reddere. Quod illud pronomen *hoc* sit revera significans præsentiam rei, quæ in prædicato enunciatur, confirmatur *c)* ex loco parallelo Exodi XXIV, ubi Moyses in sanguine sanciens Vetus Testamentum ait: *hic est sanguis fœderis,* et iuxta textum hebraicum: *ecce sanguis Testamenti.* Atqui loca sunt omnino parallela. Ergo etiam verba Christi reddi debent: *ecce sanguis meus novi Testamenti.* In Exodo non erat figura sanguinis; ergo neque in Matthæo. Præterea *d)* specialis est vis in textu apud Paulum; quia inibi corpori ipsi additur declaratio *quod pro vobis frangitur* (3). Verbum enim *frangere,* quando refertur ad manducationem, semper significat in usu biblico *ministrare, dare in cibum.* Hinc exsurgit sensus verborum Christi: « hoc, quod porrigo, est corpus meum *datum, ministratum in cibum.* » Ergo ipsum corpus Christi positum est in statu cibi, et id, quod in Eucharistia manducatur, est ipsum corpus Christi. Item *e)* apud Lucam calix ipse dicitur *pro nobis* effundi, ut patet ex græcis verbis (4). Atqui non vas aut vinum effusum est pro nobis, sed verus sanguis; calix igitur non significat calicem vini, sed calicem sanguinis.

II. Ad sensum proprium confirmandum accedunt considerationes aliunde deductæ. Et 1ª desumitur ex *ipsis adiunctis* tum Apostolorum, quibus Dominus tradidit Eucharistiam, tum ipsius Christi instituentis,

(1) Ita evenit in propositionibus practicis. Sic ducens circulum recte diceret *hic est circulus,* licet nondum adsit circulus, ad quem pronomen refertur.

(2) Τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον; (Luc. XXII, 19) — τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν (Matth. XXVI, 28).

(3) Τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον (I. Corint. XI, 24).

(4) Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον (XXII, 20). Porro participium ἐκχυνόμενον refertur ad ποτήριον, cui concordat genere et casu: *calix qui effunditur.*

tum institutionis. Porro *Apostoli* per triennium, visis Christi miraculis fere continuis, parati erant ad nova quæque portenta audienda; alienissimi autem a venandis tropis in sermonibus divini Magistri, potius simplicem fidem ei adhibebant, qualem ipse Christus ab eis semper exegerat, et qualem ipsimet pluries ostenderant, etiam tum in ultima cœna (1) et ante annum quando Christus suam carnem manducandam promiserat. Qua posita Apostolorum dispositione, repugnat ipsius *Christi* bonitati, sapientiæ, veracitati, quod usus fuerit talibus verbis, quæ Apostoli, sequentes humilitatem et simplicitatem fidei, necessario intelligere debebant in falsum sensum. Quæ porro repugnantia manifestior fit, si attendatur *indoles institutionis.* Tum enim Christus, ipsis fatentibus Protestantibus, instituebat pactum, sacramentum, testamentum et legem: quæ omnia requirunt prudentem et claram, non obscuram aut implexam locutionem.

Consideratio 2ª sumitur ex *modo, quo referunt* institutionem quatuor scriptores inspirati. Nam *a)* omnes iisdem fere verbis factum enarrant, licet diversi scripserint diversis in locis et temporibus. Nullus autem cogitavit obscuritatem locutionis auferre, vel addendo aliquam explicationem vel locutioni impropriæ propriam substituendo, dicendo e. g.: *panis est signum ac memoriale corporis mei pro vobis in mortem tradendi.* Id autem, in re gravissima, nemo præstitit, dum solent in rebus etiam levioribus evangelistæ se invicem supplere, vel explicare. Nominatim *b)* Paulus adeo notum supponit sensum proprium verborum Christi, ut illis relatis, particula utens illativa *itaque,* concludit gravitatem peccati in indigna huius sacramenti susceptione; quam gravitatem expresse deducit, et obiective ex ipsa re, quæ sumitur, unde manducans indigne *reus erit corporis et sanguinis Domini;* et subiective ex eo, quod homo ipsa sua indigna manducatione non iudicat, illum cibum esse id, quod est, i. e. corpus Domini: *iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.* Insuper *c)* in eadem I epistola ad Corinthios c. x, ubi Apostolus mysterium idem eucharisticum exprimit suis verbis, aperte dicit: *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Interest demum *d)* advertere, quod idem modus referendi verba eucharistica, sine ulla explicatione, invenitur etiam apud Patres, qui, loco declarationis, ad confirmandam fidem appellare solent ad omnipotentiam Dei.

(1) Io. xvi, 30.

Consideratio 3ª, eaque præclara, sumitur ex *absurdis secus consecuturis*. Quando Christus Dominus eucharistica verba pronunciavit, christianos omnes futuros præ oculis habuit et prævidit sua verba diverso sensu intellectum iri a diversis. Prævidit scilicet ea esse intelligenda sensu proprio et vero ab omnibus fidelibus illis, qui habuissent eam ad fidem dispositionem, quam ipse semper inculcavit, plenam scilicet persuasionem tum de infinita eius veracitate et omnipotentia, tum de humanæ rationis imbecillitate ad quasdam ordinis divini veritates et facta comprehendendum. Prævidit simul verba sua acceptum iri sensu improprio et figurato ab aliis, qui, illa dispositione abiecta, ipsa Dei verba ad suæ rationis examen revocaturi essent. Nihilominus, si vera est Sacramentariorum hypothesis, voluit Christus sua verba ita enunciare, ut primi fideles, quia ad credendum rite dispositi, ideo necessario errarent et quidem per tot secula; sensus autem verus et genuinus nonnisi ab iis tandem inveniretur, qui christianas omnes ad fidem dispositiones reiecissent. Quæ absurdissima ne sequantur, asseri debet, Christum eum voluisse enunciare sensum, quem verba præ se ferunt, quemque christiani omnes per multa secula, ex reverentia erga eius veracitatem et omnipotentiam, crediderunt. Hic sensus est: sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem Christi vere, realiter, substantialiter contineri.

III. Demonstrationem absolvimus ea cursim adnotantes, quæ ad solvendas difficultates inserviunt.

Sane 1° ratio potissima confugiendi ad sensum figuratum est apparens mysterii impossibilitas. Verum, hac ratione vel semel admissa, actum esset de omnibus mysteriis. Supposita sacræ Scripturæ revelatione, impium est, eam exigere ad huiusmodi criterium nostræ rationis adeo limitatæ. Nam: *quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum* (1).

Provocant 2° ad plurima Scripturæ testimonia, quæ aiunt parallela, ad ostendendum verbum *esse* plerumque accipi pro *significare*. Respondemus, in locis obiectis non adesse propriæ dictum parallelismum. Non adest parallelismus *realis*, quia de alia re sermo est, et alia habentur adiuncta, ex quibus, si qua figurata est locutio, ea vel explicatur vel facillime potest colligi; quod de verbis institutionis nequit affirmari. Non adest *verbalis*, quia licet idem verbum quomodocumque recurrat, constructio tamen est diversa (2).

(1) *Luc.* XVIII, 27.

(2) Loca quæ obiiciuntur sunt triplicis generis. Ad primum spectant hæc: *Septem*

Obiiciunt 3° quod Christus post consecrationem adhuc vocaverit *genimen vitis* id, quod in calice continebatur (1), sicut et Paulus consecratum symbolum adhuc vocavit *panem* (2). Respondemus, appellationem illam Christi esse referendam ad vinum porrectum discipulis ante institutionem, et hanc Pauli esse cum aliqua restrictione, quum dixerit: *hunc panem*, et *panem, quem frangimus*. Ceterum et sanguis Christi in Eucharistia dici potest *vinum*, et eius corpus *panis*, secundum eum loquendi usum, quo nomen rei ante mutationem conveniens retinemus, unde legimus quod *cæci vident;* vel etiam ratione *specierum*. Accedit quod species vini, realiter remanentes, sunt revera de genimine vitis, et quod panis hebraismo communi, accipi potest pro cibo.

Neque obstat 4°, quod Christus reliquerit Eucharistiam in sui *memoriam*, quia memoria opponitur *oblivioni*, quæ oritur non modo ex absentia rei, sed etiam ex invisibilitate rei præsentis. Ceterum hac admonitione Christus non dat explicationem præcedentium verborum, quibus Eucharistiam instituit, sed addit præceptum eam sumendi in memoriam suæ passionis et mortis, quæ revera præsens non est, sed fuit. Alias tricas Sacramentarii urgent 5° ex non satis determinata

spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt (Gen. XLI, 26); *Ager est mundus, bonum semen sunt filii regni* (Matth. XIII, 38); *Petra autem erat Christus* (1ª Corinth. X, 4) aliaque similia. Ad secundum ea, quibus Christus de se dixit: *Ego sum vitis vera, ego sum ostium*. Ad tertium genus duo præsertim loca, primum ex c. XVII, 10 *Genesis*, ubi de circumcisione dicitur: *hoc est pactum meum*, quia *significaret* pactum, et aliud ex c. XII *Exodi*, ubi de agno dicitur *est enim Phase* (transitus) *Domini*, idest signum transitus.

Ad loca prioris generis, respondetur quod in eis ratio figuræ est evidens vel ex indole sermonis, qui spectat ad explicandas visiones aut parabolas vel ex præcedente et nota destinatione factorum Veteris Testamenti ad repræsentandum futura. Id autem in locutione Christi nullo modo verificatur: proindeque esset contra legem humani sermonis eam accipere in sensu figurato.

Ad loca secundi generis, satis sit advertere ea inniti lege metaphorarum, qua ad exprimendas qualitates alicuius rei, ea res appellatur nomine alterius rei, in qua proprietates illæ notissimæ sint. Iamvero si Christus ex hac lege esset locutus, dicere debuisset non *hoc est corpus meum*, sed inverso et determinato modo: *ego sum panis*. Et cum tamen similitudo satis a longe sit, melius locutionem modificasset, sicuti revera fecit, quando dixit: *Ego sum panis vitæ*, scilicet panis excelsioris ordinis, seu cibus animarum. Imo in locis obiectis Christus de sensu figurato, licet satis per se claro, auditores admonuit.

Denique ad duo postrema loca advertisse sufficiat, quod in illis ratio signi facile ex contextu intelligitur, aut verius quod in illis verbum *est* suam retinet significationem, nempe: " circumcisio *est* pactum meum; agnus ita immolatus *est* victima transitus. „

(1) Mar. XIV, 25.

(2) I *Corinth.* X, 16, 17.

significatione pronominis *hic* et *hoc*. Sed quæstio tota solvitur dicendo, quod proprium est huius pronominis non *significare* quid aliquid sit, sed tantum *demonstrare* rem aliquam esse præsentem, sicut fit per particulam, *ecce*. Proindeque pronomen *hoc* neque formaliter panem neque corpus distincte significat, sed tantum in confuso indicat præsentiam alicuius rei. Res autem, quæ præsens demonstratur, initio propositionis est panis, qui transibit; in fine erit corpus Christi deinceps permanens (1). Ita res accidit in omnibus propositionibus practicis.

§ III. Constans totius Ecclesiæ Traditio in veram ac realem præsentiam corporis et sanguinis Domini consentit.

947. Appellabimus ad communem fidelium professionem; ad Patrum doctrinam; speciatim ad eam S. Ambrosii, testis in hac re præ ceteris dissertissimi: postremo quædam principia statuemus, quibus pleraque Patrum difficiliora testimonia explicentur.

I. Professio totius populi Christiani, sive Pastorum, sive fidelium, semper hæc fuit: id, quod exibetur, quod manducatur et bibitur in Eucharistia, esse corpus et sanguinem Domini. Id 1° apparet ex vetustioribus *liturgiis*. Secundum liturgias SS. Iacobi et Marci, post audita verba consecrationis: *hoc est corpus meum* (quæ cum toto canone clara voce pronunciabantur), populus universus fidem suam profitebatur ita vere esse, respondendo: *amen;* quæ eadem professio fiebat ab omnibus communicantibus, qui verbis sacerdotis auditis: *corpus Christi*, respondebant: *amen*. Id cum aliis enarrant et Ambrosius et Augustinus (2). In Sacramentario gelasiano episcopus, dum ordinat presbyteros, orat: *ut corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment*. In missa antiqua ambrosiana, *in cœna Domini*, habetur: *Sicut veritatem cœlestis sacrificii exequimur, sic veritatem dominici corporis et sanguinis hauriamus*. Liturgiæ præsertim orientales conveniunt in invocatione Spiritus Sancti super oblata dona, ut panem faciat pretiosum corpus Christi, et quod in calice est faciat pretiosum sanguinem Christi. Quæ sane invocatio, licet post verba consecratoria occurrat, non tamen pertinet ad efficiendam sed ad significandam effectam præsentiam corporis et sanguinis Christi; prouti ipsi Græci in concilio

(1) Franzelin th. VI; S. Thomas, III, q. 75, a. 5.

(2) Aug., *Contr. Faust.* l. XII, 10; Ambrosius, *De myst.*, c. IX, n. 54. Cfr. Card. Bona, *De rebus liturg.*, l. II, c. 13, § 1.

florentino coram Eugenio IV declararunt. In omnibus pariter Orientis liturgiis addi solent fidei professiones efficacissimæ, qualis est ea, quam in ritu æthiopico ad verba consecrationis populus pronunciat: *Amen, amen, amen. Credimus et certi sumus. Laudamus te, Domine Deus noster: hoc est vere, et ita credimus, corpus tuum.* Huius professionis testis est 2° ipsa *disciplina arcani,* quâ mysteria adeo pretiosa a profanorum iniuriis subtrahebantur. Fideles parati erant potius mori quam canibus tradere sanctum, uti papa Damasus de S. Tharcisio canit: *Ipse animam potius voluit dimittere cæsus, prodere quam canibus rabidis cælestia membra.* Verum 3° cum ipsi ethnici calumniarentur christianos, quod carne et sanguine humano vescerentur in suis conventiculis; hoc ipso ostendunt eisdem aliquid manifestum fuisse de fide, qua christianis certum erat, pane et calice sacramentali carnem et sanguinem Christi participari. Ad hæc 4° sectæ ipsæ, quæ adhuc supersunt ex antiquioribus, omnes in hanc veritatem conveniunt, et hoc ipso ostendunt eam hausisse a communi fonte, seu ab antiqua Ecclesia.

II. Ad Patres quod attinet, tot suppetunt splendidissima testimonia, ut cogamur ea ad præcipua capita colligere:

1° Simplici assertione præsentiam realem carnis et sanguinis Christi *affirmant.* Seculo ipso I presbyteri Achaiæ, in epistola de martyrio S. Andreæ n. 6, narrant, s. Apostolum idolis sacrificare iussum respondisse: *Omnipotenti Deo ego omni die vivum offero sacrificium... immaculatum agnum quotidie in altari crucis Deo offero, cuius carnes postquam fidelis populus comedit et sanguinem eius bibit, immolatus agnus integer manet et vivus.* Ita, seculis insequentibus, alii Patres fere omnes.

2° Efficacioribus additis expressionibus *confirmant,* in Eucharistia esse *ipsum,* esse *verum* et *proprium* corpus et sanguinem Christi, esse eam *carnem,* quæ passa est. Ita, sec. II, S. Ignatius M. ad Smyrnenses c. VII scribit: *Hæretici ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, et quam Pater benignitate sua suscitavit.* Ita S. Hilarius (1), Gregorius nyssenus, Chrysostomus aliique plurimi.

3° Cibum et potum in Eucharistia *negant* esse *panem* et *potum communem,* uti, sec. II, Iustinus M. (2), et, sec. III, Irenæus (3);

(1) Apud Bellarm. *De Sacr. Euch.,* l. II, c. 12.
(2) *Apolog* I, n. 65, 66.
(3) *Cont. Hæres.* l. IV, c. 18, n. 5.

itemque *negant* esse *figuram*, uti, ineunte sec. IV, Macarius Magnes, qui scribit: *Dixit* (Christus): *hoc est corpus meum; non enim figura corporis Christi est, neque figura sanguinis, ut quidam stupida mente nugati sunt, sed secundum veritatem sanguis et corpus Christi* (1). Huc referri debent Patres illi omnes, qui dum asserunt Eucharistiam multipliciter fuisse in V. T. præfiguratam (2), simul docent, inter ipsam et has figuras tantum interesse discrimen, *quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem.* Ergo Eucharistia non est figura tantum et signum corporis et sanguinis Christi, sed est vere et substantialiter ipsum corpus et sanguis Domini. Ita Athanasius, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Cyrillus alex., ita cum aliis Auctor operis *de Sacramentis,* quod sub nomine Ambrosii fertur (3).

4° Præsentia realis *quomodo fiat, explicant* dicentes, de pane fieri corpus Christi, panem transire, converti, transelementari in carnem Christi; conversionem vero hanc comparant cum aliis mutationibus sive naturalibus, uti panis et vini in carnem et sanguinem hominis per alimoniam, sive miraculosis, uti aquæ in vinum. Ita plurimi, inter quos Iustinus, Ephrem, Gaudentius brixianus, Chrysostomus, Damascenus. Ex his sanctus Brixiæ episcopus scribit: *Ipse naturarum creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia et potest et promisit) efficit proprium corpus, et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum* (4).

5° Mysterii autem *causam* unice repetunt ex verbis Christi, ad Dei veracitatem et omnipotentiam provocantes et fidem sine examine exigentes. Ita, sec. IV exeunte, Cyrillus hier., Gaudentius brixianus, Ephrem, Epiphanius, Chrysostomus aliique passim (5). Inter omnes audiatur S. Iacobus syrus, in quodam sermone de passione Domini, dicens: *Ipse* (Christus) *dixit: hoc est corpus meum, et quis verum non fateatur? Si quis hoc non credat verum, non est disci-*

(1) Apud Franzelin, th. VIII, n. 1.

(2) Præcipuæ figuræ, ex Patrum mente, erant agnus paschalis, manna, panes propositionis, sanguis V. Testamenti, oblatio Melchisedech, etc. Cfr. S. Thom. III, q. 73, a. 6.

(3) *De Sacr.* l. IV, c. 5, n. 25; Cyrillus, l. IV, *adv. Nest.* c. 5; Hieronymus l. IV, *in Matth.* XXVI, 26; Chrysostomus in hom. I *De proditione Iudæ;* Augustinus, *De Civ. D.*, l. XVII, 29; Athanasius, *ep. festiv.* IV, n. 4.

(4) Serm. 2, *De Exod.*

(5) Bellarminus, l. II, c. 13 et seq.

pulus apostolatus ; Apostoli enim crediderunt et viventem ac secum accumbentem (ad mensam) *comederunt.... Electi Apostoli ut Filio fidem adhiberent satagebant, non ut scrutarentur vel quæstiones moverent sicut rebelles* (1).

6° Ex reali Christi præsentia plura *inferunt* Patres, nimirum Sacramentum hoc esse terribile, horrendum, adorabile, in eo summum Dei erga nos amorem ostendi, in suscipientibus vero summam reverentiam et sanctitatem exigi, et crimen gravissimum esse indigne de eodem participare. In Tertulliano, Origene, Cyrillo et aliis legimus summam diligentiam adhiberi solitam in Ecclesia, ne quid tanti Sacramenti in terram decideret (2). De veneratione huic sacramento debita passim loquuntur Patres in suis homiliis, nominatim Origenes, Cyprianus, Chrysostomus, Damascenus. Porro ea omnia supponunt realem Christi presentiam, tanquam rem omnibus compertam.

7° Demum Patres hoc dogmate realis præsentiæ *utuntur ad instar principii indubii*, quo contra hæreticos alias vindicent fidei catholicæ veritates. Ita solent Patres, inde ab ævo apostolico, præsentiam realem assumere nominatim contra hæreses omnes, quæ dominicam Incarnationem violarunt. Contra Docetas et Monophysitas ex veritate carnis et sanguinis Christi in Eucharistia deducunt tum realitatem carnis, tum inconfusam realitatem integræ humanitatis a Christo assumptæ, ut Irenæus et Athanasius. Contra Nestorianos demonstrant, carnem Christi, quoniam in sacramento est vivifica et nos uniens cum Verbo, ideo pertinere ad ipsam Verbi personam, uti frequenter Cyrillus alexandrinus. Contra Arianos ostendunt, unionem Filii cum Patre vere esse substantialem, sicuti ea est unio, quæ fit inter nos ipsos et cum Christo, dum sumimus reale eius corpus, quod est unum numero in omnibus suscipientibus. Exinde in eos retorquebant, quæ ex eodem Christo obiiciebant, verba: *ut omnes unum sint, sicut ego et tu Pater unum sumus.* Ita Hilarius et alii.

III. Hæc doctrinæ capita pene omnia invenies apud unum S. Ambrosium, qui inter omnes Patres huius veritatis testis dissertissimus, data opera neophytis hoc mysterium cum aliis declarat in libro *De Mysteriis.* Docet imprimis, c. VIII, altaris convivium synagogæ sacris antiquius esse, cum in sacrificio Melchisedech expressum fuerit ; imo

(1) Testimonium hoc et alia ex Patribus Syris vide apud Franzelin th. VIII, n. 3.

(2) Bellarm. *De Sacr. Euch.*, l. II, c. 5, et inferius c. 8 et 9.

et ipso manna longe præstantius, quia *ista esca, quam accipis, iste panis vivus, qui descendit de cœlo.... corpus est Christi,* et quia *potior est lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de cœlo.* Tum, c. IX, sequitur declaratio, quomodo credi debeat corpus Christi, cum tamen appareat panis: *Forte dicas: aliud video, quomodo tu mihi adseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus.* Proponit autem probationes quinque.

Argumentatur 1° ex exemplis miraculorum, in quibus rerum natura mutata fuit, uti virga Moysis in serpentem et serpens rursus in virgam, aqua in sanguinem et vicissim. Exinde enim concludit: *Quod si tantum valuit humana benedictio* (uti illa Moysis), *ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret: non valebit Christi sermo, ut species* (naturas) *mutet elementorum?*

Cui demonstrationi 2° alteram adnectit S. Doctor ex comparatione verbi consecrantis cum verbo creante: *De totius mundi operibus legisti: « Quia ipse dixit, et facta sunt.... » Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas.*

Addit 3° specialem rationem ex ipsa Incarnatione desumptam, nimirum non esse quærendum naturæ ordinem in corpore, quod ipsa sua origine totum est supra naturam: *Et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est: quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine?*

Verum 4° mutationem, quam adductis exemplis ostenderat possibilem, factam esse demonstrat ex ipsis Christi verbis, tacite argumentando ex pronunciantis divina veracitate et potentia: *Ipse clamat Dominus Iesus: « hoc est corpus meum. » Ante benedictionem verborum cœlestium alia species* (substantia) *nominatur; post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit « sanguinem suum. » Ante consecrationem aliud dicitur: post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: « Amen », hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod sermo sonat, effectus sentiat.*

Infert 5° plura, quæ veritatem præsentiæ Christi in altari supponunt, nimirum: Ecclesiam hisce sacramentis a suo divino Sponso pasci, et pastam summopere ab Ipso laudari; hoc mysterium nec vitiis nec di-

vulgatione esse violandum ; ut ad illud concurrant, Ecclesiam adhortari filios suos ; denique cor nostrum esca istâ confirmari, et potu isto lætificari cor hominis.

Per incidens autem claudens tractatum etiam declarat, corpus Christi in Sacramento esse, non suo existendi modo connaturali, sed alio, quem *spiritualem* dicit : *In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi : non ergo corporalis esca, sed spiritualis est.... Corpus enim Dei corpus est spiritale : corpus Christi corpus est divini spiritus ; quia spiritus Christus.*

Hæc porro testimonia ipsis Protestantibus adeo decisiva visa sunt, ut libri ipsius authenticitatem inficiari, irrito tamen labore, conarentur.

IV. Ad explicandas obscuriores quasdam locutiones Patrum, imprimis *generatim* advertimus, quod Patres ex una parte ad loquendi modum ita obscurum, vel etiam ad plenum silentium tenebantur propter rigorem disciplinæ *arcani ;* et quod ex altera parte nullum inde pertimescebant in fidelibus oriturum periculum, quia sciebant mysterium iam secretius fuisse explicatum initiatis et, nulla adhuc hæresi suborta, firmissime ab omnibus credi. Quo supposito, quinque *speciatim* distinctiones præ oculis haberi debent in alicuius Patrum obscurioris vel ambigui effati interpretatione. Prima est, ut in ipsa Ecclesia duo distinguantur Christi corpora : *reale* in Sacramento et *mysticum*, quod est fidelium cum Christo congregatio (1). Secunda est, ut in reali Christi corpore distinguatur *status* et *modus* existendi *connaturalis*, uti in cœlo, a statu *sacramentali* sub speciebus sacramenti. Tertia est, ut in Sacramento *pars sensibilis* specierum distinguatur a *parte invisibili*, quæ est ipsum corpus Christi sub illis. Quarta est, ut ipsa manducatio duplex distinguatur, altera *capharnaitica* seu communis et altera *sacramentalis*, quæ iterum accipi potest *mera sine effectu* vel *cum gratiæ effectu*. Quinta demum est, ut in ipso suscipiente duplex de Iesu Christo *fruitio* distinguatur vel *præsens* in cibo eucharistico, vel *futura*, remotis eucharisticis umbris, in cœlo. Iamvero Patres, etiam ob disciplinam arcani, una vel altera supposita distinctione, facilius hinc inde in dicendo transeunt ita, ut eorum dicta obscura et contraria videantur nisi ad eas distinctiones exigantur.

(1) Aliquando Veteres ipsum Christi corpus physicum in Sacramento vocant *mysticum*, quia est in statu non naturali, sed sacramentali. Augustinus autem in *Sermonibus ad infantes* (227, 229, 272) clarius distinguit tria : quod videtur (species) — quod creditur (corpus Christi) — quod intelligitur (corpus Christi in statu sacramentali, ut signum efficiens unionis fidelium).

COROLLARIUM.

Præsentia corporis Christi in Eucharistia non est transiens in usu tantum, sed permanens, in omnibus particulis consecratis; quæ ideo adorari debent et reservari possunt.

948. Id expresse definit Conc. Tridentinum Sess. XIII, can. 4: *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem Domini Nostri Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere corpus Domini; a. s.* Cui canoni s. Synodus duos alios addidit, can. 6, quo decrevit Christum in Sacramento cultu latriæ esse adorandum; et can. 7, quo decrevit licere Eucharistiam reservari et ad infirmos honorifice deferri. Quæ duo a prima veritate sequuntur, ea autem in thesi demonstrata continetur.

Revera sunt verba consecratoria eaque sola, quæ producunt realem Christi præsentiam in Sacramento; uti vidimus in superius demonstratis et Patres expresse docent. Atqui verba consecratoria producunt id, quod significant et prout significant; significant autem solum præsentiam corporis et sanguinis dominici independenter a sumptione, quam verba nullatenus exprimunt. Ergo verba illa producunt, et quidem statim ac pronunciantur, realem corporis et sanguinis dominici præsentiam independenter a sumptione et usu. « Et profecto, ipse scribit Leibnitius, aut falsa sunt, quæ a sacerdote pronunciantur, verba institutionis, quod absit; aut necesse est, quod benedictum est, esse corpus Christi, etiam antequam manducetur (1). » Id etiam confirmatur ex veteri Ecclesiæ praxi, quod, consecratione facta, corpus Domini adorandum elevetur; quod Missæ celebrentur, uti apud Græcos ex *præsanctificatis;* quod primis temporibus solerent fideles Eucharistiam secum domum deferre eamque religiose servare.

Exinde ea apparet peculiaris excellentia SS. Eucharistiæ super reliqua Sacramenta, quæ a Conc. Tridentino laudatur et est, quod cetera Sacramenta *materiæ usu* perficiuntur, tunc Sacramenti naturam habentia quando administrantur alicui; dum econtra Eucharistia in ipsa *consecratione materiæ* perficitur, tunc acquirens et deinde conservans sacramenti naturam (2).

(1) *Syst. theol.* apud Hurter, Comp. theol. vol. III, p. 289.

(2) Conc. Trid. Sess. XIII, cap. III; Catech. rom. *De Euch. sacr.* n. 9.

THESIS XII.

Ad præcavendas rationales difficultates contra realem Christi præsentiam in sacramento non requiritur nec confici potest positiva demonstratio, mysterium hoc conforme esse rationi; sed datur negativa, illud non posse ostendi rationi contrarium.

949. Declaratio. — Plures ex ratione difficultates opponunt, quibus conantur ostendere, præsentiam Christi in Eucharistia rectæ rationi repugnare. Duplici via illæ difficultates solvi posse videntur, vel *positive* ostendendo dogma optime componi cum ratione, vel *negative* demonstrando nullas obiici posse evidentes rationes ad illam comprobandam repugnantiam. Iamvero in prima parte probabimus demonstrationem illam positivam non requiri, nec eam evidenter confici posse: in altera hanc negativam afferemus (1).

950. Demonstratur Pars I. — Ea positiva demonstratio 1° non requiritur. Sicut enim generatim veritas quævis supernaturalis, ita hæc quoque veritas suis positivis revelationis argumentis demonstratur, inter quæ longe præcipuum et per se solum sufficiens est consensus Ecclesiæ. Hisce porro argumentis iam vidimus, a Deo esse certissime revelatum: corpus et sanguinem Christi vere et realiter in Eucharistia contineri. Hoc posito, quæstio de conformitate huius superrationalis veritatis cum ratione abunde soluta est. Quod enim in verbo Dei, iuxta genuinum sensum intellecto, affirmatur, id est infallibiliter verum, proindeque nulli veritati rationali repugnare potest, quia verum vero contradicere nequit.

Accedit 2° quod positiva conformitas huius mysterii eucharistici cum ratione nequit evidenter demonstrari. Ad id enim opus esset utrumque comparationis terminum apprime cognoscere, tum scilicet modum præsentiæ dominici corporis in Eucharistia, tum essentialem et necessarium corporum existendi modum. Atqui ille modus præsentiæ Christi est divinum mysterium rationem omnino excedens; modus vero *essentialis*, quo necessario existere debent corpora, dignosci non potest nisi ex bene intellecta ipsorum corporum natura, quæ tamen ipsis philosophis pene ignota manet. Ergo eam conformitatem evidenter ostendere, fere est impossibile. Qua ratione fit evidens etiam, quæ sequitur

(1) Franzelin, th. II.

951. Pars II. — Ex ignoratis enim comparationis terminis si concordia inter hoc dogma et rationem ostendi nequit, neque pariter repugnantia ostendi poterit. Et revera nullæ sunt veritates necessariæ evidenter cognitæ, quibus catholica fides de reali Christi præsentia in sacramento repugnet.

Etenim huius fidei consectaria, quæ rationi repugnare videntur, hæc sunt: 1° adesse in Eucharistia corpus Christi quin suis phœnomenis appareat; 2° adesse quodam spirituali modo citra coextensionem ad spatium; 3° adesse idem multis simul locis; 4° deesse panis et vini substantiam, et tamen panis et vini omnia remanere phœnomena sensibus obvia. Iudicia rationalia, quæ his consectariis videntur opponi, sunt: 1° ubi adest corpus, ibi sensibile est suis phœnomenis; 2° diversæ corporis partes diversis respondent partibus loci; 3° corpus, quod est in uno loco, non est simul in aliis locis; 4° si desinit corporis substantia, desinunt etiam phœnomena, quæ ipsius substantiæ sunt effectus.

Verum hæc quatuor iudicia sunt quidem vera et certa, attamen *a posteriori* seu post experientiam, et sub *hypothesi* quod leges physicæ fuerint servatæ. Ut ea vera essent et certa *a priori* seu ante experientiam et ex *absoluta necessitate*, deberent inniti in ipsa intrinseca et essentiali corporum natura. Quod vero ea iudicia empirica reapse innitantur in ipsa corporum intrinseca essentia, id nullatenus est evidens; quia haud satis norunt corporum naturam philosophi. Corporum enim substantia non aliter dignoscitur quam per sua extrinseca phœnomena; in se autem « substantia in quantum huiusmodi non est visibilis oculo corporali neque subiacet alicui sensui, nec etiam imaginationi, sed soli intellectui, cuius obiectum est quod quid est » (1).

Ergo realis Christi præsentia in Eucharistia, consectariis suis, utique opposita esse apparet veritatibus rationis empiricis et hypotheticis, non autem veritatibus rationalibus absolute veris et necessariis: id quod satis erat demonstrasse (2).

(1) S. Thomas, III, 76, 7.

(2) In Eucharistia leges physicæ pene omnes ab ipso Legislatore suspensæ supponi debent. Hinc, si quis de corpore Christi eucharistico adhuc secundum illas leges iudicat, is manifesto agit contra rationem.

COROLLARIUM.

An eucharistici mysterii possibilitatem ratio demonstrare possit.

952. Ratio *mere humana* non potest demonstrare, mysterium hoc *evidenter esse possibile.* Id continetur in dictis; neque alicui difficultatem facere debet. « Demus Deum aliquid posse; quod nos fateamur investigare non posse (1). » Verum concilium Tridentinum docet, mirabilem Christi in Eucharistia præsentiam esse huiusmodi, « quam etsi verbis exprimere vix possumus; possibilem tamen esse Deo, cogitatione *per fidem illustrata,* assequi possumus (2). » Cogitatio enim per fidem illustrata est scientia theologica, quæ uti videbimus, docet præsentiam corporis Christi in Sacramento accipiendam non esse eo vulgari modo, quo quis conciperet existere cetera corpora in ordine physico; sed potius intelligendam esse alio modo supernaturali, qui dicitur *sacramentalis* quique explicatur excedere omnino physicas leges quantitatis et loci.

Exinde difficultates, quæ pene omnes ex corporum experientia desumuntur, iam ex sese concidunt. Si quæ autem supersunt, eas quoque superandas esse arguimus et ulterius intelligimus ex aliis revelatis veritatibus, nimirum ex *omnipotentia, liberalitate, sapientia* Dei, ex aliis *mysteriis* divinis uti ss. Trinitatis et Incarnationis, ex *amore* Christi erga suos, ex *familiari conversatione,* quam primi homines iam in paradiso et deinceps patriarchæ cum Deo habuerunt, ex summa hominis *dignitate,* ad quam per gratiam elevatur, et ita ex aliis huiusmodi.

CAPUT II.

DE MODO REALIS PRÆSENTIÆ CHRISTI IN SACRAMENTO.

953. Modus præsentiæ Christi in Sacramento dupliciter considerari debet, tum scilicet in *fieri,* tum in *facto esse,* quærendo: quomodo per consecrationem Christus *fit* præsens in altari et quomodo, peracta consecratione, Christus *est* præsens sub speciebus panis et vini.

Ad primam quæstionem fides catholica decreto tridentino firmata

(1) Augus. ep. 137 al. 3 *ad Volusianum* n. 8.
(2) Sess. XIII, cap. 1.

respondet: Christum in Eucharistia præsentem fieri per mirabilem et singularem conversionem totius substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi seu per transubstantiationem panis et vini in corpus et sanguinem Domini (1).

Ad alteram quæstionem pariter respondet tridentina definitio, Christum esse præsentem *totum* sub utraque specie panis et vini et in qualibet speciei parte (2). Sed huiusmodi *totalitas* præsentiæ Christi in Sacramento etiam dupliciter considerari debet, sive generatim: an et quomodo *totus Christus* sit præsens in Sacramento; sive speciatim ob peculiares difficultates: an et quomodo *totum corpus Christi* cum tota sua substantia et quantitate aliisque accidentibus sit pariter præsens in Sacramento, seu in qualibet specie specieique parte.

Ad quæstionem illam generalem solvendam sufficit, prouti videbimus, definitio tridentina. Ad alteram specialem ulterius explicandam recurremus præterea ad principia et rationes, quas sacra scientia, auctore præsertim D. Thoma, suppeditat.

954. Iam itaque dicemus tum de *transubstantiatione* panis et vini in corpus et sanguinem Christi, tum de consequente *totalitate* præsentiæ Christi in Sacramento. Ad id quatuor theses; quarum binæ de transubstantiationis *notione* et *veritate*, et binæ aliæ de præsentia sive *totius Christi* sive eiusdem *totius corporis* in Sacramento. Reliquum erit aliqua subiungere de *speciebus* panis et vini, post transubstantiationem remanentibus.

THESIS XIII.

Transubstantiatio eucharistica est mirabilis et singularis conversio totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem Domini, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini; eaque aptissime transubstantiatio appellata.

955. Declaratio. — Hæc porro est transubstantiationis notio, quam a præcedentibus Conciliis iam propositam (3), Synodus Tridentina magis

(1) Sess. XIII, can. 2.

(2) Ibid., cap. III, can. 3.

(3) Conc. Lat. IV. cap. *Firmiter* definit quod " Christi corpus et sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina „. Denzinger n. 357.

magisque determinavit sess. XIII cap. IV declarans: *per consecrationem panis et vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis D. N. I. C., et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis Eius; quæ conversio convenienter et proprie a Sancta catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata* (1). In canone autem 2° definivit: *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. I. C., negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat; a. s.* Notio hic proposita est itaque *de fide,* et ad eam omnino exigi debent variæ in hac re sententiæ, quæ non modo erroneæ ab hæreticis sed etiam minus tutæ a diversis Theologis ferantur. Nobis autem satis erit particulatim exponere singula verba huius definitionis.

956. DEMONSTRATIO. — 1.° *Conversio* ex obvio suo conceptu non aliud est quam *transitus rei in rem,* quo scilicet res, desinendo esse quod erat, in aliud transit, quod non erat. Unde ea semper versatur inter duos terminos positivos, desinentem unum *a quo,* succedentem alterum *ad quem,* ita ut unus sit actus, quo desinit unum et succedit alterum iuxta illud effatum: *corruptio unius est generatio alterius.*

2° Conversio deinde dicitur *substantiæ* in alteram, ut ea distinguatur a conversione *accidentali,* quæ sistit in mutatione tantum accidentium, eâdem manente rei substantia, prouti fuit transfiguratio Christi in monte. Dicitur insuper conversio *totius* substantiæ ad indicandum, substantiam converti non solum secundum aliquam suam partem sed secundum *se totam,* sive forma sive materia eius inspecta. Ita conversio eucharistica ab illis multiplicibus conversionibus naturalibus distinguitur, quæ sunt quidem substantiales, omnes tamen *partiales,* in quibus scilicet, eâdem manente materia prima, solum forma substantialis mutatur, uti est in nutritione (2).

3.° Conversio dicitur totius substantiæ *panis et vini, manentibus dumtaxat speciebus* eorum. In conversione scilicet eucharistica terminus desinens *a quo* est panis. At cum in pane distingui debeat substantia

(1) Quæ veluti ad verbum desumpta a S. Thoma III, 75, a. 4.

(2) Item partialis esset illa conversio substantialis, in qua, eâdem forma manente, materia solum mutaretur.

ab accidentibus eius, hinc panis substantia sola transit, accidentia vero, quæ sunt dimensiones et aliæ qualitates, eadem ac prius sine proprio subiecto manent, utique virtute divina. Panis itaque complexive acceptus, substantia cum accidentibus, dicitur terminus a quo *totalis*, et eius substantia terminus dicitur a quo *formalis*, qui scilicet solus formaliter desinit. Accidentia autem panis et vini remanentia sunt terminus *tertius* utrinque communis.

4.° Hæc autem tota panis et vini substantia dicitur converti *in corpus et sanguinem Domini*. Terminus scilicet *ad quem* in conversione eucharistica non est, sicut in aliis conversionibus, aliquid de novo sive *productum* sive *mutatum*, sed est verum Christi corpus *præexistens et immutatum*. Ita S. Thomas: « In naturalibus conversionibus transmutatur et id quod convertitur et id in quod convertitur... sed hic, illud in quod fit conversio, erat *præexistens et non ei additur*.... unde hoc, in quod terminatur conversio nullo modo transmutatur, scilicet corpus Christi, sed solum panis, qui convertitur » (1). Cum autem etiam in corpore Christi, sicuti in pane, distinguatur substantia ab accidentibus, tum terminus *formalis*, ad quem terminatur conversio, est *substantia*; sed terminus *totalis* est totum corpus, substantia cum accidentibus. Substantia fit præsens primo et per se *vi conversionis:* accidentia præsentia fiunt consequenter propter suam cum substantia coniunctionem (2).

5.° Hæc conversio proprie *transubstantiatio* appellatur. Id apparet ex ipso usu loquendi, quo conversio rei alicuius secundum formam tantum sive accidentalem sive substantialem, dicitur *transformatio* et speciatim dicuntur *transfiguratio, translocatio* mutationes accidentales secundum figuram et locum, et apte diceretur *transaccidentatio* mutatio rei secundum omnia accidentia, tota remanente substantia. Huic usui optime respondet, ut conversio rei secundum totam eius substantiam, remanentibus accidentibus, dicatur *transubstantiatio*. Idque confirmatur ex hoc, quod huius conversionis termini *formales* non alii sunt, quam ipsæ solæ et integræ *substantiæ*, nempe substantia panis, *a qua* et substantia corporis Domini, *ad quam* præcise conversio fit.

6.° Demum hæc eucharistica conversio est *mirabilis* ideoque etiam *singularis*. Mirabilis quidem, quia habet causam simpliciter et omnibus occultam, qualis est Deus, cuius sola virtute ea fieri potest (3). Etenim

(1) In 4 D. 11, q. 1, a. 3, q. 2.

(2) Sub alio respectu terminus totalis dici posset ipsum Sacramentum, corpus Christi totum sub speciebus panis et vini, veluti unum compositum.

(3) S. Th. *Sum. th.* I, 106, 7.

« nullum agens naturale seu creatum potest agere nisi ad immutationem formæ; et propter hoc omnis conversio, quæ fit secundum leges naturæ, est formalis. Sed Deus est actus infinitus, unde eius actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur solum potest perficere conversionem formalem, ut scilicet diversæ formæ sibi in eodem subiecto succedant, sed conversionem totius entis, ut scilicet tota substantia huius convertatur in totam substantiam illius. Et hoc agitur divina virtute in hoc sacramento; nam tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi; et tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi (1). » Exinde sequitur quod ista conversio sit etiam singularis, nullum scilicet habens exemplum in aliis conversionibus, et ipsam creationem quadantenus superans. In creatione enim « hoc solum difficile est, quod aliquid fit ex nihilo, quod tamen pertinet ad proprium modum productionis primæ causæ, quæ nihil aliud præsupponit; sed in hac conversione non solum est difficile quod hoc totum convertitur in illud totum, ita quod nihil prioris remaneat (quod non pertinet ad communem modum productionis alicuius causæ), sed etiam habet hoc difficile quod accidentia remaneant, corrupta substantia, et multa alia (2). »

COROLLARIA.

957. Ex demonstratis intelligimus ad transubstantiationem quatuor requiri et sufficere, quæ sunt; 1° desitio totius substantiæ panis; 2° successio corporis Christi; 3° nexus intrinsecus inter utrumque; 4° remanentia accidentium panis et vini. De singulis aliqua declaratio.

1° Substantia panis post consecrationem omnino desinit, quod enim convertitur in aliquid, facta conversione, non manet (3). Non tamen

(1) *Sum. th.* III, 75, 4.

(2) *Sum. th.* III, 75, 8, ad 3^{m};

(3) In hoc errant qui docent, substantiam panis simul cum vero corpore Christi in sacramento consistere. Ita Berengarius et Lutherus ubi docent *companationem*. Huc reducitur etiam error Durandi, qui docuit remanere panis materiam et panem converti in corpus Domini, quatenus anima ipsius Christi eam materiam incipit informare. Hic error renovatus fuit a Rosminio prop. XXIX^{a} ex damnatis *Decreto Post Obitum*, qua docuit: " substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentientis, ipsamque sua vita vivificat: eo ferme modo quo panis et vinum vere transubstantiantur in nostram carnem et sanguinem, quia fiunt terminus nostri principii sentientis. „ Quæ propositio est obiective hæretica, quia contradicit definitioni tridentinæ asserendo non fieri conversionem *totius* substantiæ panis, sed aliquid de pane remanere præter species. Cfr. *Rosminianarum prop. trutina theol.* pag. 296.

sequitur quod annihiletur, nam quod annihilatur desinit in nihilum. Econtra substantia panis in id desinit, in quod convertitur, scilicet in corpus Christi (1).

2° Corpus Christi, ipsum præexistens, de Virgine natum et ad dexteram Patris sedens, eo ipso fit in Sacramento præsens, quod substantia panis convertitur in ipsum. Non enim incipit inibi esse de novo per adductionem localem de cœlo, neque per creationem (2). Attamen non est intelligendum, quod aliquid de substantia panis transierit in ipsum Christi corpus, vel quod corpus dominicum ex substantia panis veluti refectum et auctum exierit, sed tantum intelligi debet, quod substantia panis in corpus dominicum desierit (3). Nam conversio eucharistica non aliud est, quam quædam substantialis successio (4).

3° Attamen ita successio corporis connectitur cum desitione panis, ut desitio huius sit successio illius. Scilicet non sunt duæ separatæ operationes, quamtumvis simultaneæ et secum invicem coordinatæ; sed una eademque est operatio, tum quâ panis substantia a suis speciebus desinit, tum quâ sub iisdem præsens succedit corpus Christi.

4° Requiritur demum ad transubstantiationis conceptum etiam permanentia accidentium panis et vini. « Si enim substantia panis in corpus Christi converteretur et panis accidentia transirent, ex tali conversione non sequeretur quod corpus Christi, secundum suam substantiam, esset ubi prius fuit panis; nulla enim relinqueretur habitudo corporis Christi ad locum prædictum. Sed quum quantitas dimensiva panis remanet post conversionem, per quam panis hunc locum sortiebatur, substantia panis in corpus Christi mutata, fit corpus Christi sub quantitate dimensiva

(1) S. Th. *Sum. th.* III, q. 75, 3.

(2) S. Th. *Sum. th.* III, 75, 4. Cfr. *Cath. rom.* De Euch. n.° XXXVII.

(3) Hic iterum erravit Lutherus, ubi docuit *impanationem* seu quandam hypostaticam assumptionem panis a Verbo factam. In qua hypothesi corpus Christi eucharisticum non esset illud de Virgine natum, sed aliud ab illo etiam specifice diversum, scilicet aliquod novum Christi corpus paniceum. Hic cadit etiam error Rosminii, qui prop. XXX, docuit " peracta transubstantiatione, corpori Christi glorioso partem aliquam adiungi in ipso incorporatam; „ proindeque tantam quantitatem corporis et sanguinis Christi vi verborum esse præsentem in Sacramento, quanta est pars eidem addita (prop. XXXI). Cfr. *Trutin. theol.* p. 307.

(4) *Cont. Gent.* Lib. 4, cap. 63 " huiusmodi conversio non potest proprie dici motus, sed est quædam substantialis successio sicut in creatione est successio esse et non esse. „

panis, et per consequens locum panis quodammodo sortitur, mediantibus tamen dimensionibus panis (1). »

THESIS XIV.

Christus in Eucharistia fit præsens per transubstantiationem panis et vini in corpus et sanguinem Domini Nostri Iesu Christi.

958. Declaratio. — Reali corporis Christi in Sacramento præsentia iam præsupposita, hic proponitur demonstrandum, eam præsentiam *fieri* per *transubstantiationem* panis in corpus et vini in sanguinem Domini Nostri Iesu Christi; unde ipsa realis Christi præsentia iterum consequitur et confirmatur. Transubstantiatio autem accipitur, notione iam explicata, pro conversione totius substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Domini. Quo generaliore sensu, thesis *de fide* est ex conc. Trid. Sess. XIII, can. 2° iam superius citato.

Porro quod maxime demonstrari debet adversus hæreticos, est ipsius panis ac vini desitio; qua demonstrata, etiam modus, quo desinunt panis ac vinum per transubstantiationem, facillime persuadetur (2).

959. Demonstratio fit triplici argumento: ex verbis consecratoriis; ex veterum Patrum doctrina; ex universali consensu, quando primum orta est innovatio.

I. *Ex verbis consecratoriis,* quæ per se inspecta ea quatuor necessario postulant, quæ ad conceptum transubstantiationis vidimus requiri et sufficere.

Et 1° quando Christus Dominus, accipiens et ostendens panem, dicit: *hoc est corpus meum,* non solum affirmat hoc, quod sub illis panis speciebus exhibet, esse corpus suum, sed etiam negat esse panem. Ratio est quia, si adhuc inibi adesset panis, falsa esset illa propositio: *hoc est corpus meum;* et falsa esset, quia ex usu communi loquendi illud *hoc* necessario referendum est ad substantiam panis, quamdiu ea substantia manet. Regula est enim loquendi communis « quod si sub uno sensibili plures sint substantiæ, pronomen *hoc* eam designet, quæ per propria

(1) *Cont. Gent.* cap. 63.

(2) Licet ita cohæreant desitio panis et transubstantiatio, meminisse iuvat, esse duo dogmata distincta, quæ et distincte affirmari debent, aliter ac putaverunt Pistorienses.

accidentia est demonstrabilis, quamdiu substantia ipsa maneat sub illis. » Si e. g. includam in pomo aurum et adhuc inibi maneat pomi substantia, falso dicerem: *hoc est aurum,* sed dicendum esset: *in hoc est aurum.* Si autem per miraculum substantia pomi desineret et nulla alia superesset quam substantia auri; tum, licet manerent species pomi, attamen recte dicendum esset: *hoc est aurum;* quia facile intelligitur, pronomine *hoc* attentionem dirigi non ad accidentia, sed ad substantiam, quæ revera subest (1). Si itaque adhuc mansisset cum corpore Christi substantia panis, Christus ut vere loqueretur, dicere debuisset: *hoc est panis cum corpore meo,* vel: *in hoc est corpus meum;* non autem affirmare cum veritate potuisset: *hoc est corpus meum.* Sic veritas verborum Christi postulat, substantiam panis omnino cessasse (2).

Sed 2° etiam postulat, eiusdem Christi corpus esse præsens. Est enim hæc ipsa directa significatio illorum verborum *hoc est corpus meum.* Ut itaque sint vera Christi verba, sicut duo significant, etiam duo producere debent: desitionem panis et præsentiam corporis sui.

Verum 3° ea verba, sicut non divisim sed una simul enunciatione significant, ita etiam una simul actione producunt. Ea scilicet sic exponi possunt: *Hoc,* quod ostendo et quod in primo pronunciationis instanti est panis, *est* seu, pro natura propositionis practice effectricis, *fit corpus meum* seu transit in verum Christi corpus iam præexistens. Ergo virtute horum verborum hoc *unum efficitur,* ut id quod hisce speciebus continetur, seu substantia panis, *mutetur* in corpus Christi.

Denique 4° ut verius Christus diceret: *hoc,* quod erat panis, nunc est corpus meum, oportebat, ut illud *hoc* adhuc maneret aliquatenus idem, saltem sensibus, quibus Christus illud porrigens ostendebat. Ad hoc autem pertinet quod, transmutata substantia, sensibilia accidentia seu species, sic, ut prius, permanerent.

Ita igitur ex ipsis Christi verbis hermeneutice et per se inspectis dogma transubstantiationis invictissime probatur (3).

II. Verum etiam *ex Traditione* constanti et universali idem probatur.

(1) Si quis econtra ostendat vas vino plenum, recte diceret: *hoc est vinum,* quia vas suapte natura destinatur ad continendum, et, prouti continens est, consideratur tanquam accidens connaturale rei contentæ.

(2) S. Th. *Summ. th.* III, 75, 2.

(3) Quisque videt hanc argumentationem contineri in verbis ipsius Conc. Tridentini, Sess. XIII, cap. 4: *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi D. N.*

Nam 1° in iis antiquitatis testimoniis, quæ pro dogmate realis præsentiæ attulimus, iam generatim audivimus, panem et vinum *transformari, converti, mutari, transelementari* in corpus et sanguinem Domini; panem et vinum *fieri* corpus et sanguinem Christi; hanc autem conversionem comparari cum aliis conversionibus *substantialibus,* sed eam esse omnino miraculosam et nonnisi divinæ omnipotentiæ tribuendam; imo in eodem ordine poni cum creatione, certe quia utraque operatio nonnisi ab Eo fieri potest, qui potestatem habet in totum ens, sive ad illud totaliter producendum ex nihilo, sive ad illud totaliter transmutandum in aliud. Revoca inter alia, quæ de transmutatione eucharistica a S. Ambrosio audivimus.

Verum iuvat advertere 2°, quomodo Patres speciatim loquantur de terminis huius conversionis.

De termino *ad quem* seu de corpore Christi in Eucharistia ita post alios præclare Damascenus: *Est revera corpus unitum divinitati, natum ex S. Virgine corpus, non quod in cœlo assumptum corpus descendat ex cœlo* (motu locali), *sed quod panis ipse et vinum transmutatur in corpus et sanguinem Dei* (1). Ergo Christi corpus, in quod panis convertitur, est illud numero unum et idem, quod natum est de Virgine, ac proinde illud ipsum, quod iam præexistit et nunc est glorificatum in cœlo; ergo in eo iam in se perfecto, nulla potest partialis substantia panis, sive materia sive forma, ingredi ut pars componens et complens; ergo substantia panis omnino tota secundum formam et materiam desinit, ut ei sine mutatione succedat corpus Christi.

Sed id Patres diserte docent de termino ipso convertendo, seu *a quo.* Docent scilicet ante consecrationem *esse panem, esse vinum;* postea vero *non esse amplius panem, nec amplius esse vinum,* sed tantummodo, panem aut vinum esse *videri* sensibus, ideoque his non esse fidendum. Catechesim de Eucharistia concludit Cyrillus his verbis: *Plena imbutus fide, quod qui apparet panis, panis non est, etiamsi gustu sentiatur, sed corpus Christi; et quod apparet vinum, vinum non est, etiamsi gustus hoc velit, sed sanguis Christi..., confirma cor tuum* (2). In quibus et similibus expressionibus clarissime continetur omnimoda negatio substantiæ panis et vini, dum simul affirmatur, adhuc permanere panis et vini sensibiles apparentias et saporem.

Ex Patribus itaque ea notio transubstantiationis habetur, quam Tridentinum definivit.

(1) Damascenus, lib. IV, *De Orth. Fid.* cap. XIII.
(2) Cyrillus, *Catech. myst.* IV, n. 9.

III. Argumentum præscriptionis, quod etiam solum ad dogmatis demonstrationem valeret, pene idem redit ac quo usi sumus th. VI. Quare sufficiet illud per summa capita proponere hoc modo: Tempore, quo primum berengariana hæresis eucharisticam transubstantiationem denegare cœpit ac deinceps usque ad Wicleffum et Protestantes, eo tempore Ecclesia catholica, Græcis quoque consentientibus, pacifice et constanter tanquam rem fidei divinæ profitebatur, in Eucharistia non amplius esse substantiam panis et vini, sed eam desiisse per conversionem in corpus et sanguinem Domini. Atqui doctrina, quam consensu tam universali per aliquam temporis epocham Ecclesia profitetur ut divinam, censeri debet ab Apostolis tradita et a Christo revelata. Ergo ea doctrina, de conversione totius substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi, est vere apostolica et divinitus revelata.

Sane *minor* colligitur ex eo, quod si ea doctrina non esset revelata, foret innovatio humana et corruptio fidei apostolicæ; id quod in universali Ecclesiæ consensu contingere non posse, argumento historico et theologico constat. *Maior* evidentissime constat ex universali reclamatione contra Berengarianos, cuius præcipui auctores extiterunt Hugo lingonensis, Durandus abbas troarnensis, B. Lanfrancus, Guitmundus aversanus archiepiscopus, Algerus aliique (1); item ex damnatione Berengarii eiusque hæresis in Concilio Romano sub Gregorio VII facta an. 1079. In quo concilio Berengarius hanc retractationem subscripsit: « Ego Berengarius corde credo et ore confiteor panem et vinum, quæ ponuntur in altari per mysterium sacræ orationis et verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Iesu Christi Domini nostri, et post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine et quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris, et verum sanguinem Christi, qui de latere eius effusus est, non tantum per signum et virtutem sacramenti, sed in proprietate naturæ et virtute substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, et ego legi, et vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adiuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. »

Ad hanc fidem illius temporis confirmandam accedunt alia argumenta; et imprimis Doctorum et Theologorum consensus in eam transubstantiationis doctrinam, non tanquam libere disputandam, sed tanquam de

(1) Ita contra Berengarium B. Lanfrancus princeps catholicæ veritatis defensor fuit, sicut sec. IX contra Io. Erigenam B. Paschasius.

fide tenendam saltem propter auctoritatem Ecclesiæ (1); deinde ipsa generalia concilia Lateranense IV, Constantiense, Florentinum, et demum Tridentinum. Quod vero attinet ad Græcos, eorum in idem consensus apparet ex professione fidei Palæologi in conc. lugdunensi II, ex consensione Marci Ephesini in conc. florentino, ex responso Ieremiæ patr. ep. ad Protestantes tubingenses, ex damnatione in Cyrillum Lucarim atque ex aliis attestationibus.

THESIS XV.

Consecratione peracta, totus Christus sub utraque specie præsens est; et totus sub singulis cuiusque speciei partibus, sive separatis sive continuis.

960. Declaratio. — Duæ sunt partes: *Prima* de præsentia totius Christi sub utraque specie panis et vini; eaque *de fide* est etiam ex can. 3 Tridentini, Sess. xiii. Quam veritatem declarat ipsum Concilium dicens, « statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem, sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie *ex vi verborum;* ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, *vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ,* qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porro *propter* admirabilem illam eius cum corpore et anima *hypostaticam unionem* (2). » Quapropter tantusdem sub alterutra specie ac sub utraque Christus continetur, totus et integer sub specie panis, totus item sub vini specie. *Secunda* pars ponit insuper, totum Christum præsentem esse sub singulis utriusque speciei partibus, idque cum aliqua distinctione, prouti partes spectentur post vel ante separationem. Christum

(1) Audiatur pro omnibus princeps scholæ S. Thomas, qui scribit: *Quidam posuerunt, post consecrationem substantiam panis et vini in hoc sacramento remanere. Sed hæc positio stare non potest.* Affert quatuor rationes et concludit: *Unde hæc positio vitanda est tanquam hæretica*, III, 75, 2. In idem consentiunt S. Bonaventura, Scotus aliique. Id valeat contra Pusey, qui ante an. 1865 affirmaverat, opinionem de remanente substantia panis in Eucharistia, usque ad sec. XV, liberam fuisse. Cfr. Franzelin, th. xiv.

(2) Conc. Trid. Sess. xiii, cap. 3.

esse totum in qualibet speciei parte separata, *de fide* est ex citato can. 3, qui ita sonat: *Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; a. s.* Christum vero existere totum in singulis speciei partibus, etiam continuis seu ante separationem, non est quidem de fide, sed ex manifesta ratione theologica certissime constat; idque ipsum Tridentinum insinuat ubi, in cap. III eiusdem sessionis, illam restrictionem *separatione facta* omittit.

961. Demonstratur Pars I. — Primum argumentum est, quod præsentia totius Christi sub utraque specie iam implicite continetur expressa in ipsis verbis consecratoriis: *hoc est corpus meum; hic est sanguis meus.* Dum enim dicitur *hoc est corpus meum*, fit præsens Christi corpus prouti tum existit numero unum, cum suis omnibus intrinsecis perfectionibus, solo modo existendi diverso. Atqui corpus Christi nunc, quando verba dicuntur, est corpus humanum cum suo sanguine, vivum, hypostatice unitum et inseparabiliter Divinitati. Quando igitur per ea verba fit præsens sub specie panis corpus Christi, præsens fit corpus cum suo sanguine, anima informatum, hypostatice Verbo unitum, i. e. præsens fit sub speciebus panis totus Christus. — Intelligimus autem, corpus fieri præsens *vi verborum,* cetera corpori unita præsentia fieri *vi concomitantiæ* vel unionis tum naturalis tum hypostaticæ. Siquidem verba sunt efficacia secundum modum, quo significant. Atqui verba illa per se nonnisi corpus significant: ergo *vi sua* nonnisi corpus efficiunt. Cum tamen corpus, quod verbis significatur, sit corpus *tale* ut tunc exstat, quando verba dicuntur, corpus scilicet unitum tanquam pars inseparabilis toti Christo; hinc *vi illius connexionis* totus Christus illis verbis *monstratur,* licet non *significetur* totus. Eadem argumentatio valet de sanguine (1).

Alterum argumentum ad rem expresse confirmandam est in sermone Domini promittentis Eucharistiam, ubi phrasis *qui manducat meam carnem,* effertur tanquam synonima cum altera: *qui manducat me.* Ergo idem est manducare carnem Domini vel bibere eius sanguinem, ac manducare *ipsum Christum.*

(1) In triduo mortis Christi, si Apostoli consecrassent, verba *hoc est corpus meum* præsens effecissent corpus exsangue et inanimatum, sed unitum hypostasi Verbi; itemque verba *hic est sanguis meus* præsentem effecissent sanguinem separatum a corpore, qualis tum erat, Verbo hypostatice unitum. Cfr. Franzelin, th. XI, etiam in nota 1ª.

Argumentum tertium, ex traditione, amplificari posset testimoniis Patrum pene omnibus, quæ supra adduximus, et aliis, quibus prædicatur, in Eucharistia esse *corpus Christi vivum, corpus idem quod natum est ex Maria Virgine, quod sedet ad dexteram Patris,* esse *ipsum Christum* et explicite esse *totum Christum.* Sic S. Ephrem ait: *Agnum ipsum integre comedis* (1). Augustinus scripsit, Christum in ultima cœna *se ipsum propriis manibus gestasse* (2). Cyrillus dicit, nos per Eucharistiæ participationem effici *Christiferos* (3).

962. Pars II. — Quod Christus, *saltem separatione facta,* præsens adsit totus in singulis specierum partibus iisdem fere argumentis constat. Certum est 1° quod in ultima cœna singuli Apostoli susceperunt totum Christum; de singulis enim verificanda erat promissio: *qui manducat me et ipse vivet propter me.* Atqui tum Christus, post consecrationem, species panis aut saltem, absque dubio, species vini divisit singulis Apostolis. Ergo in singulis illis partibus separatis totus aderat Christus. Idipsum 2° confirmatur ex antiquissima totius Ecclesiæ praxi, qua fidelibus singulis communicantibus species consecratæ dividuntur, frangendo etiam, si opus sit, particulas. Reputat enim Ecclesia a singulis nihilominus recipi totum Christum. Ceterum 3° neque cogitari potest, Christum, qui iam non moritur, frangi adhuc et in partes dividi.

Verum si Christus continetur totus in singulis speciei partibus, separatione facta, debet item contineri totus ante separationem. Etenim 1° quod efficit Christi præsentiam sunt verba consecrantia; separatio, quæ postea fiat specierum, nil operari potest circa corpus ipsum Christi, sed tantum circa species; nec proinde dominici corporis præsentiam immutare potest. Hinc eadem manet post separationem præsentia, ac erat antea. Atqui post separationem Christus est totus in singulis partibus. Ergo item est ante separationem. Et revera 2° id exigunt verba Christi: *hoc est corpus meum.* Etenim ex dictis ea verba æquivalent aliis: *hoc est totus Christus,* quæ propositio vi transubstantiationis successit alteri: *hoc est panis.* Hisce positis, de quacumque parte symboli ante consecrationem verificabatur prædicatio *panis,* de ea quoque post consecrationem verificanda est prædicatio, quæ successit, *totus Christus.* Atqui prædicatio *panis* ante consecrationem verificabatur de quavis parte speciei, sive ea esset

(1) Lib. *de non scrutanda nat. div.* c. v.
(2) *Enarr. in Ps.* xxxi I^{a} n. 10; II^{a} n. 2.
(3) Cyrillus hier. *Catech. mystag.* iv.

separata, sive esset continua. Ergo post consecrationem de quavis parte speciei, sive separata sive continua, æque verificatur prædicatio, quod in ea est *totus Christus.*

THESIS XVI.

Corpus Christi est præsens in Sacramento cum sua etiam quantitate dimensiva aliisque accidentibus intrinsecis; attamen ad modum non dimensionis sed substantiæ; idque ad quandam analogiam cum modo existendi spirituum.

963. Declaratio. — Quæstio, quomodo corpus Christi totum cum suis omnibus partibus et qualitatibus sit præsens in symbolis eucharisticis peculiares exhibet difficultates; ad quas evitandas aliqui diversimode errarunt. Alii enim docuerunt corporis Domini solam substantiam absque quantitate aliisque accidentibus præsentem fieri (1); alii econtra e schola præsertim cartesiana, quæ naturam corporum in actuali extensione reponit, docent corpus ipsum Iesu Christi et partes eius in Sacramento adesse cum sua actuali extensione utut veluti ad punctum contracta (2). Ad duplicem errorem excludendum pertinet doctrina, quæ in prima et altera huius thesis parte exponitur, quæque est D. Thomæ, cui hac in re Theologi communiter consentiunt, et a qua proinde discedere non absque periculo esset. Tertia pars ex ipso S. Doctore aliquam proponit comparationem, qua huiusmodi existendi modus sacramentalis explicetur, scilicet analogice ad modum, quo substantia spiritualis existit.

964. Demonstratur Pars I. — *a)* Ex superius demonstratis, in Sacramento præsens est in primis substantia corporis Domini. Id enim exigit et vis verborum et notio explicata conversionis totius substantiæ panis in totam substantiam corporis Domini. Atqui, doctore Angelico, « quantitas dimensiva corporis alicuius non separatur secundum esse a

(1) Ita Durandus et aliquis recens Theologus. Cfr. *Scuola Cattolica,* 1883, m. Iunio, p. 521, ubi totam hanc doctrinam declaravimus, et unde hanc thesim exscripsimus.

(2) Rem generatim explicant per condensationem; condensationem vero maiorem vel minorem ex diversa resultantia duarum virium ad invicem agentium, hinc scilicet attractionis et inde repulsionis. Etiam Rosminius in eo corpore sacramentali, quod glorioso Christi corpori adiungit, mensuram et extensionem localem supponit.

substantia eius » (1). Ergo cum substantia corporis Domini etiam eius quantitas dimensiva præsens est in Sacramento. Cum hac ratione *b)* nectitur alia, quod secus Christus non esset *totus* in Sacramento, prouti fides docet. Et cum sine quantitate nec partes distinctæ, nec organa ulla esse possint; *c)* sequeretur Christi corpus in Sacramento sine distinctione partium, sine organis esse, proindeque nullas habere operationes vitæ vitaque ipsa destitui. Etenim doctore S. Bonaventura: « quamvis substantia possit abstrahi a quantitate, tamen quod corpus vivat et sit organicum et non sit quantum, hoc non esse nec intelligi potest (2).

Quod de quantitate, idem dici debet de omnibus dominici corporis accidentibus, quæ sint ei intrinseca. Eadem enim redit ratio, quia hoc pertinet ad totalitatem corporis Christi, et quia substantia eiusdem corporis non dividitur nec denudatur realiter a sua quantitate dimensiva et ab aliis accidentibus, quæ non modo eidem ab extra deriventur ex comparatione ad aliquid extrinsecum, sed eidem sint intrinseca et inhærentia (3).

Stet itaque veritas: in Sacramento corpus Christi esse *totum* cum substantia, quantitate aliisque intrinsecis accidentibus suis; verumtamen et cum illa maxime notanda distinctione, superius iam data: corporis quidem substantiam esse in hoc Sacramento ex *vi sacramenti* seu verborum; quantitatem vero aliaque eiusdem accidentia esse *ex reali concomitantia*. Ratio est quia « *ex vi Sacramenti* est in hoc Sacramento illud, in quod directe conversio terminatur: conversio autem quæ fit in hoc Sacramento directe terminatur ad *substantiam* corporis Christi; non autem ad dimensiones eius; quod patet ex hoc, quod quantitas dimensiva panis remanet, facta consecratione, sola substantia panis transeunte. » Quod autem una cum corporis substantia etiam eiusdem intrinseca accidentia præsentia fiant; hoc est ex reali eorundem cum illa coniunctione et concomitantia (4).

965. Pars II. — Præmittimus, quid sit existere per modum substantiæ et quid per modum dimensionis. Porro modus existendi proprius substantiæ est ille, quo substantia est sub dimensionibus. Manifestum est autem quod natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aëris est tota natura

(1) *Sum. th.* III, 76, 4.
(2) 4 Dist. 10, p. 1, a. 1, q. 2.
(3) *Sum. th.* III, 76, 4 et 5 ad 3.
(4) S. Th., ibid., a. 4.

aëris; et sub qualibet parte panis est tota natura panis. Modus itaque existendi proprius substantiæ est, quod sit tota in toto et tota in qualibet parte totius. Econtra hic est proprius modus existendi quantitatis dimensivæ, ut scilicet sit tota in toto et pars in parte, sicut tota quantitas aëris est in toto ambiente et quælibet pars quantitatis aëris est in qualibet respondente parte ambientis.

Iamvero in hoc Sacramento ex vi Sacramenti fit præsens sola substantia corporis Domini absque eius quantitate dimensiva; ergo fit præsens non ad modum suæ dimensivæ quantitatis, sed ad modum ipsius substantiæ ita, ut sit tota in tota hostia et tota in qualibet hostiæ parte. Econtra quantitas dimensiva corporis Domini fit præsens non per se et ex vi Sacramenti, sed quasi per accidens et consequenter, seu ex vi concomitantiæ mediante substantia, cum qua coniungitur proindeque præsens fit non secundum proprium modum, ut scilicet sit tota in toto, et singulæ partes in singulis partibus, sed per modum substantiæ, cuius natura est ut sit tota in toto, et tota in qualibet parte. Ratio est, quia modus essendi cuiuslibet rei determinatur secundum id, quod est ei per se, non autem secundum id quod est ei per accidens; sicut corpus est in visu secundum quod est album, non autem secundum quod est dulce; unde et dulcedo est in visu secundum modum albedinis et non secundum modum dulcedinis (1).

Iuxta Bellarminum modum huiusmodi existendi corporis Christi in Sacramento Concilium Tridentinum exprimere voluit, quando definivit corpus Christi esse in Eucharistia *substantialiter*. « Porro modus existendi sacramentalis et tamen *verus* et *realis*, non poterat melius explicari quam illo verbo *substantialiter*. Idem significat totum Christum existere in Sacramento ad modum substantiæ, *non quantitatis*. Porro substantia, secundum se, neque ordinem habet ad locum, neque ad corpora circumstantia. Quare in Christo (ut est in Sacramento) est quidem debita magnitudo, præter substantiam, sed per eam non occupat locum, neque extenditur ad extensionem magnitudinis, sed est per modum substantiæ (2). »

Et ita corpus Christi in Eucharistia neque specierum neque loci dimensionibus commensuratur, neque proprie in loco est, quia in loco non est dimensionibus propriis, sed alienis seu dimensionibus hostiæ, quæ propriæ erant substantiæ panis, quæ desiit. Sub panis speciebus eorumque dimen-

(1) S. Th. III, 76, a. 3 et 4.
(2) Bellar. *De Euch.* l. I, c. 11.

sionibus Christi corpus absconditur, quin ab illis modum aut mensuram aut qualitatem recipiat. Christi corpus neque conspicitur, neque tangitur, neque ponderatur, neque mensuratur, neque ad locum immediate refertur. Conspiciuntur, tanguntur, mensurantur, ponderantur panis species, sub quibus dominicum Corpus continetur, et per eas dicere possumus: illic est corpus Christi ideo solum, quod *illic sunt species illud continentes*. Et species illud totum ita continent, ut idipsum integre totum sub illis sit et, extra illas, minime. Sed sub speciebus dominicum corpus ita invenitur, ut non explicetur, nec dimensionibus specierum commensuretur. Ibi est totum et perfectum cum omnibus partibus, magnitudine et qualitatibus suis, sed dici nequit: hic est caput, illic pedes sunt; sed totum cum omnibus partibus et qualitatibus suis in tota hostia et in qualibet hostiæ parte est.

Ex hisce omnibus apparet, nullam esse actualem coextensionem ad locum in corpore Domini eucharistico admittendam, neque contractam et punctalem. Nam etiam punctus, quamvis indivisibilis, ad extensionem localem, cuius est principium, pertinet; contractio autem illa dominici corporis, quocumque modo concipiatur, omnino indigna et ridicula foret (1).

Verum obiici potest: in hoc Sacramento corpus Christi fieri præsens sine mutatione totum et idem prouti est in cœlo, proindeque prouti partes suas in cœlo coextendit.

Respondeo cum D. Thoma, quod Christo non est idem *esse secundum se, et esse sub hoc Sacramento* seu secundum habitudinem eius ad hoc Sacramentum (2). Corpus Christi in seipso, prouti est in cœlo, circumscribitur loco et partes explicat respondentes ad loci partes, sed idem Christi corpus, prouti refertur ad hoc Sacramentum, loco non circumscribitur nec partes disponit in ordine ad partes loci. Ipsa autem coextensio localis, quam Christi corpus habet in cœlo, cum sit accidens per comparationem ad extrinsecum locum, ideo non oportet quod a corpore Domini secum feratur in hoc Sacramento. Ipse S. Thomas ad eam distinctionem recurrit, ubi sibi obiicit: corpus Christi, cum sit

(1) " Relicta imaginatione, indivisibilitas substantiæ incorporeæ, ut Dei, vel angeli vel animæ, vel etiam materiæ, sicut indivisibilitas puncti non cogitetur, quia ut dicit Boetius l. *de Trin.*, oportet intellectualia non deduci ad imaginationem. „ S. Thomas I D. 37, q. 2, a. 1 ad 3^m. Lessius, non quia revera sic conciperet indivisibilitatem sive substantiæ spiritualis sive corporis Domini in Sacramento; sed ex nimio claritatis amore, ut rem veluti sub oculos poneret, in conceptus incidit plus quam æquo imaginarios. *De div. perf.* l. XII, n. 124.

(2) III, 76, 6.

organicum, habere partes determinate distantes et hoc esse non posse, si sub qualibet parte specierum esset totus Christus. Respondet enim: « talis distantia partium est quidem in *ipso corpore* Christi vero (secundum esse in seipso), sed non secundum hanc distantiam *comparatur ad hoc* Sacramentum, sed secundum modum suæ substantiæ » seu hæc distantia non est in corpore Christi, secundum esse, quod habet sub hoc Sacramento (1). Ergo huic Sacramento corpus Christi totum et idem comparatur, quod est in cœlo, sed non prouti extensive in cœlo est. Nec ideo sequitur ulla, per se, mutatio in corpore Domini, ut quisque videt.

966. Pars III. — I. Quod denique ad aliquam ulteriorem explicationem hic modus, quo dominicum corpus est in Sacramento, comparari aliquatenus possit cum illo spirituum, *a)* aperte docet S. Thomas ubi scribit: « Dicendum quod spiritui competit esse totum in toto et in qualibet parte; quia non habet quantitatem nec a quantitate substantia eius dependet. Corpus autem Christi, quamvis in se consideratum non absolvatur a propria quantitate, tamen non comparatur ad hostiam, sub qua est, secundum propriam quantitatem et ideo non est spiritus, sed participat quantum ad aliquid proprietatem spiritus secundum comparationem ad species, sub quibus continetur (2). »

Propter hanc analogiam etiam *b)* SS. Patres appellant corpus Christi, formaliter ut existit in Sacramento, *corpus intelligibile, agnum spiritalem, corpus et sanguinem spiritalem, cibum et potum incorporeum.* Citari possunt Chrysostomus, Ephrem, uterque Cyrillus, Ambrosius, Lanfrancus, Algerus aliique (3).

Insuper *c)* hæc comparatio ex eo apta esse videtur, præsertim in expositione catechetica, quod nos illico admonet, altiori modo et supra physicas leges materiæ hanc sacramentalem præsentiam concipiendam esse. Ad quem modum spiritalem concipiendi statum sacramentalem dominici corporis animo etiam disponimur, tum ex spiritualibus dotibus, quibus nostra ipsa corpora glorificata fruentur, tum ex illis excellentioribus dotibus, quæ a gloriosa anima Christi et ab ipso Verbo in eius sanctissimum corpus dimanant. Inde enim facilius assequimur, dari etiam divinam quandam et supernaturalem mechanicam, qua corpus a connaturalibus relationibus ad locum et spatium eximatur et ad modum existendi spirituum quodammodo elevetur.

(1) III, 76, 3 ad 2.
(2) In 4 D. x, q. 1, art. 3, quæstiunc. 4, Solut. III.
(3) Franzelin th, XI, n. 3.

II. Cum autem analogia et similitudinem et diversitatem postulet; tum utraque inter spiritalem et sacramentalem existendi modum intercedit, idque ex triplici præsertim capite: in modo existendi in *uno loco,* in modo existendi *in pluribus locis,* in modo, quo vel spiritus vel eucharisticum corpus *loco movetur.*

Primo quidem, sicut anima nostra est tota in toto corpore et tota in qualibet parte corporis et sicut Angelus ipse est præsens totus in toto loco et totus in qualibet parte loci, inter cuius terminos suam virtutem applicat; ita pariter corpus Christi est totum in tota hostia et tota in qualibet eius parte. Et sic utrumque, sive spiritus sive corpus Christi, non est in loco *circumscriptive,* sicuti proprium esset corporum in statu naturali. Ratio autem rei in idem convenit, quod scilicet spiritualis substantia est absque dimensionibus et substantia dominici corporis in Sacramento, etsi dimensiones habet, ab iis tamen earumque legibus præscindit. Est tamen diversitas duplex: prima, quod spiritus loco coniungitur per applicationem propriæ virtutis et corpus Christi per dimensiones alienas seu panis, cuius substantia conversa est in ipsum; altera, quod spiritus intra terminos, quibus *totam* suam virtutem applicat, ita *definitur,* ut alibi esse non possit; dum econtra corpus Christi non ita definitur intra has dimensiones huius panis, ut non possit interim contineri sub aliis dimensionibus alterius panis alibi in ipsum transubstantiati.

Ex secundo capite similitudo est quod, sicut corpus Christi simul est in pluribus hostiis et pluribus altaribus etiam spatio longe separatis; ita etiam Angelus potest adesse præsens pluribus locis spatii intervallo disiunctis. Sed ratio rei est longe diversa. Nam pro corpore Christi ratio est multiplicitas transubstantiationum, unde est in diversis locis, prouti diversæ sunt dimensiones, sub quibus per diversas transubstantiationes in diversis altaribus ponitur. Pro Angelo ratio est, quod uni loco totam suam virtutem non applicaverit ita, ut eam nondum exhaustam etiam alibi applicare potuerit. Loca vero, disiuncta quidem quoad nos, sunt unus locus relate ad Angelum, qui pro sua spirituali natura nullam habere potest distantiam vel indistantiam localem, solum corporum propriam.

Ex tertio demum capite similitudo in eo est, quod sicut, moto corpore nostro, movetur per accidens spiritualis substantia animæ nostræ; ita, motis speciebus, dicitur moveri per accidens corpus Christi in illis contentum et sic per accidens attolli, deponi, deferri, transferri de manu ad os, manducari (1). Quod si aliquis diceret motum nostri corporis

(1) S. Thomas, III, 76, 6 ad 1^m.

realiter in animam recipi, tunc et illa esset notanda differentia, quod in corpore Christi motus specierum nulla mutatione recipitur. Sic et Angelus, si corpus, in quo esset, moveretur, nullum in se pateretur motum localem, cuius est omnino incapax; sed, ad motum corporis per successiva loca transeuntis, successivas consequeretur præsentias.

III. Post hæc, quis obiicere potest: nos hac comparatione frustra voluisse rem difficilem per difficiliorem explicare. Respondemus: longe difficilius esse modum existendi sacramentalem intelligere, quam illum spirituum. Et hæc altera est diversitas, quæ, in utriusque comparatione, cum altera similitudine coniungitur. Similitudo est, quod uterque existendi modus nullo oculo corporeo, quamtumvis glorificato, videri possit. Sicut enim substantia spiritualis, ita et corporum pura substantia, suis phænomenis denudata, obiectum sensuum esse nequit, sed solo intellectu apprehendi potest. Sed diversitas in eo est, quod existere spirituum tum naturali ratione coniici potest ab intellectu humano, tum perfecte cognoscitur ab angelico, quippe intra ordinem naturalem comprehenditur; dum econtra præsentia sacramentalis nullo intellectu creato etiam angelico cognosci potest. Ratio est, quia modus essendi corporis sub aliena dimensione per modum substantiæ excedit omnino ordinem rerum naturalem, qui exigit ut substantia corporea mediante sua quantitate extrinseco loco contineatur. Supernaturalia vero nec ab angelis nec ab hominibus naturaliter cognoscuntur. Verum, sicut cetera supernaturalia etiam hic modus sacramentalis essendi, quoniam non excedit obiectum adæquatum intellectus creati, ideo cognosci potest, tum ab intellectu viatoris sola fide, proindeque non in se sed analogice, tum ab intellectu comprehensoris, sive angelico sive humano, intuitive in divina essentia, proindeque, sicut in se est, seu cognitione propria (1). Et quod de facto omnes beati intueantur Christum, etiam prouti est in Sacramento, nullum potest esse dubium. *Sicut* enim *audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri* (2).

COROLLARIUM.

Qualis sit Christi hominis vita et operatio in Eucharistia?

967. *Imprimis* anima Christi etiam in statu sacramentali retinet omnes perceptiones, quas Christus alibi in propria specie existens habet ex

(1) S. Th. III, 76, 7.
(2) *Ps.* 47, 9.

sensuum exercitio. Ea *deinde* potest elicere etiam in hoc Sacramento eos actus immanentes et a sensibus independentes, quos et in cœlo; cuiusmodi sunt visio beatifica, cognitiones scientiæ infusæ et ab his dependentes voluntatis actus. Porro eâ amplissima scientiâ Christus homo, etiam quatenus est in Eucharistia, ex suapte dignitate cognoscit omnia, quæ sunt, erant et erunt; at, speciali titulo, ex ipso fine huius instituti Sacramenti, videt omnia corda hominum totamque vitam externam et internam suæ Ecclesiæ eiusque labores, persecutiones et victorias; titulo autem specialiore videt et quodammodo sentit cogitationes omnes et affectus hominum, prouti ad ipsum Sacramentum sive in obsequium sive in contemptum referuntur, præsertim fidelium et sacerdotum, qui propinquius adsistunt et ministrant. Quantum *tertio* ad exercitium sensuum, illud per se admitti nequit in corpore Christi, prouti est in hoc Sacramento, in quo nullum habet quantitativum contactum cum externis obiectis. Attamen quod aliquo *supernaturali modo* Verbum suæ humanitati, etiam in hoc statu sacramentali, illud exercitium sensuum tribuat; id positivis argumentis Scripturæ et Patrum demostrari nequit, sed *pie* cogitari potest, quia id congruere videtur cum scopo et fine Sacramenti ipsius. Christus enim cum suis fidelibus non solum spirituale, sed etiam corporale commercium inire voluit; quod sane fit non tantum per præsentiam corporis veluti mortui, sed et per actus ipsorum sensuum sacratissimi corporis, quibus Christus suorum audiat gemitus et videat fletum (1).

SCHOLIA.

I. *De obiectivâ realitate specierum sacramentalium.*

968. Quod species panis et vini post consecrationem remanent, id sensuum experientia constat. Quæstio est: utrum sint aliquid physicum reale remanens ex pane et vino? Post invectam cartesianam philosophiam, quæ nullam admittit distinctionem realem inter substantiam et accidens, aliqui Theologi defenderunt nihil omnino panis remanere post transubstantiationem, species autem sacramentales esse puras apparentias. Eas autem explicant, quatenus Deus ipse virtute sua vel subiective in *nostris sensibus*, vel obiective in *ethere et quibusdam impon-*

(1) Ille *supernaturalis modus* exercendi sensus, quem Verbum suo eucharistico corpori tribueret, responderet modo pariter supernaturali, quo ss. corpus sine actuali extensione existit in Eucharistia.

derabilibus easdem *impressiones* vel *vibrationes* excitet, ac quæ prius ab exstante panis realitate producebantur.

Verum, transmissa philosophica quæstione, fortasse insolubili, de accidentium natura, *theologice certum* est, licet expressa non adsit definitio, *species sacramentales esse aliquid obiective reale remanens ex pane et vino, cuius tota substantia transiit.*

Nam 1° Patres sedulo distinguunt sacramenti *partem visibilem:* species, et *partem invisibilem:* corpus Christi. Iamvero, in sacramentis pars visibilis est id, quod dicitur *sacramentum tantum,* illud scilicet *signum sacrum,* quod ab omnibus intelligitur res aliqua sensibilis obiectiva. Disertius vero hanc partem Patres vocant *rem, rem materialem, panis ac vini sensibilem naturam, permanentem naturam panis et vini, permanentem proprietatem naturæ panis et vini* (1). Realitatem insuper specierum defenderunt contra Monophysitas, qui totali conversione panis in corpus Christi abutebantur ad inferendum, ita humanitatem Christi in divinitatem fuisse conversam, ut in eo proprietates humanitatis essent solum apparentes, non reales. Patres ex adverso respondebant, reales in hoc mysterio esse proprietates panis remanentes, et inde revinci reales proprietates humanitatis in Christo. Eandem realitatem declararunt deinceps contra Berengarianos catholici scriptores, inter quos præsertim Algerus. Cum enim hæretici illi substantiam panis in Eucharistia postularent ad salvandam partem realem et sensibilem Sacramenti; tum catholici respondebant, hanc partem sensibilem et realem esse species remanentes, ideoque formam, soliditatem, saporem panis aliquid esse non phantasticum, sed verum et reale.

Accedit 2° scholæ consensus omnino unanimis, isque unice ortus ex fidei principiis; quia Doctores fatentur separabilitatem accidentium a sua substantia demonstrari ratione non posse. Cohæret 3° doctrina Conciliorum præsertim tridentini, quod dum definit, aliquid *quod erat ipse panis et vinum transisse,* simul annuntiat, aliquid *quod erat ipsius panis et vini manere,* scilicet *species* (2). Hinc 4° sunt Theologi, qui hanc doctrinam dicunt *de fide* esse, inter quos Suarez affirmat, esse *fide certum* manere accidentia *eadem numero, quæ in pane et vino*

(1) Franzelin, th. XVI, n. 2.

(2) Conc. Trid. Sess. XIII, can. 2. Cfr. Conc. Later. IV, Cap. *Firmiter;* Flor. Ad Armenos. Adverte *species* potius quam *accidentia* dici, quia de accidentibus sensu spectabilibus agebatur.

præfuerunt (1); Toletus ait, hanc *conclusionem esse de fide* et *expresse haberi* in Conc. Tridentino (2).

969. Modo sequitur quæstio: quomodo *consistant* hæ species, quas theologice constat esse obiective reales? Respondemus: *Eucharistiæ species seu accidentia sine subiecto divinitus conservari.* Id porro 1° definitum fuit in Conc. Constantiensi damnatione propositionis secundæ Wiclefi: *Accidentia panis non manent sine subiecto in Sacramento altaris.* Cuius contradictoria asserit: *accidentia panis manere sine subiecto in Sacramento.* Nec propositionis sensus potest esse dubius, si revocas hunc esse errorem peculiarem Wiclefi, unde totam suam hæresim de Eucharistia deducebat: impossibile esse, etiam de potentia Dei absoluta, ut accidens sit sine subiecto. Cum enim facto constet in Sacramento extare panis accidentia; inde concludebat inibi et adesse panis substantiam.

Id 2° declaratur ratione theologica. Etenim ex una parte fide constat, desiisse subiectum eorum naturale, quod erat substantia panis et vini; ex altera vero parte absurdum foret dicere, quod ipsum corpus Christi esset subiectum, cui illa accidentia inhærerent, sicut antea inhærebant, substantiæ propriæ. Ergo necesse est dicere, species illas sine omni subiecto conservari divinitus. Confirmatur 3° ex Theologis pene omnibus, qui una simul coniungentes *remanentiam* specierum cum *absentia* proprii subiecti, utrumque asserunt esse fidei doctrinam seu ut ait Billuart, *constans dogma* in Ecclesia receptum (3). Catechismus autem romanus docet: « Tria in hoc Sacramento.... fides catholica sine ulla dubitatione credit.... Tertium est, accidentia sine ulla re subiecta esse, mira quadam atque inexplicabili ratione (4). »

970. Hinc si ulterius quæratur: quomodo *concipi* possit ista specierum consistentia sine subiecto, fatendum est id lumine rationis intelligi evidenter non posse (5). Attamen inter varias explicationes magis congrua

(1) *De Euch.* D. 56, Sect. 1, n. 1.

(2) *In 3 P.* q. 75, art. 5; et Conc. Trid. Sess. XIII, can. 2.

(3) *De Euch.* Diss. 1, a. 6, § 2.

(4) *De Euch.* n. 26-45.

(5) Utrum accidens a sua substantia separari et sine ea subsistere possit, est per se quæstio philosophica. Quam tamen philosophia, quousque ignorata manebit corporum natura, evidenter solvere nequit. Ea indirecte soluta manet, solutione certa eaque affirmante, ex demonstrata realitate specierum sacramentalium. Hac separabilitate præsupposita, facile intelligimus, Deum posse accidentia sine subiecto conservare. " Cum enim effectus magis dependeat a causa prima, quam a causa secunda, Deus, qui est priam

et præferenda est illa S. Thomæ, qui docet, quantitatem dimensivam manere immediate sino subiecto, accidentia vero reliqua inesse et fundari in quantitate. Scilicet, sola quantitas dimensiva per omnipotentiam Dei absolute subsistit; cetera vero accidentia in quantitate tanquam in *vice-substantia* subiectantur (1).

II. *De specierum habitudine cum corpore Christi.*

971. Quæritur: an, quænam, quomodo sit coniunctio corporis Christi cum speciebus? Responsio est multiplex: 1° coniunctio aliqua certo adest, quia id exigunt verba formæ: *hoc*, quod vobis spectabile ostendo, *est corpus meum*; 2° coniunctio est omnino realis, prouti et realis est præsentia corporis Christi sub ipsis speciebus; 3° non est tamen unio physica tanquam subiecti cum suis accidentibus, quia secus corpus Christi illis accidentibus panis afficeretur, sicuti ipse panis; sed 4° nescimus quid proprie ea sit, quippe ex transubstantiatione resultans, quæ fere ignota Theologis manet; attamen 5° dici potest unio quædam moralis, seu potius *sacramentalis* ad unum scilicet constituendum Sacramentum. Videlicet: species panis et vini sunt pars sensibilis Sacramenti significans et demonstrans corpus et sanguinem Christi præsentia; corpus et sanguis sunt pars invisibilis, significata et demonstrabilis per species; corpus vero et sanguis Christi una cum speciebus constituunt integrum Sacramentum, exprimens et producens spiritualem animarum alimoniam.

972. Ex hac sacramentali unione corporis Christi cum speciebus colligitur, quæ mutationes factæ in speciebus possint prædicari de corpore Christi, quæ non possint. Sunt *imprimis* mutationes, quæ licet per se factæ in species, per has quodammodo transeunt etiam ad corpus. Hæ mutationes prædicantur etiam de corpore. Huiusmodi sunt mutationes per motum localem specierum, quibus motis, etiam corpus Christi dicitur per accidens moveri, poni in altari, elevari, distribui, manducari (2). Sunt *deinde* aliæ mutationes, quæ proprie competunt tantum accidentibus, attamen concipiuntur eis convenire, quatenus coniunguntur cum corpore Christi ad unum constituendum Sacramentum. Hæ mutationes, sensu

causa substantiæ et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam „. S. Th. III, 77, 1.

(1) *Sum. Theol.* III, 77, 2.

(2) S. Th. III, 76, 6 ad 1^{m}.

quodam *sacramentali*, prædicari possunt, per quandam idiomatum communicationem, etiam de corpore Christi, quatenus est præsens sub speciebus ipsis; unde corpus Christi dici potest *videri*, *tangi*, *frangi* (fractione liturgica). Sunt *demum* mutationes, quas concipimus convenire speciebus præcise quatenus sunt aliquid distinctum a corpore Christi. Hæ mutationes sive affectiones nullo modo prædicantur de corpore Christi; unde quando species calefiunt, corrumpuntur, etc. dici nequit corpus Christi item calefieri, corrumpi, etc., nec de corpore Christi prædicari possunt ipsæ permanentes species earumque qualitates, color, odor, extensio, figura, etc.

III. *De corruptione specierum et recessione corporis Domini.*

973. Quoniam facto constat, species subinde mutari ac corrumpi; id apte explicatur sive per actionem corporum circumstantium, quæ pergunt in eas agere eodem modo ac si subesset substantia panis et vini; sive per actionem mutuam specierum ipsarum, quatenus partes singulæ illius quantitatis, quam ex D. Thoma diximus remanentem, eodem modo ac prius agunt in se invicem (1).

Cum vero mutatio huiusmodi specierum eo usque deveniat, ut non sint amplius species panis et vini; hoc ipso desinunt esse species iuxta Christi institutionem *sacramentales*, h. e. signa præsentis corporis et sanguinis Domini; et consequenter cessat præsentia corporis et sanguinis Domini sub illis (2).

974. Tum quæritur: utrum aliqua alia substantia fiat præsens sub speciebus illis mutatis et quænam? Quod speciebus iam corruptis, alia succedat substantia, omnes Theologi plane concedunt, solum disputantes quænam et quomodo. Verum videtur ea substantia succedere, quæ ex panis et vini corruptione fuisset generata, seu eadem quodammodo materia restitui, quæ primo desierat, in eo quidem statu (massæ cuiusdam vel aceti), qui ipsis speciebus corruptis respondeat. Utrum id accidat per modum creationis an potius per modum conversionis quantitatis ipsius in materiam, S. Thomas non decernit, sed utrumque modum dicit probabilem (3). Verius neutro modo res contingere videtur; sed quando species panis corrumpuntur, tunc, vi verborum consecrantium deficiente,

(1) *Sum. Theol.* III, 77, 3 et 4.
(2) *Sum. Theol.* III, 76, 6.
(3) *Sum. Theol.* III, 77, 5.

cursus rerum naturalis, qui verbis illis tantum fuerat suspensus, redit; quo fit ut, desinente dominico corpore, pristina materia, veluti si a corrupta quantitate panis postularetur, restituatur. In quo porro miraculum novum est nullum, sed potius est cessatio antecedentis miraculi, quod ex ipsa consecratione perdurabat.

Res ita concipi potest: Deus res creando a principio dixit, et res conservando pergit quodammodo dicere suum creativum verbum: *fiat* supra rem quamcumque existentem ideoque etiam super panem: *fiat hoc ens* i. e. *fiat panis*. Sed ex instituta Eucharistia aliud verbum ab eodem Deo pronunciatum succedit: *hoc*, quod erat panis, *est corpus meum*, illudque veluti affixum permanet speciebus consecratis quousque permaneant. Exinde prioris verbi creantis efficacitas tanta suspenditur, quanta et quamdiu exigitur ab altero eucharistico verbo. Sed hoc verbum exigit, ut panis substantia transeat et quidem solum quousque vis ipsius verbi perduret. Atqui vis huius verbi eo usque perdurat, quo durat illud *hoc*, quo desinente, sensus quoque et vis propositionis desinunt; illud autem *hoc* speciebus affixum cum ipsis desinit. Ergo, desinentibus speciebus, deficit etiam vis verbi consecrantis, eâque deficiente, tota vis redit nusquam intermissa verbi creantis: *fiat panis* et *fiat* quidem in eo statu, qui respondeat eius speciebus, prouti tunc extant. Sic pristina materia suis speciebus restituitur, non quidem per novam creationem, quia neque in nihilum redacta fuerat; non per remanentis quantitatis conversionem, quia potius ab ea sui corruptione revocatur; non per aliudcumque novum miraculum, quia econtra id fit per cessationem præcedentis miraculi eucharistici: sed tota res in pristinum restituitur naturali rerum cursu tum sponte sua revertente, cum primum verba consecrantia, sacramentalibus speciebus antea affixa, ab illis desinentibus desinunt.

Hinc liquet quomodo species nutriant. Cum enim fit nutritio, iam species sunt mutatæ, quia ipsa nutritio non est sine hac cibi mutatione; speciebus autem mutatis, iam incepit subesse alia substantia quæ proprie nutrit (1).

(1) Lessius, *De Perfect. div.* lib. XII, n. 110; De Lugo, *De Euch.* Disp. 10, sect. II, n. 31; Franzelin, th. XIV, sch. 1°; th. XVI in fine; Billot, *S. th.* III, 77, 5.

CAPUT III.

DE EUCHARISTICI SACRAMENTI FRUCTU.

975. Effectus huius ss. Sacramenti alii possunt intelligi circa animam, alii circa ipsum corpus: de utrisque breviter. Consequens erit, ut aliqua addamus etiam de obligatione et dispositionibus ad communicandum. Hinc tres erunt paragraphi.

I.

De ss. sacramenti fructu in anima.

976. *Huius sacramenti fructus in anima est supernaturalis vita eius, non inchoanda per remissionem peccati, sed conservanda et perficienda.* Tria asseruntur. *Primum* generatim constat ex eo, quod omnia sacramenta gratiam sanctificantem conferunt ex opere operato. Speciatim vero de Eucharistia late probatur ex ipso Christo asserente, hunc panem esse *vitæ,* ex quo si quis manducaverit *non morietur,* sed *habebit vitam in se* et *vivet in æternum* (Io. VI, 48 et seqq.); itemque ex diserta Patrum doctrina, nec non ex plurimis theologicis rationibus, quas inter optima est, quod ipse Christus hic contentus et Passio eius in hoc mysterio repræsentata sunt primum atque efficacissimum gratiæ principium (1).

Verum *deinde,* quod huius sacramenti proprium non sit primam animæ vitam infundere per remissionem peccati; id declaratur ex ipsa sua ratione *cibi* et *potus,* qui proprie ad vitam nutriendam et conservandam pertinent, non ad eam primo conferendam (2); tum demonstratur ex terribili sententia, quam intentat Apostolus in indigne manducantes simulque ex illo præcepto: *probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* (I Cor. XI, 27, 29); itemque ex doctrina et praxi totius antiquitatis christianæ vetante, ne quis ante expiata delicta, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, vim inferat corpori et sanguini Domini (3). Quando igitur Patres remissionem peccatorum videntur numerare inter effectus Eucharistiæ, intelligi

(1) Has rationes cum aliis optime evolvit S. Thomas, III, 79, 1.
(2) S. Thomas, l. c. et art. 3.
(3) Passim Cyprianus, ubi de lapsis.

debent vel de remissione impetrata sacrificio, vel de remissione venialium, vel de ablatis reliquiis peccatorum et de præservatione a futuris; vel, si etiam de remissione lethalium, de ea tamen, quæ aliquando fit *per accidens*, dum quis in statu peccati, at bona fide et attritus, ad Sacramentum accedat.

Hinc *tertio* fit, quod per se effectus huius sacramenti sit supernaturalem vitam animæ conservare et perficere. Id adhuc confirmatur ex eo, quod hoc Sacramentum intrinseca sua ratione est ad modum *cibi* et *potus;* hinc enim « omnem effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando et delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem (1). » Ipsæ promissiones, quæ referuntur Io. VI, quod de hoc cibo manducantes habebunt vitam in seipsis et manebunt in Christo et Christus in eis, aptius explicari nequeunt, quam de ipsius supernaturalis vitæ incremento et conservatione (2).

977. *Cum huiusmodi effectu perficiendi et conservandi vitam alii connectuntur, nominatim: remissio venialium, præservatio a mortalibus, pignus futuræ gloriæ, unio nostra cum Christo et cum corpore eius mystico.* Ita declaravit Tridentinum, sumi Sacramentum hoc, « tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, ipse vivet propter me (Io. VI): et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit (Salvator noster) futuræ nostræ gloriæ et perpetuæ felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cuius Ipse Caput existit, cuique nos tanquam membra arctissima fidei, spei et charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata (3). »

Porro ad perficiendam animæ vitam, ut promptius prodeat in actus, pertinet *remissio venialium,* quia per veniale peccatum retardatur animæ affectus ne prompte in Deum feratur (4). Venialia vero Eucharistia remittit tum *mediate* excitando devotionem et caritatis fervorem, quibus actibus homo ipse suas culpas delet; tum etiam *immediate* ex opere operato maculam venialis peccati delendo eo ipso, quod suam infundit gratiam sacramentalem (5).

(1) Ita Eugenius IV ad *Armenos* verbis ipsis utens S. Thomæ ex l. c. a. 1.
(2) Franzelin, th. III.
(3) Sess. XIII, cap. II.
(4) S. Thomas, III, q. 87, a. 1.
(5) De Lugo Disp. XII, sect. 4, n. 83; Cfr. Suarez in III, Disp. 63, sect. X. Ad

Ad conservandam animæ vitam Eucharistia *præservat a peccatis mortalibus;* est enim panis vitæ, *ut si quis ex eo manducet non moriatur.* Præservat autem conferendo actualia Dei auxilia ad peccata vitanda. Quibus sub auxiliis comprehendimus omnem rationem divinæ providentiæ, qua ita gubernat et protegit hominem, ut vel illum a tentationibus liberet vel ad eas superandas vires præbeat. Ad id Eucharistia digne sumpta concurrit multipliciter; sive lumine aliquo speciali illustrando mentem; sive animam spirituali dulcedine delectando et quodammodo inebriando, ut fiat minus sensibilis ad tentationes; sive etiam fugando dæmones et ipsum minuendo fomitem, vel debilitando carnis motus excitandoque contrarios (1).

In hac conservata et aucta gratiæ vita continetur iam *pignus et arrha vitæ æternæ.* Gratia enim cum donis adnexis est semen gloriæ; et ideo Eucharistia, dum gratiam sanctificantem simulque fidem, spem et caritatem conservat et auget in anima, non modo præfigurat, sed iam hic inchoat eam cum Deo unionem, quæ completa erit in visione, fruitione et caritate perfecta, et ad eam nos nutrit et præparat.

Hinc denique Eucharistia nostram *unionem cum Christo* et cum omnibus membris corporis eius mystici, dum significat, etiam auget et perficit. Id porro etiam alia sacramenta præstant hoc ipso, quod gratiam et caritatem in nobis augent; sed ad id Eucharistia per se primo et directe ordinatur. Ordinatur in primis ad nos uniendum cum Christo, sicut ipse Christus indicavit: *qui manducat meam carnem, in me manet et ego in illo* (Io. VI), et sicut innotescit ex ipsa natura huius sacramenti, quo Christus nobiscum unitur, tanquam alimentum cum alito. Quæ unio cum Christo Capite secum affert unionem cum eius membris, secundum illud Pauli: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* (I Cor. X, 17). Unde S. Augustinus exclamabat: « O Sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis! (2). »

978. Ex dictis obvia sequitur quæstio: *in quo distinguatur huiusmodi effectus Eucharistiæ ab effectu aliorum sacramentorum?* Gratia

hunc effectum inquit sufficere duo, ut communicans sit in statu gratiæ, et ut gratia sacramentalis non inveniat in eo actualem affectum talis peccati.

(1) Suarez l. c. Sect. IX. Cfr. De Lugo l. c. n. 85-88. Quod ad remissionem pœnarum attinet, docent Theologi, eas non ex opere operato, sed solum indirecte ex opere operantis remitti in hoc Sacramento. Ad pœnas remittendas per se ordinatur Eucharistiæ sacrificium. Cfr. Suarez, l. c. sect. X, n. 3.

(2) In Io. tract. 36, n. 13.

sanctificans est quidem ontologice eadem, quæ in omnibus sacramentis confertur; sed in singulis habet aliquam propriam relationem, ex qua dicitur peculiariter *gratia sacramentalis.*

Relatio gratiæ sanctificantis in sacramentis mortuorum Baptismi et Pœnitentiæ est ad primam spiritualem generationem et ad primam sanationem a peccatis: in aliis vero sacramentis vivorum partim est ad peculiarem agonem christianum, uti in Confirmatione et Extrema unctione; partim est ad peculiarem statum vitæ, uti in sacramentis Ordinis et Matrimonii. Verum in Eucharistia gratia, quæ confertur, relationem habet ad ipsam gratiam sanctificantem, ut conservetur et perficiatur in anima. Hinc gratia, quæ datur in Eucharistia, distinguitur ab ea Baptismi et Pœnitentiæ, quia dirigitur non ad inchoandam sed ad conservandam animæ vitam; distinguitur et ab ea aliorum sacramentorum, quia ad hanc vitam gratiæ et caritatis conservandam dirigitur non propter aliud, sed propter solam maiorem perfectionem *vitæ ipsius* maioremque unionem caritatis cum Christo. Hinc unio, quæ gratiâ fit cum Christo in aliis sacramentis, præparat ad consummationem unionis in hoc Sacramento.

Cum vero ad hanc nutriendam et fovendam divinæ amicitiæ unionem potissimum inserviant ferventiores actus amoris: ideo fit quod huius Sacramenti, præ ceteris, *proprius* effectus sit etiam animam *excitare in actus amoris* cum speciali spiritus suavitate et dulcedine (1).

979. *Distinctio ab aliis Sacramentis est etiam in modo, quo Eucharistia nos sanctificat.* Ad rei claritatem duo distincte quæruntur: 1° quomodo præ ceteris Sacramentum hoc *applicetur* singulis ad producendum in eis gratiæ fructum; 2° quomodo præ ceteris gratiam *producat.*

Ad primum respondemus, in aliis sacramentis *elementa sensibilia* sanctificata et sanctificantia nobis sensibiliter applicari; ut eorum virtus supernaturalis penetret ad animam eamque sanctificet: in hoc autem Sacramento *ipse auctor sanctitatis Christus* in statu sacramentali cibi et potus intus sensibiliter suscipitur, ut hac corporali unione vitam supernaturalem a se in nos derivet. — Unio itaque cum Christo in Eucharistia duplex considerari debet: alia est unio hæc sacramentalis, quæ non est effectus sed applicatio Sacramenti; alia, quæ ab hac significatur et efficitur, est unio spiritualis per gratiam et caritatem, unio quidem cum Christo capite et consequenter etiam inter membra ad invicem.

Exinde patet responsio ad secundum. Alia sacramenta ideo sancti-

(1) S. Thomas, III, 79, 1 ad 2; Cfr. Suarez, Disp. 63, Sect. IX.

ficant quia, ut verba practica ipsius Christi, imperando exigunt ut eis *specialis aliqua virtus* divina sanctificatrix inexistat. Sed Eucharistia ideo sanctificat, quia ea est *ipsum Christi corpus* in statu sacramentali cum omnibus Eius meritis infinitis, quod *vi unionis hypostaticæ* exigit, ut secum inhabitet *omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, causa quidem efficiens omnis sanctitatis. Quod itaque producit gratiam est ipsum corpus et sanguis Christi, prouti est in statu cibi et potus sub sensibilibus speciebus (1). Virtus autem sanctificandi corpori et sanguini Christi a Verbo derivatur *vi unionis hypostaticæ*. Id bene declaravit Cyrillus hisce verbis: *Quoniam vivificum Dei Verbum habitavit in carne, transformavit ipsam in proprium bonum nempe vitam, et penitus ipsi unitum, inexplicabili unitionis ratione, vivificam eam reddidit, quale ipsummet est natura sua. Propterea Christi corpus vivificat eos, qui ipsum participant* (2). Quare in Eucharistia Christus Deus-homo ita agit ad sanctificationem, ut causa principalis physica sanctificans sit Divinitas; sed ea agat per dominicum corpus et sanguinem, utpote per instrumentum coniunctum physice concurrens ad opus. Huiusmodi operatio sanctificans Verbi incarnati strictiore sensu *theandrica* dicitur, eamque Patres comparare solent cum illa virtute, quæ ex corpore eiusdem adhuc versantis in terris *exibat et sanabat omnes*.

II.

De effectibus Eucharistiæ in corpora.

980. *Aliquis effectus protenditur etiam ad corpus suscipientium.* Id apertissime docent Patres. Aiunt enim, hoc Sacramentum pertinere ad sanctificationem animæ et corporis; item docent in ss. communione intimam fieri coniunctionem et veluti affinitatem corporis dominici cum corporibus nostris; hanc autem affinitatis coniunctionem spectant, non solum tanquam effectum transeuntem, pro tempore quo species in nobis manent, sed tanquam effectum in iisdem corporibus nostris *permanentem*, unde nos vocant *concorporeos* et *consanguineos* Christi.

(1) In hoc Sacramento non species, per se et distincte a corpore Christi consideratæ, efficaces esse videntur ad santificandum, sed tota sacramentalis efficacia est ipsum Christi corpus. Proindeque species sunt illud, per quod sacramentum est *sensibile* signum gratiæ; ipsum vero corpus et sanguis Christi, in statu cibi et potus sub illis speciebus, proprie est sacramentum *efficax* gratiæ. Cfr. Bellarminus l. IV, c. 6; Franzelin th. XVIII.

(2) Cyrillus, *In Io.*, l. IV.

981. *Effectus huiusmodi est quædam integritatis restauratio, sistens tum in restinctione concupiscientiæ, tum in præparatione ad gloriosam resurrectionem.* Ita Patres frequentissime, qui comparant hunc cibum cum ligno vetito; gustando de ligno homo suam dissolvit naturam, participando de corpore Christi restaurat dissolutam (1). Restauratio autem hæc ex ipsis Patribus habetur dupliciter per Eucharistiam; quia ea temperat et restinguit concupiscentiam, ac quia pharmacum est immortalitatis et quodammodo semen ad futuram gloriosam resurrectionem. Hanc gloriosam corporum suscitationem ipse Christus promisit, ut specialem effectum sacramenti: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

982. *Huiusmodi effectum Eucharistia operatur tum mediate per animam, tum etiam immediate in corporibus ipsis.* Certissimum est *primum.* Gratiæ enim tum habituales tum actuales, quas Eucharistia confert in anima, etiam inserviunt ad refrænandas cupiditates; et quoniam nos adiuvant ad perseverandum in vita gratiæ, hoc ipso nos præparant ad gloriosam resurrectionem. Verum probabilius etiam *secundum* admitti debet, scilicet Eucharistiam aliquid immediate in ipsis corporibus operari ad duplicem illum effectum. Res autem explicatur hoc modo: Christus sponsus, quoniam sacramentali contactu suæ carnis consecrat carnem eorum, qui digne suscipiunt Sacramentum, hoc ipso hanc suorum carnem speciali titulo et affinitate ut suam considerat. Et propterea conformat carnem nostram iam aliquatenus carni suæ incorruptibili, sæpius dando auxilia interna et externa ad repellendas carnis tentationes, verum etiam aliquando minuendo vel restinguendo cupiditates per aliquam immediatam præternaturalem humorum attemperationem: id, quod in corporibus Sanctorum etiam per extraordinariam quandam anticipationem incorruptibilitatis non raro contigisse, historia testatur. Ex eadem ratione, quod caro Christi cum carne digne communicantium fit aliquomodo una caro, oritur in ipso corpore suscipientium, non quidem aliqua realis qualitas instar seminis, sed peculiaris titulus et congruentia ad eandem resurrectionem. Sicut carni Christi debetur gloriosa vita, sic suo modo debetur illi, quæ aliquo etiam modo est caro Christi. Qui novus titulus ad resurrectionem adnexum habet novum augmentum gratiæ sanctificantis et gratias actuales maiores etiam ad hunc finem, ut resurrectionem corpori Christi glorioso conformiorem assequamur (2).

(1) Nyssenus, *or. cat.* c. 37, apud Franzelin th. XIX.
(2) De Lugo, Disp. XII, n. 105-108.

III.

De obligatione et dispositionibus ad communicandum.

983. *Actualis participatio Eucharistiæ non est absolute necessaria ad salutem, attamen necessaria est vi præcepti, et aliquatenus etiam ut medium ad conservandam vitam.* Ratio *primi* est, quia actualis participatio dominici corporis supponit vitam gratiæ: qui vero vitam gratiæ habet, quamdiu habet, est iam per se hæres regni (1). Ratio *secundi* est præceptum Christi: *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis* (Io. VI), quod Ecclesia decretis suis iteravit, nominatim in conciliis Lateranensi IV et Tridentino (2); quod præceptum omnes porro adstringit, qui præcepti sunt capaces. Ratio *tertii* est, quia licet ex adductis aliisque Christi verbis non deducatur necessitas medii *absoluta* ad salutem, quædam tamen deducitur medii necessitas ad conservationem vitæ, saltem per longius tempus; eaque solum pro iis, qui vitam gratiæ possunt peccando amittere. Si quis tamen absque sua culpa hoc medio privetur, illud suppleri potest aliis mediis ad impetranda adiutoria divina (3).

Vel etiam alio sensu, cum S. Thoma, *Eucharistia dici potest omnibus necessaria,* scilicet non quoad realem perceptionem, sicut est de Baptismo, sed ex parte eius, quod dicitur *res sacramenti* et est unitas cum Christo et incorporatio ad ipsum. Hæc incorporatio ad Christum

(1) Huc cadit prop. XXXII ex *rosminianis* affirmans Eucharistiæ necessitatem, ut quisque aptus reddatur ad visionem Dei, et inde deducens, his, qui in hac vita eam non comederunt, in futura vita ipso mortis instanti eamdem subministrari ipsumque Christum descendentem ad inferos seipsum sub speciebus eucharisticis Sanctis Veteris Test. communicasse. Contrariam doctrinam Synodus tridentina exponit Sess. XXII, cap. 4 et definit can. 4: scilicet, parvulis usu rationis carentibus sacramentalem Eucharistiæ communionem *non esse necessariam*, unde sequitur nullam esse necessitatem *medii* Eucharistiam sumendi. Quod si Eucharistia esset medium necessarium salutis pro omnibus, sicuti asserit Rosminius; improbanda esset præsens Ecclesiæ praxis Eucharistiam denegandi parvulis morituris. Sacramenta enim, aliter ac supponit Rosminius instituta sunt pro hac vita et *regulariter* in hac vita sumi debent.

(2) Later. IV, cap.: *Omnis utriusque sexus...*; Trid. Sess. XIII, can. 9.

(3) Si verba adducta ex Jo. VI conferantur cum verbis Jo. III: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, discrimen est triplex: 1° ex *forma grammatica*, quia sententia de Baptismo est universalior, quam altera nonnisi *ad adultos* directa; 2° ex *subjecta materia*, quia *generatio* est ita *absolute* necessaria, ut sine ea nemo vivere possit, dum talis non est *manducatio*, quæ vitam jam supponit; 3° præsertim ex *interpretatione authentica* Ecclesiæ. Franzelin, th. III.

est quidem necessaria necessitate medii ad salutem. Sed ea *inchoatur* in Baptismo et *consummatur* in Eucharistia ita, ut etiam solum per Baptismum inchoata sufficiat ad salutem. Idque S. Doctor explicat ex eo, quod ipsi parvuli dum sumunt Baptismum iam intentione Ecclesiæ etiam Eucharistiam *virtualiter* sumunt. Nam « per Baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam, et ideo ex ipso quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam, et sicut ex fide credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, et per consequens recipiunt rem ipsius (1). »

984. *Sumptio Eucharistiæ sub utraque specie non est fidelibus ad salutem necessaria.* Id *de fide* statuit Tridentinum, Sess. XXI, can. 1, quod insuper ad solvendam Protestantium difficultatem ex verbis Christi desumptam hac utitur argumentatione: « Qui dixit: *nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et qui dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam,* dixit etiam: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et denique qui dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo;* dixit nihilominus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* » (2). Ceterum sub qualibet specie totus atque integer est Christus, proindeque nullâ gratiâ ad salutem necessaria ii privantur, qui unam tantum accipiunt speciem.

985. *Præter statum gratiæ devotio actualis non requiritur, ut Eucharistia suum producat essentialem effectum.* Quod necessario requiratur status gratiæ in communicante, constat ex eo, quod hoc Sacramentum ordinatur ad gratiæ augmentum. Probatio itaque ex præcepto Pauli præmitti debet, quæ pro existente in peccato mortali, statuente Tridentino, alia sufficiens per se non est, quam sacramentalis confessio. Sed, præter hanc necessariam dispositionem, nulla *necessario* requiritur ad essentialem Eucharistiæ effectum actualis devotio; et si quæ ab adultis cooperatio exigitur, sufficit ad eum effectum recipiendum voluntas sumendi Sacramentum.

Sed præter essentialem Eucharistiæ effectum, consistentem in quacumque adeptione gratiæ et charitatis habitualis; alius haberi potest effectus *specialis* consistens in actuali caritatis fervore et in quadam

(1) III, 73, 3.
(2) Sess. XXI, cap. 1; Cfr. cap. 3.

actuali refectione spiritualis dulcedinis. Iam vero ad hunc specialiorem effectum, certum est requiri etiam actualem devotionem. Ratio est, quia dispositio contraria actualiter existens impedit effectum correspondentem: status peccati mortalis impedit gratiam sanctificantem; divagatio mentis et affectus ad venialia impediunt divinarum inspirationum auditionem et fervorem. Imo docent Theologi communiter, requiri non solum ex consilio sed ex precepto, saltem sub veniali, aliquam præparationem etiam propter reverentiam debitam tanto Sacramento; ad quam præparationem pertinet, ut homo tum auferat sordes etiam leves, quæ nimium maculatam reddant animam, tum aliquem præstet actum devotionis et honoris tanto Sacramento. Si tamen hæc præparatio etiam culpabiliter omittatur, ideoque homo in ipsa sumptione venialiter peccet, non ideo privatur omni Sacramenti fructu saltem essentiali. Hæc omnia inveniuntur late discussa apud Theologos (1).

PARS ALTERA.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

986. Remanet dicendum de Eucharistia, ut est sacrificium, seu de sacrificio Missæ. Ad id præstat quasdam in genere notiones præmittere.

987. *Notio sacrificii* generatim ex ipsius naturæ lege colligi potest. Nam exinde constant hæc quatuor:

1° Homo et societas per actus cultus internos et externos *debent recognoscere* Deum ut Dominum Supremum et, pro statu lapsus, etiam ut supremum Vindicem. Ratio est relatio homini essentialis creaturæ ad Creatorem et relatio eidem superradita offensoris ad offensam divinam Maiestatem.

2° Modus specialis et solemnis huius recognitionis est *substitutio* alicuius rei, præsertim viventis, pro homine et eiusdem rei *immolatio* ad significandam plenam hominis dependentiam. Probatio est ex ipsa ratione, quæ dictat, res ab homine possessas, præsertim viventes et ad eius vitam inservientes, hanc habere aptitudinem tum substituendi hominis vitam tum significandi per suam destructionem eiusdem hominis

(1) Suarez, Disput. 63, Sect. III; De Lugo, Disp. 14.

absolutam a Deo dependentiam. Idem confirmatur ex usu universali populorum, qui, duce natura, ita egerunt.

3° Requiritur *legitima institutio* tum rei substituendæ tum significationis exprimendæ. Ratio est, quia res natura sua solum aptitudinem ad hoc habent, et quia secus huiusmodi actus cultus non esset nomine totius societatis positus. Hæc vero institutio insuper *divina* esse debet, si Deus ipse positive principales ritus cultus ordinaverit.

4° Requiritur etiam *minister* legitime *deputatus*, ut eius actus cultus sit nomine totius societatis religiosæ factus; requiritur item minister legitime *consecratus*, ut sit munere saltem et ex officio *sanctus*, et hoc ipso ad expiandum reatum aptior.

Iamvero oblationes hoc modo factæ, communi usu et omnium consensu, appellantur: *sacrificia*. Definitio itaque sacrificii ex ipsius naturæ principiis, hæc colligitur: *Oblatio Deo facta rei sensibilis, per eiusdem realem vel æquivalentem destructionem, legitime instituta ad agnoscendum supremum Dei in nos dominium et pro statu lapso ad divinam iustitiam nostrumque reatum profitendum.* Quisque facile videt, verbis: *oblatio rei sensibilis Deo facta* contineri genus proximum; reliquis, quæ adduntur, exprimi differentiam specificam ab aliis oblationibus, quæ analogice tantum sacrificia dici solent. Simul in definitione exprimitur *materia*, quæ est res substantialis sensibilis; *forma*, quæ physice est destructio realis vel æquivalens rei, metaphysice est ipsius destructionis significatio ad protestandum Dei dominium et hominis reatum; quæ metaphysica forma bene dicitur etiam *finis sacrificii*. Non exprimitur in definitione legitimus minister seu *sacerdos*, quia licet sit correlatum necessarium sacrificio, non pertinet tamen ad eius rationes intrinsecas.

988. *Confirmatio et declaratio* huius definitionis, in omnibus eius partibus, petitur, veluti a posteriori, ex positiva Veteris Testamenti divina revelatione. Legimus enim, *res* a Deo ipso destinatas ad sacrificia fuisse animalia domestica munda, panem, vinum, oleum et alia huiusmodi; tum *formam physicam oblationis* semper fuisse destructionem aliquam, vel scilicet animalium mactationem, vel frugum concremationem, vel panum sacram manducationem in loco sacro. Quæ vero spectant ad *formam metaphysicam*, nimirum substitutio victimæ loco hominis et significatio propria sacrificii, multipliciter declarabantur. Nominatim *substitutio* indicabatur per impositionem manuum in caput victimæ (1), et per manducationem ex oblatis in sacrificiis laudis, gra-

(1) *Lev.* I, 4; III, 2.

tiarum, petitionis; speciatim in cæremonia hirci emissarii etiam per imprecata in eum omnia populi peccata (1). *Significatio* vero sive supremi dominii sive divinæ iustitiæ placandæ obiective exprimebatur per ipsam rei oblatæ destructionem, quæ duplex significatio, licet essentialiter insit omni sacrificio, dedit tamen distinctionem inter sacrificia *pro peccato* et sacrificia *pacifica*, prouti alter finis præ altero prævaleret. Quod denique *sacerdotium* attinet, in œconomia patriarchali solus patriarca vel primogenitus familiæ pro familia poterat sacrificare; deinceps, populo constituto, Deus ipse ad ministeria sacra tribum Levi segregavit et ex ea familiam unam, nempe Aaronis, selegit, quæ sola *sacrificia* offerret Deo.

989. Verum in sacrificiis huiusmodi V. T., præter rationem essentialem et communem omni sacrificio, inerat *ratio typica* ad magnum sacrificium Crucis; idque ex propria indole illius œconomiæ, prouti multis et data operâ docet Paulus in epistola ad Hebræos. Vetera scilicet sacrificia umbra erant sacrificii in Cruce futuri; hinc valebant tantum ad emundationem carnis; profitebantur satisfactionem nondum præstitam præstandam esse ab illo venturo sacrificio; a quo solum derivabatur omnis gratia et remissio in ipsos Veteris Testamenti fideles (2).

De ipso autem Crucis sacrificio cruento præstat revocare ea, quæ fusius disputavimus in tractatu *De Verbo Incarnato*, nimirum: Iesum Christum, ut caput pro membris, dedisse seipsum magnam *substitutionem* pro omnibus hominibus (3); ad id constitutum fuisse *sacerdotem* in ipsa incarnatione; in cruce autem seipsum in verum et *proprium sacrificium* actu obtulisse; et quidem ita, ut eo sacrificio simul et semel redemptionem ac proinde satisfactionem et meritum, quo facta est redemptio, *consummaverit.*

Quæ plenitudo, semel consummata cruento sacrificio crucis, excludit sane sacrificium aliud, quod vel sit confessio satisfactionis nondum præstitæ, vel quod ordinetur ad complendum meritum redemptionis aut ad novam redemptionem; verum nullatenus excludit *sacrificium perenne*, quod ordinetur ad illius redemptionis semel consummatæ continuam applicationem. Hoc sacrificium perenne potius quam derogare virtuti sacrificii crucis, eam esse inexhaustam illustrius demonstraret.

(1) *Lev.* XVI, q. 10, 21, 22.

(2) *Heb.* VIII, 1, 2, 5; IX, 1-29.

(3) *Unus Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* I Tim II, 6.

Dicta summatim huc redeunt: ut specialis ratio, veteribus sacrificiis inerat repræsentatio *typica* illius Crucis; huic adfuit *perfectio* consummata; eucharistico inest perennis *commemoratio* et *applicatio* Crucis. In comparatione autem, vetera sacrificia imperfecta præfigurant et postulant futurum in Cruce perfectum; illud Crucis veterum sacrificiorum significationem adimplet eisque vim præbet, sed simul non excludit perenne eucharisticum ad illud ipsum commemorandum, imo postulat ad applicandum; istud perenne sacrificium virtutem Crucis inexhaustam præsupponit, continuo applicat et illustrat.

Insuper sacrificium Missæ hoc habet sibi proprium quod est *constitutivum intrinsecum* cultus christianorum, qui per ipsum Deum colunt et ideo vere et proprie est sacrificium Novæ Legis, dum sacrificium Crucis ad N. L. pertinet ut *principium et fons* totius religionis christianæ. Et hoc sedulo notandum est, nam exinde apparent differentiæ inter utrumque. Equidem, licet quantum ad illud *cui* offertur detur perfecta paritas, prima differentia, etsi non adæquata, est quantum ad illud *a quo* offertur; nam in Cruce Christus fuit *solus offerens*, dum sacrificium Missæ offertur tum *a Christo*, tanquam a principali et summo sacerdote, tum *a ministro*, tum *ab integra fidelium ecclesia*. Secunda est quantum ad id *quod offertur*, nam in Missa etiam Ecclesia se habet ut *oblata* in unione cum capite suo, non quidem physice, sed affectu et significatione, quia victima de se ab offerente immolatur tanquam sui vicaria, ad exprimendam devotionem et consummationem sui in Dei honorem: et quod ipsa ecclesia offeratur patet etiam ex symbolis sub quibus Christus immolatur, nam species panis et vini sunt figura societatis fidelium. Ultima differentia est relate ad illud *pro quibus* offertur, nam Missa directe non offertur nisi pro iis qui sunt de Ecclesia, sacrificium Crucis pro omnibus fuit oblatum (1).

990. Iam de hoc perenni sacrificio, quod est illud incruentum Missæ, nobis est disserendum; idque duobus capitibus:

I. De veritate sacrificii Missæ;

II. De eiusdem efficientia seu effectu.

(1) Billot, *De Sacrif. Missæ*, § 3.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRIFICII MISSÆ.

991. *Missam* (1), in sensu catholicorum sic dictam, verum ac proprium novæ Legis sacrificium esse, Novatores posteriorum temporum una voce denegant, contendentes: post sacrificium illud cruentum Crucis, non aliud in Lege nova dari, quam improprie dictum ac spirituale sacrificium *laudis, precum, bonorum operum,* et solum huiusmodi laxiore sensu Eucharistiæ celebrationem dici posse sacrificium. Contra, thesim demonstrandam ponimus de veritate sacrificii Missæ; cui subnectemus declarationem, in quo proprie sistat eiusdem sacrificalis natura.

THESIS XVII.

In Missa offertur Deo verum et proprium sacrificium.

992. Declaratio. — Sic dogma est definitum in Concilio Tridentino, Sess. XXII, can. 1: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium; aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari; a. s.* Ex qua definitione *fide* credi debet, Missam vere et proprie sacrificium esse, proindeque in ea plene reperiri veram sacrificii notionem secundum omnes proprietates eius essentiales; non tamen hoc ipso constat, quænam sit plena et sufficiens veri sacrificii notio de fide tenenda. Hinc ad propositam thesim demonstrandam non possumus ex statuta sacrificii notione descendere ad singulas eiusdem notas confirmandas in Missa, sed necesse est ipsam veritatem ex verbo Dei revelato vindicare generatim et iuxta notionem adhuc confusam sacrificii.

993. Demonstratio. — I. Res imprimis *ratione a priori* suadetur. Tanta est enim coniunctio inter religionem et sacrificium externum et proprie dictum, ut omnino necesse sit, aut religionem vere et proprie

(1) Hoc nomen *Missa* est antiquissimum ab Ambrosio iam et Augustino usurpatum. Etymon est vel a voce hebraica: *Missah, oblatio;* vel verisimilius a *dimissione* dicente Augustino: *Post sermonem fit Missa catechumenis*, idest dimittuntur, *manebunt fideles* (Serm. 237 de temp.); unde duplex missa: *catechumenorum*, quæ erat pars officii divini ante eorumdem dimissionem; *missa fidelium* seu pars reliqua.

in Ecclesia Christi non reperiri, aut sacrificium quoque externum et proprie dictum in Christi Ecclesia reperiri. Nullum est autem, si Missam tollas. Est igitur Missa sacrificium externum et proprie dictum (1). Neque obiicias quod, dempta missa, adhuc supersit christianum sacrificium Crucis. Nam religio postulat sacrificium, quod omni tempore, ab omni populo per sacerdotes mediatores offeratur ex debito communis servitutis et quo omnes et singuli ad Dei cultum aliquo modo concurrant. Iamvero in sacrificio Crucis semel pro semper, uno tantum loco, ab ipso Christo ante ipsam fundatam suam religionem oblato, illæ requisitæ conditiones nullatenus verificantur.

II. Rem *a posteriori* multipliciter confirmat Traditio, prouti e liturgiis omnium Ecclesiarum et Patribus elucet. Nam 1° celebratio Eucharistiæ sæpissime vocatur diserte *sacrificium, holocaustum, sacrificium perenne, sacrificium incruentum, sacrificium sanctum, divinum, tremendum, rationabilem* et *incruentam* λατρείαν; et, epithetis ad sensum proprium confirmandum additis, dicitur præterea: *plenum et verum sacrificium* (Ciprianus); *summum et verissimum sacrificium* (Augustinus).

Speciatim 2° ea omnia in Eucharistia memorantur, quæ ad verum sacrificium pertinent, nimirum *victima,* quæ dicitur esse Christus agnus immaculatus; *sacerdos,* qui idem Christus exhibetur tanquam sacerdos magnus, cuius nomine ritum peragunt alii sacerdotes; *actio sacrifica,* quæ ponitur in aliqua occisione vel immolatione mystica, *finis,* qui affirmatur esse laus et gloria ss. Trinitatis, remissio peccatorum, venia delictorum populi, requies et refrigerium patrum nostrorum; *legitima institutio,* quæ facta laudatur ab ipso Christo in nocte cœnæ. Ita e. g. in veteribus liturgiis inter alia plurima legitur: *Agnum occisum super altare videmus;* nam *gladius est rationabilis et incorporeus in hoc sacrificio, quod tibi offerimus.* Et S. Ambrosius scribit: *Sequimur Christum ut possumus, sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio; quia etsi nunc Christus non videatur* (oculis corporis) *offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur; immo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur* (2). Recole supra allata verba S. Andreæ Apostoli, quæ in eius passione referuntur.

(1) Bellarminus, *De euch.*, l. VI, c. 20.
(2) Ambr. *In Ps.* 38, n. 25.

Confertur 3° hoc sacrificium tanquam implementum cum sacrificiis typicis veteris Testamenti. Ita in liturgiis legimus: *Tuæ laudis hostiam iugiter immolamus, cuius figuram Abel iustus instituit, agnus quoque legalis ostendit, celebravit Abraham, Melchisedech sacerdos exhibuit, sed verus Agnus et æternus Pontifex Christus implevit.* Idque expressius docet Augustinus: *Mensam sacerdos ipse Mediator novi Testamenti exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo; id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis V. T., quæ immolabantur in umbra futuri* (1). Atqui illa erant sacrificia proprie dicta. Ergo a fortiori verum erit illud sacrificium, quod illis tanquam veritas umbris successit.

Postremo 4° hoc sacrificium distinguitur etiam a sacrificio crucis adeo, ut una sit quidem victima sed diversa actio sacrifica. Ita Augustinus: *Semel immolatus Christus in se ipso, qui tamen in sacramento omni die populis immolatur* (2). Secundum quam distinctionem etiam in liturgiis orat sacerdos: *qui nos tunc reparasti per crucem, per ipsum immaculatum panem et sanguinem iterum lapsos repara.* Iamvero si Christus se immolat in Eucharistia et hac immolatione nos reparat, sicuti seipsum iam immolavit nosque reparavit in cruce; profecto Eucharistia est verum sacrificium, sicut est illud crucis.

III. Hoc sacrificium ubique esse offerendum, *promisit* Malachias (1, 10) ita nomine Dei increpans sacerdotes, propter eorum neglectum in offerendis victimis: *non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur* (heb.: *suffimentum oblatum) nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Porro hisce verbis Deus prædicit, se reprobaturum vetera sacrificia et substituturum aliud profecto *vere et proprie dictum sacrificium:* sunt enim vera et proprie dicta sacrificia, quibus abolendis hoc substitui debet; sunt sacrificalia verba, quibus in textu hebraico hæc nova oblatio designatur; insuper cap. III, 3, 4 (coll. ad *Isaiæ* cap. LXVI, 21) dicuntur esse legitimi ministri ex omni gente assumendi, qui hoc novum sacrificium celebrabunt. Atqui per hoc sacrificium novum, successurum veteribus repudiatis, nullum aliud intelligi potest quam Missæ sacrificium: nam solum in eo verificantur characteres

(1) Aug. *De Civ. Dei*, l. XVII, 20.
(2) Aug. *ep.* 98, n. 9 *ad Bonif.*

quibus describitur, nempe *universalitas* ab ortu ad occasum; *diversitas sacerdotum,* qui non ex tribu peculiari sed ex omni gente per consecrationem assumi debent; *forma incruenta*, quam Malachias indicat hebraica voce in *suffimentum* vertenda et illo vocabulo *mincha (oblatio),* quod de sacrificiis incruentis usurpari solet consistentibus in oblatione panis (similæ) et vini; *intrinseca excellentia*, qua novum sacrificium est in se ipso oblatio *munda;* ex qua insignis *glorificatio nominis Dei* in omnibus gentibus. Ergo ex ipso Malachiæ vaticinio Missa est vere et proprie dictum sacrificium.

Hæc vaticinii interpretatio, quæ hermeneutice satis constat, dogmatice demonstratur esse unice vera ex unanimi Patrum et ipsius Concilii Tridentini intellectione (1).

IV. Veritas colligitur ex ipsis *institutionis verbis.* Nam Christus hisce verbis illud exhibet corpus, quod iam promiserat se *daturum pro mundi vita*, illudque dicit non tantum *nobis* dari, sed dari et tradi *pro* nobis, *pro* multis *in remissionem peccatorum.* Pariter Christus calicem et sanguinem illum exhibet, qui *pro nobis et pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Id porro apparet ex omnibus scriptoribus ea verba referentibus simul collatis. Atqui formula huiusmodi: dare corpus et sanguinem *pro nobis in remissionem peccatorum, pro mundi vita*, est formula sacrificalis. In usu enim biblico, præsertim N. T., sacrificium Christi in cruce declaratur sæpissime per effusionem sanguinis, per traditionem corporis pro nobis, in remissionem peccatorum et pro salute mundi; hæc vero formula, etiam per se inspecta, apte significat eam Christi pro nobis reis substitutionem ad placandum Deum, quæ est character proprius sacrificii veri. Ergo verba institutionis verum et proprium exprimunt sacrificium.

Neque quis dicat, illis verbis exprimi quidem sacrificium, sed tantum illud Crucis, ad quod referenda sunt illa verba: *corpus quod pro vobis tradetur, sanguis qui pro vobis effundetur.* Nam, hæc verba ad sacrificium crucis exclusive referri nequeunt, sed ad crucem catenus referuntur quatenus simul intelliguntur de traditione corporis et de effusione sanguinis, quæ pro hominibus efficiebantur iam tum in Eucharistiæ celebratione. Hunc sensum exigunt verba ipsa prouti referuntur a Luca, in quibus *ipse calix* dicitur *effundi pro nobis;* ergo *pro hominibus* sanguis Christi iam tum effundebatur, prouti formaliter erat

(1) Conc. Trid. Sess. XII, cap. 1. Cfr. Bellarminus l. V, c. 10; Cornelius a Lapide in h. l. qui affirmat esse *de fide*, hanc oblationem mundam fore sacrificium corporis et sanguinis Domini in Eucharistia.

in calice (1). Item apud Paulum dicitur: *hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur* seu *pro vobis ministratur in cibum:* ergo corpus Christi *pro* hominibus dabatur iam tum, prouti formaliter erat in statu cibi (2). Sacrificium ergo, quod verbis institutionis exprimitur, etiam in ipsa Eucharistiæ celebratione completur, quatenus in eadem et pro nobis mystice effunditur sanguis Christi et pro nobis mystica occisione corpus Domini traditur; licet non absque relatione ad Crucem, in qua Christus reali occisione et reali effusione sanguinis tradidit semetipsum pro nobis.

SCHOLION.

In quo proprie consistat essentia sacrificii Missæ.

994. Imprimis omnes conveniunt melioris notæ Theologi, hoc sacrificium *ipsa consecratione* perfici (3). Ipse enim Christus, in ultima cœna, non alia re vel aliis verbis seipsum visibiliter in sacrificium obtulit, quam quod consecratione corpus et sanguinem suum ponebat sub speciebus panis et vini in statu victimæ. Adde: sacrificium contineri debet actione sacerdotis: atqui sacrificii eucharistici sacerdos est ipse Christus, cuius nonnisi vicem alii sacerdotes peragunt: ergo in ea actione continetur, in qua sacerdos secundarius maxime induit Christi personam; id est in consecratione. In ipsa igitur consecratione, non in aliis Missæ partibus, quærenda est essentia sacrificii. Communio est potius participatio de sacrificio iam oblato, in signum restitutæ pacis et societatis inter Deum et homines.

995. Sed præsupposito quod sacrificium in ipsa consecratione perficiatur, quæritur in quo proprie sacrificalis essentia consecrationis consistat. Hic potior occurrit sententiarum diversitas. Celebriores sunt tres: *Prima* est Vasquesii, qui distinguens inter sacrificium *absolutum* et *relativum*, ad illud quidem requirit victimæ destructionem, non vero ad sacrificium relativum: cum vero sacrificium Missæ non sit nisi re-

(1) In greco textu, Luc. XXII, legitur: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματι μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Ubi participium hoc ἐκχυνόμενον concordato cum nomine ποτήριον.

(2) Græce legitur: τοῦτο μου ἐστι τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. I Cor. IX.

(3) Sunt tamen sententiæ aliæ ab aliis Theologis propositæ, nempe quod sacrificium perficiatur in *consecratione simul et communione,* vel in *verbali oblatione* post consecrationem, vel in *fractione specierum* aut in earum *commixtione.*

lativum ad illud crucis, hinc in eo nulla requiritur victimæ destructio, sed sufficit quod consecratione corpus et sanguis Christi ita præsentia fiant, ut repræsentent sacrificium in cruce oblatum eiusque sint commemoratio. Ponit itaque essentiam sacrificii in *commemoratione* crucis (1). *Secunda* est Lessii, qui explicat consecrationem esse actionem sacrificam, quatenus per eam Christus mystico quodam modo occiditur, dum per modum hostiæ occisæ seorsim vi verborum corpus et sanguis in altari exhibentur: ponit itaque essentiam sacrificii in *separata consecratione,* quæ vi verborum foret de se occisiva Christi, nisi per accidens mors impediretur. *Tertiam* sententiam tuetur De Lugo, qui ponit essentiam sacrificii in ea æquivalenti corporis Christi destructione, quæ fieret quatenus consecratione corpus in seipso acciperet *statum*, secundum humanam æstimationem, *decliviorem,* in quo quædam haberetur sanctissimæ humanitatis a functionibus et rationibus existendi connaturalibus *exinanitio,* apta, iuxta hominum æstimationem, ad finem sacrificii exprimendum.

996. Iamvero si huiusmodi sententiæ, apte emendatæ, invicem conferantur, non ipsæmet excluduntur, sed imo supplentur et componuntur in aliam, quæ admittenda esse videtur et communiter admittitur (2).

Prima sententia affirmat, sacrificium eucharisticum esse *relativum* ad illud Crucis, et revera ita est natura sua. Salvator enim ita instituit hoc incruentum sacrificium, ut esset realis *commemoratio* simulque *applicatio* sacrificii Crucis. Id colligitur ex verbis ipsius Christi: *hoc facite in meam commemorationem* et ex illis: *hic est calix sanguinis mei, qui,* sicut in cruce, etiam nunc *pro vobis effunditur* et *hoc est corpus meum quod,* sicut in cruce, etiam nunc *pro vobis traditur;* id declaratur a Tridentino, docetur a Patribus et continetur in omnibus liturgiis et in manifestissima christiana professione.

Verum si in Eucharistia nulla alia ratio sacrificalis habetur, quam ista relativitas, sive commemorationis sive applicationis, ad sacrificium Crucis, Eucharistia erit quidem illius sacrificii repræsentatio, non autem in se ipsa esset verum et proprium sacrificium. Necesse itaque est, ut Eucharistia ita sit sacrificium commemorativum et applicativum illius in cruce peracti, ut simul in seipso sit vere et proprie sacrificium et quidem eo ipso sacrificium in se sit, quo sacrificium Crucis commemorat et applicat. Ad hoc autem requiritur, ut nota, quæ in Eucharistiæ ce-

(1) In III p. S. Th. disp. 220, c. III. Cfr. Perrone *De sacrif.* ubi hanc adoptavit sententiam.

(2) Monsabrè 1884, *Confer.* LXX, et in subjuncto *Indice.*

lebratione obiective inest ad Crucis sacrificium commemorandum et applicandum, ea ipsa sit in se vere et proprie sacrificalis.

Iam nota sacrificii Crucis commemorativa simulque in se sacrificalis optime invenitur in ea separata consecratione, in quam secunda sententia consentit. Sed inde omnino removeri debet, eam separatam consecrationem ex sese et vi verborum tendere ad veram et realem occisionem Christi. Nam verba consecrantia nullam vim habent separandi *realiter* corpus a sanguine Christi, et omnino repugnat ut, quacumque hypothesi facta, consecratio id realiter efficiat. Sed separata consecratio, etsi pure et simpliciter accepta, vel, dicam melius, inde consequens corporis a sanguine separatio, pure sacramentalis, satis exprimit realem separationem eiusdem corporis ab eodem sanguine in Cruce factam, simulque est in se ipsa quædam sacramentalis mactatio, qua Christus, licet sub specie aliena, mystice occiditur.

Altera quoque nota sacrificii Crucis applicativa itemque simul sacrificalis est status cibi et potus, in quo per consecrationem Christus sub speciebus Sacramenti sistitur. Sicut enim in Veteri Testamento de sacrificiis per manducationem et potationem fideles participabant; ita Christus disposuit, ut de se ipso in Cruce oblato fideles eucharistica manducatione et potatione participarent. Ad hoc seipsum sub panis et vini speciebus in statu cibi et potus posuit. In quo statu illa invenitur exinanitio, de qua loquitur tertia supra exposita sententia, attamen non quasi in ipso Christi corpore facta, sed solum respective ad species Sacramenti accipienda. Christus enim (quia et in quantum sub speciebus illis panis et vini) in quodam externo habitu mortis et destructionis ita ponitur, ut veluti res mortua et inanimata appareat, arbitrio sacerdotum et hominum omnino permissa. Huiusmodi status dum aptum modum præsefert, ut quis manducando et bibendo de victima iam in Cruce oblata participare possit, simul est in se, mystice quidem et in specie aliena, attamen vere status destructionis et occisionis, victimæ proprius (1).

Sic itaque, tribus simul compositis sententiis, eatenus Eucharistiæ celebratio est vera in se immolatio et sacrificium, quatenus Christum sistit in eo sacramentali statu, quo dum commemorat Sacrificium Crucis

(1) Ad rem hæc argumentatio: " Per illam actionem victima animata et vivens immolatur, per quam reducitur ad statum et usum rei inanimatæ; sed Christus, qui est victima animata et vivens, per consecrationem reducitur ad statum rerum inanimatarum, hoc est panis et vini, nimirum ad hoc, ut manducetur et bibatur; ergo Christus per consecrationem formaliter immolatur. „ Sylvester Maurus, *Opus theol.* tom. III, lib. XII, q. 194, n. 10.

illudque participabile reddit, simul ipsum Christum mystice mactat et, ut victimam occisam, in altari ponit.

997. In hac sententia consentit eâque explicatur doctrina S. Thomæ dicentis « quod duplici ratione celebratio huius sacramenti dicitur immolatio Christi: primo quidem quia.... imago quædam est ræpresentativa passionis Christi, quæ est vera eius immolatio.... alio modo quantum ad effectum passionis Christi, quia scilicet per hoc Sacramentum participes efficimur fructus dominicæ passionis (1) ». Unde argumentamur: Eucharistiæ celebratio ideo dicitur et est Christi immolatio seu sacrificium, quia est tum *commemorativa* tum *applicativa* passionis Christi, quæ et quatenus fuit vera Christi immolatio et sacrificium. Atqui *commemoratio* repræsentativa passionis Christi, prouti fuit vera eiusdem immolatio, optime invenitur in separata consecratione, qua mactatio in Cruce peracta repræsentatur: itemque *applicatio* fructus eiusdem passionis, eatenus fieri potest, quatenus Christus in eo statu cibi et potus super altari positus est, quo fideles ita possint de Christo victima participare, sicut de veteribus victimis participare solebant. Ergo Eucharistiæ celebratio ideo dicitur et est Christi immolatio et verum sacrificium, tum quia per separatam consecrationem corporis et sanguinis mactatio Crucis mystice repræsentatur, tum quia per eandem consecrationem Christus in statu cibi et potus super altare ponitur, ut de Eo, sicut de oblata victima, fideles participare possint.

998. Hæc sententia demum ipsa theologica ratione confirmatur. In hac enim duplici ratione sacrificali, eucharisticæ celebrationis propria, veri sacrificii definitio plane adimpletur: tum quoad habitum externum et sensibilem victimæ offerendæ, tum quoad æquivalentem eiusdem victimæ destructionem, tum quoad aptitudinem exprimendi finem proprium sacrificii.

Porro victima in altari eucharistico offerenda eadem est, ac quæ in Cruce oblata fuit; sed habitus sensibilis est diversus, inibi proprius et naturalis, hic alienus et sacramentalis. Christus enim hic visibilis est non in propria specie, sed sub specie aliena panis et vini.

Hinc etiam sub hac aliena specie Christus, ut victima, mactatur et destruitur. Quæ porro mystica et sacramentalis destructio habetur, tum in ea separatione corporis a sanguine sub distinctis speciebus panis et vini, tum in ea sacramentali exinanitione, qua caro et sanguis Christi, tanquam Agni pro nobis immolati, a nobis manducari et bibi possunt.

(1) *S. Th.* III, 83, 1.

Huiusmodi autem mystica destructio eo ipso, quod Christum ponit, licet sub speciebus alienis, in quodam externo habitu occisionis et mortis; iam per se apta est significare finem proprii sacrificii. Sic enim Christus ipse Summus Sacerdos pro tota Ecclesia, cuius est Caput, hac mystica sui corporis mactatione et sanguinis sui effusione vivide exprimit maiestatem absoluti dominii Dei in vitam et mortem, et, tanquam Agnus pro nobis in altari occisus, efficaciter exprimit et iterum exhibet satisfactionem pro reatibus nostris iam olim in cruce consummatam.

999. Ex dictis diversa colliguntur corollaria.

Corollarium I: Sacrificium non est tantum res oblata seu victima per se spectata, nec actio offerendi abstracte sumpta, sed est in concreto victima quatenus actione sacrifica offertur. Hinc propter *identitatem victimæ*, accedente etiam identitate principalis sacerdotis, utrumque sacrificium crucis et Missæ est *simpliciter* idem *specie* sacrificium: licet diversitas sit *secundum quid* ex modo oblationis diverso, ex diverso secundario sacerdote, ex diverso fine, qui in Missa est ad applicationem satisfactionis in cruce consummatæ, ex diversa mutua relatione, quod unum est absolutum et prototypum, aliud ectypon et relativum. Econtra propter *multiplicitatem actionis sacrificalis* plura *numero* sacrificia distinguuntur, quæ oblata fuerunt in ultima cœna, in cruce et quæ in singulis Missis offeruntur: nec ea sacrificium numero *unum* dici possunt, nisi cum addito *ratione victimæ*.

Corollarium II: Sacrificium eucharisticum, licet non consistat in participatione victimæ, tamen quemdam ordinem ad ipsam includit eo ipso, quod ratio sacrificalis etiam consistit in eo statu cibi et potus, quo victima participabilis fit. Hinc intelligitur quomodo communio quidem sacerdotis pertineat sin minus ad essentiam, saltem ad accidentalem sacrificii integritatem. Intelligitur etiam quomodo verius de sacrificio participent et uberius de eius fructu recipiant fideles, quando cum sacerdote communicant; attamen non ideo dici possunt illicitæ Missæ, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat (1).

Corollarium III: Quamvis in consecratione unius tantum speciei reperiatur sufficiens aptitudo ad sacrificium, quia adest separata consecratio et externus habitus mortis; attamen, *ex institutione* Christi, ad valorem sacrificii utriusque speciei consecratio essentialis esse videtur. Ad essentiam enim sacrificii requiritur etiam legitima institutio.

(1) Trident. Sess. XXII, cap. 6, can. 8.

CAPUT II.

DE EFFECTU ET FRUCTU SACRIFICII MISSÆ.

1000. Claritatis gratia tria distincte considerabimus: quos effectus producat Missæ sacrificium; quomodo producat; quid erit proinde servandum in eiusdem fructuum applicatione.

I.

Quos effectus Missa producat.

1001. Concilium Tridentinum, Sess. XXII, can. 3, definivit: *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; a. s.* Constat itaque *de fide*, Missam quatuor producere effectus quadruplici sacrificii fini respondentes: Deo tribuit adorationem et gratiarum actionem: nobis peccatorum pœnarumque remissionem et omnium bonorum impetrationem. Exinde idem sacrificium est et dicitur *latreuticum* Deo oblatum tanquam summo rerum omnium Domino; *eucharisticum* Deo oblatum tanquam summo Benefactori; *propitiatorium* Deo oblatum tanquam iustissimo peccatorum Vindici; *impetratorium* Deo oblatum tanquam misericordissimo in necessitatibus omnibus Opitulatori.

1002. Ex quatuor recensitis sacrificii effectibus duo posteriores constituunt id, quod dicitur eiusdem sacrificii *fructus*, iique præ ceteris aliqua declaratione indigent.

Propitiatio respicit directe divinam *iustitiam*, quam sacrificii oblatione vel *compensat* ut iustis, vivis et defunctis, remittat pœnas ex culpis dimissis residuas, vel *placat* ne peccatoribus pœnam inferat subtractionis gratiarum (1). Hac divinæ iustitiæ placatione indigent etiam iusti, ne in pœnam peccatorum, licet venialium, uberiores gratias Deus eisdem neget. Quo vero ad remissionem ipsorum venialium, sacrificium remittit per se et immediate *pœnas* ex illis remanentes post di-

(1) Ad hanc placationem pro peccatore aliqua in eo requiritur dispositio, qua saltem cupiat, se a peccatis liberari. De Lugo, Disp. 19, n. 146.

missas culpas; dum econtra sacramentum ex se et directe *culpas* venialium, ipsam infundendo caritatem, tollit.

Impetratio respicit divinam *bonitatem* et *misericordiam,* ut non modo iustis, verum etiam peccatoribus (etiamsi non adhuc de peccatis doleant) beneficia concedat pro omnibus necessitatibus, sive ordinis supernaturalis sive naturalibus ad finem supernaturalem conducentibus. Hæc impetratio, sicut est de omni impetratione, ut sit infallibilis, requirit certas conditiones, quæ deesse possunt non quidem ex parte postulantis, qui est Christus, sed ex parte eorum, pro quibus postulatur et consequenter etiam ex parte obiecti (1). Si non est infallibilis impetratio eius obiecti, quod postulat homo offerens; erit tamen infallibilis impetratio eius boni, quod est in voluntate Christi, nisi ponatur obex ab homine (2).

1003. Quod maxime negatur a Protestantibus est fructus præsertim *propitiationis,* sed eum inesse huic sacrificio multipliciter constat. Etenim Missa successit sacrificiis typicis V. T., quæ imprimis pro peccatis et quidem etiam mortuorum, offerebantur (3); satisfactio, in cruce iam præstita quoad sufficientiam pro omnibus peccatis, indiget ut singulis applicetur; ipse Salvator declaravit, calicem eucharisticum effundi *in remissionem peccatorum;* et in hanc fidem expresse consentit tota antiquitas sive theoretice in Patrum doctrina, sive practice in liturgiis, nominatim in usu a maioribus recepto Missas celebrandi *pro defunctis,* pro quibus nulla alia, vel certe nulla magis propria applicationis ratio intelligi potest, quam propitiatio pro pœnis peccatorum residuis (4). Si autem sacrificium hanc habet virtutem propitiationis pro defunctis, a fortiori eadem concedi debet pro membris Ecclesiæ adhuc viventibus.

(1) Ex hac parte, maxima illa conditio requiritur, ut res postulata cum divina providentia et gubernatione congruat.

(2) Intelligitur ex dictis distinctio impetrationis et propitiationis in illis Tridentini Sess. xxvi, cap. 2: " Docet sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse... Huius quippe *oblatione placatus Dominus gratiam et donum pœnitentiæ concedens,* crimina et peccata etiam ingentia dimittit. „ Propitiatorium est sacrificium, quatenus oblatione sua *placat divinam iustitiam,* ne pœnam inferat subtractionis gratiarum ad pœnitentiam: unde gratiæ illæ, quibus impedimento erant peccata, proveniunt homini ex sacrificio, quatenus propitiatorium est. Sed illæ gratiæ uberiores, quas ulterius idem Deus ex divina sua misericordia sacrificio excitata concedit peccatoribus, ut cooperatione sua perficiant pœnitentiam et conversionem; hæ gratiæ adscribendæ sunt sacrificio, quatenus est impetratorium.

(3) II *Mach.* 12.

(4) Cfr. S. Ambrosius in funeribus orationibus de obitu Theodosii, Valentiniani, Satyri; item Augustinus lib. ix *Confes.,* ubi ejus mater moritura adstantes rogat " ut ad Domini altare memineritis mei, ibi ubi fueritis „, ubi in ejus funere sacrificium oblatum fuisse dicitur.

II.

Quomodo Missa effectus suos producat.

1004. Ut evidens evadat rei declaratio, considerabimus de valore generatim sacrificii Missæ, unde, quomodo et quantus sit.

In quæstione *unde sit* valor huius sacrificii, is desumitur *imprimis* etiam ab offerentibus secundariis, qui sunt *minister* Christi et *alii fideles,* qui sacrificii oblationem vel procurant vel ei assistunt vel ministrant. Sine dubio hoc opus, solum etiam in hisce personis consideratum, est sanctissimum, quod proinde habet rationem meriti, satisfactionis, impetrationis, dummodo debitæ conditiones non desint. Non quidem meritum, quod omnino personale est, sed satisfactio et impetratio huius operis, sicuti aliorum bonorum operum, possunt propter communionem Sanctorum in alios transferri.

Valor missæ *deinde* desumitur ab offerente *Ecclesia.* Ipsa enim Ecclesia universa per suos sacerdotes offert sacrificium, unde sacerdotes singuli offerunt nomine etiam totius Ecclesiæ: hinc Deus in oblatione intuetur etiam sanctitatem et dignitatem offerentis Ecclesiæ, quæ est sponsa Christi dilectissima et cuius ipse Christus est caput.

Demum *tertio* valor sacrificii proprius et intrinsecus desumitur a *Christo,* qui est principalis offerens simulque victima. Est quidem Christus principalis offerens non solum vi institutionis et per auctoritatem, qua delegat sacerdotes ministros ad sacrificium suo nomine offerendum; sed est etiam voluntate præsenti in singulis celebrationibus, qua se constituens in statu victimæ sese Ecclesiæ dat offerendum et seipsum offert æterno Patri. Sub hac ratione valor sacrificii pendet imprimis a Christo. Verum si valor huiusmodi accipiatur ut *meritum* et *satisfactio,* is intelligi nequit de novo merito et de nova satisfactione, cum Christus iam non sit in statu merendi, sed intelligi debet de meriti in cruce consummati applicatione, quatenus Christus in Missæ sacrificio totum illud meritum Crucis, renovata oblatione, Deo Patri repræsentat et exhibet. Si autem valor sacrificii spectetur præcise ut *dignitas* ex persona offerente et ex victima oblata proveniens, dignitas est a Christo, etiam ut adhuc nunc se offert et offertur in altari. Quæ dignitas est quidem fundamentum pro *nova* Christi Redemptoris *impetratione* seu interpellatione, ut illa meriti in crucem consummati repræsentatio nobis efficacius et uberius prosit.

1005. In quæstione *quomodo* inde proveniat Missæ valor, respondemus: 1° valor, qui provenit a ministro et ab aliis fidelibus simul offerentibus, totus est *ex opere operantis*. Res per se patet. Valor 2°, qui provenit ab Ecclesia, dici potest *ex opere operato* respectu sacerdotis. Deus enim oblationem factam a dilecta sponsa Ecclesia semper accipit in odorem suavitatis, præcisione facta ab *opere operantis* sacerdotis. Attamen respectu ipsius Ecclesiæ valor est quasi ex opere operantis. Exinde duo intelligimus: quomodo orationes in Missa valeant ex opere operato ut orationes Ecclesiæ; et quomodo nullæ dentur Missæ *privatæ*, sensu quo Protestantes calumniantur. Valor 3°, qui provenit ab ipso Christo, non pendet a sanctitate, meritis et *opere operantium* sive ministrorum sive fidelium offerentium, sed est respectu horum *ex opere operato*. Res item est evidentissima.

1006. In quæstione demum *quantus* sit Missæ valor, patet imprimis esse valorem *finitum*, sive qui per se a sacerdote et fidelibus offerentibus provenit, sive qui ab Ecclesia derivatur. Valor autem qui a Christo offerente et victima desumitur, si intrinsece seu in se spectetur, est simpliciter *æstimationis infinitæ*. Scilicet relate ad Deum adoratio et gratiarum actio, semel in cruce exhibita, adhuc per Missam replicatur divinæ Maiestati *condigna*; relate ad homines nullum est bonum, cui impetrando non sit *par* et *eminens* in hoc sacrificio dignitas, nulla sunt peccata, pro quibus nequeat Missa divinam iustitiam *superabundanter* compensare et placare.

Verum, si hæc efficientia sacrificii extrinsece et relative spectetur, quatenus nominatim est *impetratio* et *propitiatio* pro hominibus; ea, licet sit in se ipsa et in actu primo valoris infiniti, attamen est in actu secundo finita et consilio supernaturalis providentiæ determinata. Licet enim sacrificium Missæ sit in se infinitæ dignitatis etiam ad impetrandum et propitiandum; attamen in actu secundo illud Christus offert et Pater acceptat ad effectum determinatum. In acceptatione et actu secundo ne ipsum quidem sacrificium Crucis erat vel esse potuit ad effectum infinitum. Idem ergo a fortiori dicendum est de sacrificio eucharistico, quod crucis meritum applicat.

Ita hæc efficientia est finita, quousque *intensive* sumatur. Si vero ea spectetur *extensive* comparata ad numerum eorum, quibus fructus applicatur, distingue fructum, qui participatur ab assistentibus, a fructu, quem ipse sacerdos aliis applicat. Fructus prior, etiam qui sit ex opere operato, non minuitur in singulis propter multitudinem assistentium: fructus vero alter, qua *impetratorius* extendi potest absque diminutione

indefinite ad plures, qua *satisfactorius*, ex praxi et sensu Ecclesiæ, videtur eo magis in singulis minui, quo pluribus applicatur (1).

III.

De applicatione fructus Missæ.

1007. Ad applicationem quod attinet, distingui solet triplex fructus. *Generalis,* qui pertinet *directe* ad commune bonum Ecclesiæ et proinde ad singula Ecclesiæ membra, quatenus ad commune bonum conferunt, *indirecte* vero ad ipsos infideles et avulsos ab Ecclesia, ut eius membra fiant. Hæc applicatio iam fit ab ipso Christo et Ecclesia et etiam in liturgia exprimitur, nec requiritur ut ea a sacerdote fiat.

1008. *Specialis* fructus propitiationis et impetrationis, etiam qui sit ex opere operato sacrificii, relinquitur in potestate sacerdotis, ut eum sua intentione applicet determinatis personis et pro determinato fine. Fructus hic specialis, saltem quatenus est satisfactorius pro pœnis residuis, si a sacerdote non applicetur vel si inveniat obicem in personis quibus applicatur, remanet in thesauro Ecclesiæ (2). Hinc suadetur sic dicta intentio secunda (3).

1009. Fructus *specialissimus* est ea impetratio et propitiatio, etiam ex opere operato, quæ ipsi sacerdoti offerenti sponte sua obvenit, si sit sufficienter dispositus. Facta debita proportione, etiam fideles assistentes et una cum sacerdote offerentes hunc specialissimum sibi fructum percipiunt. Neque huius fructus ulla requiritur ex parte sacerdotis applicatio.

(1) Franzelin th. XIII; De Lugo Disp. 19, n. 145.

(2) Suarez, Disp. 79, sect. 9. Putarem, aliquam huius fructus specialis partem etiam in potestate assistentium applicandam relinqui. Sunt enim cum sacerdote offerentes secundarii.

(3) " Advertendum est, ait Suarez, licet sacrificium hoc ex se sit valens ad impetrandum, tamen *non applicari ad impetrandum,* nisi, ut orationi conjungitur; quia non impetratur, nisi quod petitur vel desideratur ab alio; et ideo impetratio per se pertinet ad orationem, quam sacrificium facit exaudiri, et hoc modo impetrat. Oratio autem, ceteris paribus, efficacior est ad impetrandum in particulari et speciatim facta, quam si generatim pro multis fiat. „ Hinc concludit " efficaciorem fore oblationem, si pro aliquo (sive sit persona sive res) specialiter fiat, quam si fiat pro eodem, solum ut est pars alicuius multitudinis, pro qua tantum fit immediate oblatio. „ *In 3 Partem D. Th. De Sacrif. M.* disp. 79, sect. 12, n. 8. Edit. paris., pag. 764.

1010. Remanet fructus *ex opere operantis,* sacerdotis et aliorum cum eo offerentium, qui, uti est de fructu cuiusque operis salutaris ad ipsos offerentes pertinet aliis quoque applicabilis (1). Est autem hic fructus minus certus et, per se sumptus, inferior fructu ex opere operato.

(1) Vide retro § II.

TRACTATUS

DE PŒNITENTIA.

1011. Post sacramenta, quæ ad spiritualem vitam gignendam, roborandam et conservandam pertinent, sequitur illud, quod eandem reparat amissam, nempe Pœnitentia. Verum Pœnitentia dupliciter considerari potest: vel ut *virtus*, vel ut *sacramentum*. Cum vero ad sacramentum constituendum ipsi actus virtutis, uti videbimus, concurrant; hinc præstat ut etiam de pœnitentia virtute aliquas notiones præmittamus.

1012. *Pœnitere*, ait S. Thomas, est de aliquo prius a se facto dolere (1) seu nominatim est dolere de peccatis a se antea admissis. Lutherus et generatim protestantes nolunt, pœnitentiam esse detestationem et dolorem peccati antea commissi; sed aiunt esse meram mutationem vitæ in melius. Verum Scriptura et Patres contrarium nos docent. Sane pœnitentia (μετάνοια), quæ sæpissime in Scripturis præcipitur, est pœnitentia *in cilicio et cinere* (Matth. XI, 21), vel *in favilla et cinere* (Iob. c. ult. 6); conversio autem, quæ per hanc pœnitentiam fit, est qualis a Ioele (II, 12) describitur: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et in fletu et in planctu; et scindite corda vestra et non vestimenta vestra.* Ex pluribus Patribus Gregorius M. inquit: *Pœnitere est peccata præterita plangere* (2). Ipse vero communis sensus dictat, mutationem vitæ in melius veram esse non posse, nisi displiceat vita mala anteacta; proindeque pœnitentiam non esse vitam novam, sed potius esse veteris vitæ displicentiam et detestationem, quæ sit principium et ratio novæ vitæ.

Ex his igitur constat, pœnitentiam complecti displicentiam animi præterita peccata detestantis et propositum non amplius peccandi. Illa

(1) *Sum. th.* III, 85, 1.

(2) *Hom. 34 in Evang.* Cf. Bellarminus, *De Pœnit.* l. I, c. 7.

displicentia sic exprimitur: *me peccasse displicet; vellem me non peccasse.* Unde consequitur: *non peccabo amplius.* Apparet, pœnitentiam huiusmodi esse non posse de peccatis sive originali sive alieno, sed tantum de peccatis a se ipso commissis.

1013. Iamvero prædescripta pœnitentia, prout in voluntate existit, est *virtus* vel actus virtutis. Secus enim divina lex de pœnitentia præceptum non daret, secundum illud: *Pœnitentiam agite* (Matth. IV, 17). Ratio autem intrinseca est evidens. Actus virtutis est actus voluntatis libere agentis cum debito fine; atqui talis est actus pœnitentiæ: nam dolor de peccatis præteritis liber est et finis debitus adest, nempe destructio peccatorum sive reconciliatio hominis cum Deo, quæ intenditur. Ergo de peccatis pœnitere virtuosum est (1).

Si autem pœnitentia consideretur, non prout est sola displicentia peccati præteriti, sed prouti est intentio operandi ad deletionem peccati; tunc est virtus *specialis* seu ab aliis omnibus virtutibus distincta. Tunc enim « in pœnitentia invenitur *specialis ratio* actus laudabilis, scilicet *operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa:* quod non pertinet ad rationem alterius virtutis (2). »

Est tamen virtus non *theologica* sed *moralis.* Ratio est, quia obiectum pœnitentiæ non est Deus, sed sunt actus humani, quibus Deus offenditur vel compensatur. Scilicet: actus ipsi humani sunt pœnitentiæ obiectum materiale; *compensatio offensæ* est obiectum formale, quod a pœnitente intenditur. Deus autem est quidem terminus huius intentionis, tanquam ille cui fit compensatio, non vero est obiectum immediatum, quemadmodum in caritate.

Ex quo formali motivo reparandi iniuriam Deo illatam apparet, etiam pœnitentiam reduci ad quandam *iustitiam commutativam,* quia in compensatione consistit; attamen non est stricta iustitia, quia non compensat ad æqualitatem.

Denique pœnitentia, quatenus consideratur ut virtus christiana pertinens ad iustificationem impii, est supernaturalis ideoque, ut habitus, est a Deo *infusa* in ipsa iustificatione. Unde hæc pœnitentia virtus definiri potest: *virtus moralis infusa inclinans hominem ad reparandam iniuriam Deo per peccatum illatam.* Actus autem, quo pœnitentia iniuriam Dei reparat, a Tridentino definitur: *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero* (3).

(1) S. Thomas, *Sum. th.* III, 85, 1.
(2) S. Thomas, l. c. a. 2.
(3) Trid. Sess. XIV, c. 4. Cfr. theol. wirceburg. *De Pœnit.* n. 20 et seqq.

1014. Sed hæc sufficiant de pœnitentia virtute. Modo de sacramento dicamus. Generaliore quodam modo definiri potest et definitur: *Ritus a Christo Domino institutus, quo gratia de se remissiva peccati confertur.* De quo sacramento doctrina, quam Tridentinum Sess. XIV exponit, tota reducitur ad hæc potissima capita: 1° Christus Ecclesiæ suæ contulit perpetuam potestatem, qua sacerdotes omnia remittere possunt peccata fidelium post Baptismum contracta; 2° Sacerdos exercere nequit hanc potestatem, nisi peccator triplicem ponat actum; scilicet nisi de suis peccatis conteratur, eadem confiteatur, ac pro iisdem satisfacere proponat; 3° Ritus huiusmodi, qui hinc sacerdotis absolutione, inde pœnitentis contritione, confessione et satisfactione continetur, hic ritus est verum Novæ Legis sacramentum cuilibet baptizato peccatori ad salutem necessarium (1). Hinc tractatus absolvetur hisce tribus:

I. De potestate remittendi peccata,
II. De tribus pœnitentis actibus,
III. De veritate et natura sacramenti Pœnitentiæ.

CAPUT I.

DE POTESTATE REMITTENDI PECCATA.

1015. Hanc potestatem coarctabant Montanistæ docentes graviora quædam peccata, uti idololatriam, homicidium, mœchiam, esse irremissibilia; item Novatiani adimentes Ecclesiæ facultatem absolvendi lapsos in persecutione: horum vero asseclæ nullam admittebant in Ecclesia facultatem remittendi peccata lethalia post baptismum admissa. Protestantes vel potestatem hanc omnino denegant, vel, quod idem est, eam dicunt exerceri non actu *potestativo* seu *iudiciali*, sed modo declaratorio, quatenus sacerdos non ipse remittat peccata, sed nudo ministerio fungatur declarandi illa a Deo esse remissa. Contra ponitur insequens

(1) Inde explicatior definitio hujus sacramenti: *Sacramentum quo baptizatus, contritus, confessus et ad satisfaciendum paratus, per Sacerdotem absolvitur a peccatis post Baptismum commissis.*

THESIS XVIII.

Christus Ecclesiæ contulit potestatem remittendi quæcumque peccata, eaque actu iudiciali exerceri debet.

1016. Declaratio. — Tria asseruntur: institutio perpetuæ potestatis remittendi peccata; eius extensio ad omnia peccata; eius natura vere iudicialis. Omnia sunt de fide. Primum ex Tridentini Sess. XIV, can. 3: *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: « Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (1) *», non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem huius sacramenti, ad auctoritatem prædicandi evangelium; a. s. »* Alterum constat ex damnatione Montanistarum et Novatianorum. Tertium ex Tridentini l. c. can. 9: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti: modo tantum credat se esse absolutum...; a. s.*

1017. Demonstratur Pars I. — 1° Ad id ex *Scripturis* testimonia adduci solent tria. Primum ex Matthæi c. XVI, ubi Christus promittit Petro potestatem clavium supremam et amplissimam tum ligandi tum solvendi. Alterum est ex Matthæi c. XVIII, ubi eandem amplissimam potestatem omnibus Apostolis iterum Dominus promittit. Dubitari quidem non potest Christum inibi non de corporalibus sed de spiritualibus vinculis solvendis loqui; quæ sunt non modo leges, sed etiam culpæ et pœnæ. Proindeque illis verbis Christus promisit Petro et deinde toti Ecclesiæ, una cum potestate regendi, etiam *potestatem remittendi peccata*. Hinc symbolo clavium hanc ipsam speciatim potestatem absolvendi a peccatis Patres et Concilia designare solent. Verum magis directum ad rem testimonium est tertium, quod continetur verbis mox in canone tridentino adductis ex Ioannis c. XX. Porro inibi Christus ait: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Mittuntur itaque Apostoli cum auctoritate, quemadmodum missus est Christus. Atqui Christus auctoritatem habuit et exercuit remittendi peccata in terris (2). Est

(1) Io. XX, 21-23.

(2) Matth. IX, 6; Luc. VII, 97.

ergo ratio asserendi, Christum hanc suam potestatem etiam Apostolis contulisse. Neque obstat, quod hæc potestas frequenter in Scripturis Deo tribuatur eique soli propria asseratur (1); nam ipse Christus satis ostendit, se tradere Apostolis potestatem supernaturalem ex virtute Spiritus Sancti exercendam. Tunc enim Christus *insufflavit et dixit eis : accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Non ipsi itaque homines remittunt, sed per eos utique Spiritus Sanctus. Ipsam vero potestatem clarius non poterat Christus exprimere quam aiendo, quorum peccata remiserint Apostoli, ea esse remissa; et quorum retinuerint, ea esse retenta; h. e. vere esse remissa aut retenta coram ipso Deo, qui proprie potestatem habet remittendi retinendique peccata. Ex his patet hæc verba, quæ agunt de ministerio remittendi peccata fidelibus in virtute Spiritus Sancti, nullo modo conferri posse uti parallela cum illis Lucæ XXIV, 47, ubi Christus dixit : *Quoniam.... sic oportebat.... prædicari in nomine eius pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes ;* in quibus verbis sermo est de beneficio remissionis peccatorum non conferendo fidelibus, sed prædicando omnibus gentibus.

2° In hanc interpretationem testimoniorum, quæ adduximus, consentiunt unanimiter *Patres,* qui ea verba Matthæi et Ioannis urgebant contra Novatianum et Novatum, qui peccata post Baptismum admissa negabant remitti posse ab Ecclesia. Ad rem citari possent Cyprianus, Pacianus, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus alex. aliique. Antea vero ipse Tertullianus, in hæresim Montani lapsus, illam Ecclesiæ potestatem restrinxit quidem, sed non negavit; imo fidem sui ævi contestatur, dum in lib. *de pudic.* c. XXI catholicum ita loquentem inducit : *Sed habet potestatem Ecclesia delicta* (post Baptismum patrata) *sanandi.* Hanc vero fidem constantem in Ecclesia ostendunt libri ipsi rituales et pontificales, unde dignoscimus presbyteris, dum ordinantur, conferri potestatem remittendi et retinendi peccata, et ad id episcopum ordinantem eadem adhibere verba, quæ Christus ad Apostolos dixit.

1018. Pars II. — Hanc potestatem ad omnia baptizatorum peccata extendi, adeo ut nullum peccatum sit ei irremissibile, patet 1° ex collatione testimonii Ioannis XX cum illis Matthæi XVI et XVIII. Licet enim amplior sit potestas collata penes Matthæum, quia est potestas

(1) Matth. ibid. v, 2, 6; Luc. v, 20; VII, 47, 49.

omnis, quæ ad Ecclesiæ regimen et administrationem pertinet; attamen ea continet illam quoque potestatem remittendi et retinendi peccata, quæ confertur apud Ioannem. Hinc testimonium Ioannis, sub illa ratione qua convenit cum illis Matthæi, inde illustrari potest adeo, ut hanc integram fundat sententiam: « Quorum quæcumque peccata remiseritis seu solveritis in terris, erunt remissa seu soluta et in cœlis; et quorum quæcumque peccata retinueritis vel ligaveritis in terris, erunt retenta seu ligata et in cœlis (1). » Hinc recte arguit Pacianus: *quæcumque solveritis, inquit; omnino nihil excipit. Quæcumque, inquit: vel magna vel modica* (2).

Accedit 2° fides Ecclesiæ prouti manifesta fit tum *damnatione* Montanistarum et Novatianorum, qui tuebantur, quædam peccata ab Ecclesia remitti non posse; tum *praxi* constanti remittendi omnia peccata rite dispositis.

Nec valet 3° exceptio, quam Novatiani, innixi aliquibus Scripturarum testimoniis, faciebant, ut contenderent, Ecclesiam non posse saltem remittere peccatum blasphemiæ in Spiritum Sanctum (Matt. XII, 31) et peccatum ad mortem (I[a] Ioan. V, 16), vel etiam peccata quævis saltem graviora post Baptismum (ad Hebr. VI, 4). Ad hæc testimonia respondent generatim Patres: inde argui difficultatem remissionis ratione habita pessimæ dispositionis in subiecto, non vero limitari Ecclesiæ potestatem ad remittenda peccata rite dispositis. In his enim sermo non est de Ecclesia eiusque potestate remittendi peccata, sed tantum de peccato quod remittitur vel non remittitur a Deo (3). Quod vero speciatim ad locum Pauli ad Hebræos VI, Ambrosius cum aliis veteribus eum intelligit hoc sensu: *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt* per Baptismum, quod est sacramentum luminis, *gustaverunt etiam donum*

(1) Apud Ioannem habemus distincte determinatum objectum potestatis: *quorum peccata remiseritis* et apud Matthæum habemus distincte determinatam amplitudinem ejusdem potestatis: *quæcumque solveritis*, simulque declaratum, quod hujusmodi potestas valet coram Deo, cum dicitur *ligari et solvi in cœlis*, quod Apostoli ligaverint vel solverint in terris.

(2) Pacianus *ep.* 3, n. 12.

(3) Iuvabit, claritatis gratia, tres distinguere quæstiones: 1ª An Deus vere pœnitentibus quæcumque dimittat peccata. Respondetur *affirmative* et est de fide. 2ª An Deus omnibus omnino peccatoribus etiam obduratis, ordinaria lege, gratias det relative sufficientes ut perveniat ad veram pœnitentiam. Respondetur *affirmative*, sed ex sententia communi, negantibus aliquibus. 3ª An Ecclesia habeat potestatem remittendi quæcumque peccata omnibus peccatoribus vere pœnitentibus Respondetur *affirmative* et est veritas de fide, quam hac thesi defendimus.

cœleste per Eucharistiæ sumptionem, *et participes facti sunt Spiritus Sancti* per Confirmationem *rursus renovari ad pœnitentiam*, scilicet ad eam pœnitentiam, quæ præmittenda erat Baptismo et cum Baptismo connectebatur, unde sensus exurgit: « semel baptizatos impossibile est denuo renovari ad pœnitentiam iterato Baptismo. »

1019. Pars III. — 1ª Ad essentiam potestatis iudicialis pertinet, ut quis, *pro auctoritate* sive propria sive a Principe societatis accepta, in causis iuris violati *sententiam ferat* et quidem vel absolutionis vel damnationis. Atqui potestas clavium, qua pollent sacerdotes, est *potestas eis collata a Christo principe* huius societàtis, quæ est Ecclesia, et per eam iidem sacerdotes in causis violati iuris divini, *sententiam ferunt* vel absolutionis vel denegandæ absolutionis; qua denegata, reus sub damnatione reipsa manet. Ergo potestas clavium, qua pollent sacerdotes, est vere potestas præsidis et iudicis. Porro *minor* propositio satis constat ex locis superadductis, ubi Christus testatur, se tradere Apostolis eamdem potestatem, quam ipse habuit a Patre, eamque potestatem declarat esse *solvendi* et *ligandi*, *remittendi* et *retinendi:* id quod sane importat *iudicium ferendum* vel de remissione vel de retentione facienda, non quidem pro lubito sacerdotum, sed secundum statutas a Christo Domino leges.

Iam inde sequitur 2°, sententiam absolutionis non modo esse declarativam, sed *efficacem remissionis*. Etenim *a)* sententia iudicialis præsidis vel prætoris efficax est illius rei, quam decernit. Hinc si prætor sententia iudiciali decernat aliquem obligari ad pœnam subeundam, hoc ipso eum facit pœna obligatum; si decernat constare de alicuius innocentia, hoc ipso iuridicam existimationem innocentiæ eiusdem producit. Porro sacerdos sententia iudiciali decernit, peccatorem a peccatis coram Deo esse absolutum: ergo hoc ipso facit absolutum. Idque *b)* expresse constat ex verbis Christi, qui non dixit: *quorum declaraveritis peccata remissa*, sed: *quorum remiseritis;* et insuper remissionem dandam a sacerdotibus proposuit veluti conditionem et causam remissionis a Deo faciendæ, ac si dixisset: *si remiseritis, remittuntur.* Confirmatur *c)* doctrinâ Patrum. Gregorius M. actum *iudicialem* sacerdotis ita describit: *Ecce.... principatum superni iudicii sortiuntur discipuli, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent... Causæ pensandæ sunt et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum, quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat,*

illos pastoris sententia absolvat (1). Hilarius vero docet, hoc sacerdotis iudicium *prius* esse iudicio Dei confirmantis in cœlis: *Petri iudicium præiudicata auctoritas est in cœlo;* item Bernardus: *Sententia Petri præcedit sententiam cœli* (2). Quibus sane formulis bene exprimitur, sententiam sacerdotis non modo esse declarativam, sed *productivam remissionis,* quam significat.

COROLLARIA.

De aliis huius potestatis proprietatibus.

1020. *Potestas clavium bifariam patet.* Sicut enim collata est Apostolis potestas remittendi peccata, ita et potestas data est eadem retinendi. Retentio peccatorum non est autem mera omissio usus potestatis remittendi, sed est positivum exercitium potestatis, quo remissio vel negatur vel differtur, secus enim falsa forent verba universalia Christi: « retenta esse coram Deo ea peccata, quæ retinuerunt Apostoli. » Potestas vero imponendi pœnas et satisfactiones subeundas pro remissione obtinenda, sequitur quidem aut comitatur potestatem retinendi peccata, sed melius dicitur ad potestatem *ligandi* pertinere.

1021. *Est potestas necessaria,* seu cui tenentur fideles peccatores re vel voto se subiicere, ut lethalium criminum veniam coram Deo obtineant. Res patet ex eo, quod est potestas non modo remittendi sed etiam retinendi peccata ita, ut retenta maneant coram Deo; quare propositio Christi æquivalet hisce duabus conditionalibus: « si remiseritis peccata fidelibus, remittuntur eis; si non remiseritis, non remittuntur. » Hinc peccator, cuius peccatum retentum fuit, tenetur se rursus subiicere eidem potestati clavium, ut remissionem peccati consequatur. Licet vero peccator perfecte contritus iustificetur ante absolutionem, tamen hanc remissionem non consequitur sine ordine ad potestatem clavium, neque omnino manet solutus, quia semper manet obligatus se subiicere illi potestati, ut sententiam absolutionis audiat (3). Quod vero attinet venialia peccata, potestas clavium ad ea quidem remittenda, non autem simpliciter ad eadem retinenda extenditur. Licet enim venialia a sacerdote reti-

(1) Greg. M. *hom.* 26 in Jo. xx.
(2) Hilarius, *in Matth.* xvi; Bern. *in Natali Apost. serm.* 1.
(3) Suarez Disp. xviii, Sect. 2.

neantur, non ea tamen ita absolute retinentur, ut maneat obligatio ea iterum subiiciendi clavibus (1).

1022. *Etiam Ecclesiæ inest obligatio concedendi veniam reis cuiusque criminis, si rite sint dispositi.* Ratio est, quia potestas Ecclesiæ tradita remittendi peccata per se extenditur ad quæcumque peccata; huius autem potestatis Ecclesia non est domina, sed dispensatrix, quæ eam exercere debet non pro lubito, sed secundum Christi voluntatem et pro cuiusque dispositionibus.

1023. *Eadem potestas in solos baptizatos exerceri potest, alia proinde a potestate baptizandi.* Porro potestas baptizandi exercetur in non subditos, unde non est potestas iudicialis, potestas vero remittendi et retinendi peccata est potestas iudicialis: ergo exercenda tantum in subditos, Ecclesiæ, qui soli sunt baptizati. Hinc si qui Patres, ut Cyprianus, sententiam Christi, Io. XX, 21, intellexerint etiam de potestate dandi remissionem peccatorum per Baptismum, id improprie et per quandam extensionem fecerunt.

1024. *Est item potestas diversa omnino a ministerio prædicationis.* Etenim purum ministerium præconis aut accensi referentis quod iudex decreverit, omnino distinguitur a potestate prætoria et iudiciali (2).

1025. *Eadem potestas nonnisi ab eo, qui iurisdictione potitur in pœnitentem, valide exercetur.* Ratio est, quia est potestas iudicialis, quæ nonnisi ab iurisdictionem habente et in subditos exerceri potest (3). Hanc iurisdictionem nonnisi sacerdotes, *ex vi ordinationis*, obtinere *possunt,* uti constat ex praxi Ecclesiæ, doctrina Patrum et definitione Conciliorum: sed eam *de facto* obtinent, non ex vi ordinationis per characterem sacerdotalem, sed per *Ecclesiæ concessionem.* Omnis enim potestas iurisdictionis in Ecclesia vel est ordinaria vel delegata. Atqui sacerdos vi ordinationis non habet potestatem ordinariam, quæ ex iure nectitur alicui muneri pastorali, quo funguntur vel episcopi habentes oves vel parochi: neque habet delegatam, non enim episcopus ordinans intendit potestatem suam ordinato presbytero delegare. Ergo ad validum exercitium potestatis clavium, præter potestatem ordinis, requiritur in sacerdote potestas iurisdictionis eidem ab Ecclesia, vel ordinario iure vel per delegationem, concessa. Est autem advertendum, iurisdictionem hanc ministris inferioribus concessam posse restringi a superioribus Præ-

(1) Theol. Wirceburg, n. 117, 118.
(2) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 1.
(3) Ibid. cap. 7.

latis, scilicet a Romano Pontifice pro universa Ecclesia, ab episcopo pro sua diœcesi, per eam legem, quæ dicitur casuum reservatio.

Sed hic posset quis obicere: Quomodo potest Ecclesia talem iurisdictionem, in foro interno, *concedere,* qua nec ipsa pollet, cum non iudicet de internis? Respondetur quod revera ista iurisdictio est longe alia ac ea quam Christus Ecclesiæ contulit in proprium, tanquam agenti principali, ex qua leges canonicas Ecclesia constituit; est enim hæc iurisdictio ipsius Dei in ipso manens ut in eo qui principaliter absolvit, dum creatura se habet tantum ut instrumentum, unam personam iuridicam cum Deo efficiens, uti vicarius cum ordinario suo. Quare cum dicitur Ecclesiam eam concedere, sensus est Ecclesiam esse mere medium, quo a Christo hæc iurisdictio provenit ad sacerdotes, quatenus scilicet subditos ipsis designat.

1026. *Absolutionis sententia exterius proferri debet.* Id enim exigit Ecclesiæ visibilitas nec non conditio humanæ naturæ, ut peccator sciat utrum remissionem obtinuerit, an econtra teneatur peccata sua iterum subiicere clavibus.

CAPUT II.

DE PŒNITENTIS ACTIBUS.

1027. Constat in Ecclesia esse a Christo collatam potestatem remittendi quæcumque peccata post Baptismum commissa. Modo sequitur ut demonstremus, hanc potestatem ab Ecclesia exerceri non posse, et pœnitentem per eam potestatem a suis peccatis absolvi non posse nisi pœnitens ipse tres actiones præstet, quæ sunt: *contritio,* seu animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero; *confessio,* seu accusatio suorum peccatorum a pœnitente sacerdoti facta in ordine ad remissionem virtute clavium obtinendam; *satisfactio,* seu voluntaria acceptatio eorum operum, quæ sacerdos imponeret ad exsolvendum Deo reatum pœnæ temporalis, qui plerumque, remissa culpa, adhuc remanet.

1028. Hi pœnitentis actus tres pœnitentiæ partes dicuntur; eosque necessario requiri in pœnitente, ut per potestatem clavium veniam suorum peccatorum obtineat, summo consensu admittunt et credunt Catholici. Verum Protestantes aliter docent, videlicet duas esse Pœnitentiæ partes, contritionem et fidem. Ac per contritionem quidem

intelligunt terrores conscientiæ ex minis legis incussos: per fidem autem fiduciam quandam certam remissionis peccatorum ex Evangelii, ut ipsi dicunt, pollicitatione vel ex ipsa absolutione conceptam. Sunt tamen qui ad has duas partes adiungant tertiam, videlicet opus bonum, sive novam obedientiam. Omnes vero Protestantes summo consensu confessionis necessitatem omnino reiiciunt.

Contra satis erit demonstrare generatim necessitatem trium illorum actuum pœnitentis, prouti sensu catholico iam indicato accipiuntur. Addemus vero, saltem transeunter, ea, quæ pertinent ad clarius explicandam ipsorum actuum naturam et rationem.

THESIS XIX.

Ad remissionem peccatorum per potestatem clavium obtinendam requiruntur tres actus in pœnitente: contritio, confessio et satisfactio.

1029. Declaratio. — Quæstio non est, utrum et quomodo hi pœnitentis actus sint *partes sacramenti* pœnitentiæ: sed generatim utrum iidem necessario requirantur in pœnitente, ut remissionem obtineat per potestatem clavium. Thesis affirmat hanc necessitatem, quæ de *fide* teneri debet ex canone 4, sess. XIV Concilii Tridentini: *Si quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem et Satisfactionem,... a. s.*

1030. Demonstratur Pars I. — 1° Res ipsa per se postulat, *contritionem* seu detestationem peccatorum, saltem aliquam esse necessariam in peccatore, ut Deus veniam concedat. Constat *a)* ex *natura ipsius remissionis* a Deo concedendæ. Nam Deus in ordine præsenti providentiæ non aliter remittit peccatum, quam revocando hominem ad gratiam suam. Atqui Deus, aliquem revocando ad gratiam suam, necessario eum facit bonum; is autem nequit fieri bonus, nisi eius mutetur voluntas et ex adversa fiat conversa ad Deum. Ergo cum remittitur a Deo peccatum, hoc ipso necesse est ut voluntas peccatoris convertatur ad Deum: id quod fieri nequit sine detestatione prioris conversionis ad creaturas et sine proposito emendæ, h. e. sine contritione (1).

(1) S. Thomas III, 86, 2.

Idipsum confirmatur *b)* inspecta *peccati natura,* quod non est tantum pravitas contra ordinem rationis, verum etiam offensa et iniuria hominis in Deum. Ad ordinem restituendum sufficeret actus habitusque contrarius; sed ad abolendam hominis in Deum offensam duo requiruntur, alterum ex parte Dei, i. e. remissio; alterum ex parte hominis i. e. aliqua exhibitio emendæ, quæ fit dum odio et detestatione iniuriam destruere nititur. Id *c)* congruit cum *generali ratione,* qua novimus creaturas rationales a Deo regi. Nam inde necesse est, ut homo libere cooperetur Deo operanti in ipso; cooperatio autem peccatoris Deo, qui peccata indulgens ad eum sese convertit, non alia esse potest quam quod ipse peccator, gratia adiutus, se convertat ad Deum; id quod postulat aversionem a peccato seu contritionem. Exinde *d) factum est,* quod omni tempore Deus exegerit a peccatoribus dolorem et contritionem, si veniam obtinere voluerint: *si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis,* Luc. XIII, 5. Unde concilium tridentinum, sess. XIV, cap. 4 docet: *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum contritionis motus necessarius.*

2° Iam vero, quod ad remissionem peccatorum necesse est ex ipsa rei natura, id, instituta clavium potestate in Ecclesia, suam necessitatem non amisit. Et revera hanc necessitatem contritionis adhuc manere et sine contritione ipsam clavium potestatem sua efficacia destitui, colligitur ex apertissima Patrum doctrina, qui hanc necessitatem inculcant, et ex praxi Ecclesiæ, quæ nonnisi contritis beneficium remissionis indulsit.

3° Quoniam autem contritio sic necessaria est, ut peccator per potestatem clavium absolvatur; ideo necessarium quoque est, ut sacerdos agnoscat utrum ea contritio adsit nec ne in pœnitente, et consequenter ut ipse pœnitens interiorem dolorem aliquo modo ostendat, ad quod tamen vel ipsa sola confessio sufficere potest.

1031. Pars II. — *Confessionem* item omnium et singulorum lethalium peccatorum iure divino necessariam requiri, ut peccator per clavium potestatem veniam obtineat, colligimus 1° ex indole eiusdem potestatis, quæ *iudicialis* est. Sententia enim iudicialis ex se requirit in iudice notitiam certam rei, circa quam fertur; atqui iudicialis sententia sacerdotis ex potestate clavium absolventis fertur circa peccata: ergo notitia certa peccatorum requiritur in sacerdote, ut sententiam absolutionis ferre possit. Atqui insuper notitia certa peccatorum, prouti coram Deo commissa sunt, haberi nequit sine confessione peccatoris: peccatum enim

prouti est offensa Dei actu interiore formaliter continetur, huius autem actus interioris testis est solus reus. Ergo necesse est, ut fideles peccatores pro obtinenda suorum criminum venia per potestatem clavium, peccata sua manifestent iudicibus a Deo constitutis. Hæc autem manifestatio criminum facta iudici sacerdoti, ut sententiam circa ea ferat, est proprie *accusatio* et simul *testificatio,* quam ipse reus profert; qui idcirco est *reus confessus,* et ideo hic actus dicitur *confessio.* Accedit 2° argumentum ex *professione* Ecclesiæ, prouti ea constat ex *consensu ecclesiæ schismaticæ aliarumque sectarum Orientis,* quæ hanc doctrinam ex communi fonte seu ab Ecclesia catholica hauserunt ante seculum IX, vel etiam ante V; item *ex Patribus,* qui sacramentalis confessionis tum antiquissimam et universalem praxim tum omnimodam ex iure divino necessitatem testantur. De praxi secretæ confessionis loquitur Paulinus in vita S. Ambrosii, his verbis: *Quotiescumque illi* (Ambrosio) *aliquis ob percipiendam Pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret, videbatur etiam sibi cum iacente iacere: causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.* Necessitatem autem confessionis idem S. Ambrosius vel asserit vel certo supponit in libris *de pœnitentia,* in quibus tres pœnitentiæ partes contritionem, declarationem ac satisfactionem esse ad remissionem peccati necessarias ubique docet. Clarius Basilius præcipit: *Necessarium est, ut iis fiat confessio peccatorum, quibus dispensatio mysteriorum Dei concredita est* (1). Tum vero confessionis praxim tum eiusdem necessitatem testantur libri pœnitentiales vetustissimi, in quibus inter necessaria pro exercenda potestate clavium recensetur confessio. Ad rem plura testimonia Conciliorum et Patrum dat Bellarminus, qui Patres fere omnes, ab Irenæo usque ad Bernardum, et sequentes etiam scriptores citat usque ad annum MCC, quo demum tempore, sub Innocentio III, confessionis legem primo latam fuisse Protestantes mentiuntur (2). Verum 3° hoc unum argumentum pro omnibus valeret; a seculo XII usque ad sec. XVI, quo primum oborta est controversia de confessionis necessitate, nullus fuit cœtus, qui cum aliqua veritatis specie veram se dixerit Ecclesiam, quin illam confessionis necessitatem profiteretur. Atqui, inter illos diversos cœtus, unus erat vera Christi Ecclesia proindeque infallibilis in sua professione. Ergo illa confessionis necessitas est infallibiliter vera.

(1) In *Regulis brevioribus,* quæst. 288; cfr. quæst. 229, edit. Basil. 1540.

(2) Bellarm. *De Pœnit.* L III, c. II post medium et c. V et seqq. Solvit etiam plures difficultates et nominatim eam, quæ peti solet ex facto quod Nectarius patr. cp. abrogaverit officium pœnitentiarii publici in sua ecclesia. Ibid. c. XIV.

1032. Pars III. — Ad distinctiorem demonstrationem duo quæri possunt: primo utrum pœnitens sese clavibus subiiciens teneatur ad *satisfactionem*, quam sacerdos imponeret: deinde utrum ad id teneatur sub discrimine non obtinendæ remissionis a peccatis.

1.° Ad primum responsio omnino est affirmativa, eaque probatur hoc argumento: Pœnitens hac obligatione tenetur, si potest sacerdos et debet pœnitenti confesso satisfactiones iniungere; iuri enim sacerdotis imponendi pœnas respondet in pœnitente obligatio eas acceptandi. Atqui potest sacerdos, et per se debet salutares et convenientes satisfactiones iniungere. Ergo tenetur pœnitens accipere satisfactiones a sacerdote impositas. *Minor* est veritas *fidei* definita in Conc. Tridentino Sess. XIV, can. 15 et facili hoc argumento probatur: Potest sacerdos et etiam debet satisfactiones pœnitenti imponere, si dentur hæc quatuor: ex parte sacerdotis quod habeat potestatem imponendi pœnas, et quod eâ uti debeat: ex parte vero pœnitentis quod sit dignus pœna, et quod sit sacerdotis subditus quoad hanc quoque potestatem. Atqui hæc singula dantur: *a)* sacerdos potestatem habet imponendi pœnas, nam eius potestas est potestas non solum solvendi sed etiam ligandi, hæc vero est potestas quoque imponendi pœnas pro peccatis, tum quia universalissima est extensio verborum *quæcumque ligaveritis* (1), tum quia proprium est iudicis in causis criminum posse pœnas imponere. *b)* Hac vero potestate sacerdos uti debet; quia id postulatur tum ab officio iudicis, quo fungitur sacerdos; tum ab ipsius pœnitentis utilitate, ad quam datæ sunt claves. Quod *c)* pœnitens dignus sit pœna, liquet ex altera fidei veritate a tridentino, Sess. XIV, can. 12, definita: non totam simul pœnam cum culpa semper remitti a Deo, sed plerumque, pœna æterna cum culpa sublata, pœnam temporalem remanere exsolvendam. Quæ veritas probatur imprimis ex variis factis in s. Scriptura relatis, uti Moysis et Aaronis, qui prohibiti sunt ingredi terram promissam in pœnam et vindictam suæ diffidentiæ, item Davidis, qui, obtenta iam venia sui peccati, verumtamen punitus est morte filii aliisque domesticis calamitatibus. Probatur deinde ex praxi universæ antiquitatis christianæ, quæ ideo tam graves exegit pœnitentias a fidelibus peccatoribus, quia putabat non eadem facilitate remitti peccata ante et post baptismum commissa; hæc scilicet non dimitti, quin aliqua pœna temporalis sive ante sive post absolutionem exsolvatur, ad divinam iustitiam compen-

(1) Ex collatis verbis Matth. XVI cum aliis Joannis XX liquet, potestatem solvendi et ligandi, quæ datur apud Matthæum, porrigi etiam ad forum internum.

sandam (1). Quod denique *d)* pœnitens sit subditus sacerdoti, etiam quoad potestatem qua hic pollet imponendi pœnam, patet; quia potestas hæc est potestas iudicis, pœnitens autem subditus est sacerdoti in omnibus, in quibus hic est iudex. Potest ergo et debet sacerdos iniungere satisfactiones pœnitenti, et consequenter pœnitens vera obligatione ad eas tenetur.

2° Quod autem ad alteram quæstionem : utrum ad eas teneatur sub discrimine non obtinendi peccatorum remissionem, distinguendum est inter *acceptationem* et *executionem* satisfactionis. Porro si pœnitens satisfactiones impositas animo non acceptat, remissionem peccatorum non obtinet; et ratio est, quia tum iam deesset contritio, quæ, uti vidimus, ad obtinendam remissionem necessario requiritur; contritio autem deesset, quia citra animum exhibendi offenso aliquam emendam cogitari nequit, nec ea consistere potest cum actuali peccato, quod pœnitens committeret certam infringendo obligationem. Quod si, accepta prius satisfactione, deinde pœnitens se abstinet ab ea exequenda, tum remissio peccatorum iam facta sane remanet; attamen hac suæ obligationis violatione novum incurrit peccatum.

SCHOLIA.

I. *De contritione.*

1033. *Natura contritionis* indicatur definitione tridentina : *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Ubi sedulo advertas, vocem illam *animi dolor* esse intelligendam per alteram *detestatio.* Hinc contritio duobus continetur : *detestatione* peccati commissi, et *proposito* non peccandi de cetero. Primus actus respicit peccatum præteritum, quod pœnitens per detestationem *odio* seu abominatione prosequitur, animo cupienti veluti dicens : *vellem me non peccasse;* alter actus seu propositum respicit futurum peccatum, quatenus est *firma voluntas* non peccandi in posterum. Illam vero detestationem consequitur veluti comes dolor seu tristitia animi. Verum prima contritionis essentia consistit in ipso *odio et detestatione*, quæ causa est tristitiæ in animo et aliquando etiam in sensu (2). *Propositum*

(1) Cfr. Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 8.

(2) Non aliter contritionem explicat catechismus romanus, ubi ait: " intima pœnitentia est illa, cum ad Deum nos ex animo convertimur, et commissa a nobis scelera *detestamur* et *odio habemus.* Hanc vero pœnitentiam dolor et tristitia, quæ perturbatio

quoque spectat ad essentiam contritionis, sed iam virtualiter continetur in odio et detestatione, saltem si detestatio sit ex aliquo motivo universali uti ex amore Dei, timore inferni, desiderio beatitudinis; proindeque necessarium plerisque non videtur, ut illud eliciatur formaliter et explicitum. Cui sententiæ favere videtur ipsa tridentina definitio propositum exprimens in obliquo: *cum proposito non peccandi.*

1034. *Proprietates contritionis*, ut sit apta ad iustificationem, ex declarata eius natura, sunt sequentes: 1° Sit *interior* seu animi, neque necesse est ut etiam in sensum redundet. 2° Sit *supernaturalis*, quia actus ad iustificationem præparans est salutaris, ideoque sine speciali et supernaturali Dei gratia exerceri nequit. Hinc ad contritionem eliciendam divinum auxilium peti debet; ipsius vero contritionis motivum supernaturale esse debet, seu per fidem manifestum, uti sunt caritas Dei, spes beatitudinis, divinarum pœnarum timor, peccati turpitudo. 3° Sit *universalis* seu commissa peccata omnia complectatur, quæ iustificationem impedire possunt h. e. omnia lethalia adhuc in conscientia existentia, nullo excepto. 4° Sit *summa* non quidem intensive sed *appretiative*, ita ut, data optione, malimus omnia damna et dolores subire, quam peccato consentiendo Deum offendere. Si contritio non esset talis, non excluderet omnino voluntatem peccandi.

1035. *Divisio contritionis* præcipua est in *perfectam* et *imperfectam*, eaque ex effectu desumitur, prouti contritio reconciliationem ex se sola operatur i. e. ante actualem subiectionem clavibus, vel ea ad hoc ex se sola non sufficit. Prior retinet nomen *contritionis* tanquam proprium, altera dicitur proprie *attritio*, sumpta similitudine ex rebus corporalibus, quæ vel *atteri* vel *conteri* dicuntur, prouti minus vel plus perfecte in partes dividuntur (1). Est autem advertendum, quod si attritio non reconciliat peccatorem absque *actuali* eius subiectione clavibus, etiam contritio eum non reconciliat sine *voto* sese subiiciendi clavibus. Hæc est enim doctrina concilii: « Docet præterea (s. synodus), etsi contri-

et affectio est, et passio a multis vocatur, consequitur veluti comes, peccatorum *detestationi* adiuncta. „ In quæ P. Salvatori S. J. scite advertit: " Codesti *dolor, tristitia, perturbatio, affectio et passio* esser possono atti della parte superiore ed anche atti e affezioni della parte inferiore; ma non consiste in essi propriamente il pentimento dei peccati, il quale sostanzialmente è *odio* e *detestazione*. Sono dunque atti che accompagnano, come conseguenza, l'atto di pentimento; ma anche senza queste conseguenze l'atto di pentimento sussiste in tutta la sua essenza. „ *Istruzione pratica pei Confessori novelli*, pag. 301 et seq. Roma, 1879.

(1) S. Thom. *Suppl.* q. 1, a. 1.

tionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam (1). »

1036. *Motivum contritionis perfectæ* esse Deum per se super omnia dilectum, convenit inter omnes. Constat enim ex ss. Literis et Patribus et etiam expresse definitum est in damnatione propositionum Baii, caritatem actualem esse *semper coniunctam* cum remissione peccatorum, et *sine peccatorum remissione caritatem esse non posse* (2). Atqui si id caritati tribuitur, asserendum id saltem erit de illa perfecta caritate, qua Deus propter se super omnia diligitur. Ergo si quis Deum hac perfecta caritate diligit, is iam iustificatus est; ergo si quis de suis peccatis conteratur ex hoc motivo, is remissionem peccatorum obtinet, etiam ante quam actu se subiiciat clavibus. Si in Veteri Testamento, deficiente pœnitentiæ sacramento, remissio *immediate* erat coniuncta saltem cum contritione ex hoc perfectiore dilectionis motivo; porro hæc dignitas et efficacia dilectionis in N. T. imminuta non fuit per institutionem potestatis clavium, sed facilior et tutior potius facta.

Quod autem præter hoc motivum Dei per se et super omnia dilecti, contritio perfecta, seu per se iustificans, concipi possit etiam ex aliis motivis, uti ex amore Dei prout est bonus nobis, aut ex iustitiæ alteriusque similis universalis virtutis motivo; id videtur esse negandum. Nam sufficientia horum motivorum pro contritione perfecta nulla testificatione, sive Scripturæ sive Patrum consentientium sive decretorum Conciliorum et apostolicæ Sedis, probari potest. Imo ex hisce revelationis fontibus censent generatim Theologi, motivum contritionis perfectæ esse tantum amorem Dei propter se dilecti.

1037. *Natura dilectionis* itaque, quæ ad contritionem perfectam requiritur, est ut Deus *per se* et *super omnia* diligatur.

1° Deum diligi *per se* est diligi propter seipsum, quia est in se infinite bonus. Scilicet ita Deum diligimus, quando diligimus non amore quasi concupiscentiæ et spei, quatenus Deus est bonus nobis, sed amore caritatis seu benevolentiæ, quatenus Deus est in se bonus (3).

2° Deum autem diligi *super omnia*, intelligi debet de amore non

(1) Conc. Trid. sess. XIV, cap. 4.
(2) Prop. 31 et 32 apud Denzinger, n. 911, 912.
(3) Vide in *Tract. De Virtutibus*, cap. IV, *De caritate*.

quidem *intensive* (per vehementiorem facultatis applicationem), sed *appretiative* summo, qui consistit in eo, quod Deum omnibus existimatione præferamus, ex eius amore parati omnia despicere bona et cuncta mala pati potius, quam Ei displicere saltem graviter.

1038. *Motiva attritionis.* Concilium Tridentinum, Sess. XVI, cap. 4, ea revocat ad duo, nempe ad *timorem pœnarum*, cum quo intelligi debet etiam amor sive desiderium beatitudinis; et ad *turpitudinem peccati*. Et recte quidem; nam cum in peccato non sit nisi culpa et pœna, hinc illud detestamur vel ratione culpæ vel ratione pœnæ. Sub ratione culpæ, motivum detestationis est turpitudo peccati, quæ spectare potest vel ad contritionem vel ad attritionem, prouti turpitudinis ratio, quæ consideratur, respiciat nec ne divinam bonitatem propter se amabilem. Sub ratione autem pœnæ, quam peccatum inducit, motivum detestationis vel est pœna positiva a Deo inflicta sive æterna sive temporalis, vel est privatio beatitudinis, ideoque motivum detestandi peccatum erit timor, aut spes vel desiderium.

1039. *Efficacia attritionis* quæ sit, pendet a quæstione: utrum attritio, præsertim quæ ex metu gehennæ concipitur, sufficiat, ut quis se actu subiiciens clavibus iustificationem obtineat. Triplex in hac re fuit sententia. Prima contendit sufficere attritionem etiam ex metu pœnarum conceptam, absque ullo actu amoris proprie dicti; altera vult requiri contritionem h. e. detestationem peccati conceptam ex amore etiam gradibus remisso, sed quo Deus propter se super omnia diligatur; tertia docet requiri aliquam *initialem* dilectionem Dei benevolam.

Secunda sententia a nemine Theologorum hodie defenditur, neque tuto defendi potest, etiam quia ea componi nequit cum virtute clavium, quarum proprius effectus est reconciliare Deo peccatores; quem effectum claves nunquam assequerentur, si ad absolutionem semper necessaria foret contritio perfecta, quæ iam ante absolutionem peccatorem Deo reconciliat. Hinc modo Theologi unanimes consentiunt in primam sententiam, quæ ex doctrina tridentina ita deducitur (1). Iuxta Concilium ad obtinendam remissionem per claves requiritur et sufficit animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, nulla facta mentione de qualitate motivi. Atqui etiam ex timore gehennæ haberi potest huiusmodi dolor et detestatio cum firma voluntate non peccandi de cetero. Id enim non solum apparet ex ipsius actus natura, sed ab ipso Concilio supponitur, ubi declarat: contritionem imperfectam

(1) Sess. XIV, cap. 4.

ex turpitudine peccati et timore pœnarum, si *voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*, donum Dei esse. Ergo etiam attritio ex timore gehennæ sufficere potest, dummodo voluntatem peccandi excludat. Eoque magis, quod Concilium attritionem hanc veluti speciem sub illa contritione adnectit, quam initio capitis definit et quam cap. III affirmat esse partem sacramenti Pœnitentiæ (1).

Exinde intelligimus, quid tenendum sit de tertia sententia affirmante necessitatem initialis dilectionis. Vel enim pro initiali huiusmodi dilectione intelligimus actum *specialem* amoris, sive perfecti sive imperfecti, formaliter *distinctum* ab actibus aliarum virtutum; et tum dicimus, nullam esse necessitatem ut huiusmodi amor distincte eliciatur in attritione, quæ est ex motivo timoris. Nam, uti vidimus, timor, iam et per se, removere potest voluntatem peccandi; id quod solum requiritur, ut attritio etiam ex timore pœnarum sufficiat. Vel hæc initialis dilectio est quidquid venire potest sub nomine amoris, seu quilibet virtutis actus, quo voluntas tendit in Deum; et tum quæstio esset tantum de nomine. Etenim etiam attritionistæ facile concedent et concedere debent, hunc initialem in Deum amorem, saltem spei, iam necessario contineri in qualibet bona attritione, etiam ex gehennæ timore concepta, eo ipso quod ex Conc. Tridentino etiam attritio debet *excludere voluntatem peccandi* et secum includere *spem veniæ*. Hæc enim declinatio a peccato iam secum affert inclinationem ad Deum, et hæc spes veniæ haberi nequit sine aliquo amore spei in Deum, bonum nobis. Ex qua inclinatione et amore etiam aliqua benevolentia facile oriri potest.

II. *De confessione.*

1040. *Definitio confessionis sacramentalis* hæc dari potest: *accusatio suorum peccatorum facta Sacerdoti ad absolutionem, virtute clavium obtinendam.* Confessio ergo non est historica narratio peccatorum sive ad animum levandum, sive ad petendum consilium, sive ad quemlibet

(1) Timor huiusmodi non solum manum sed et voluntatem cohibet a peccato, ideoque licet dicatur timor *servilis*, inferior quidem timore *filiali* illius, qui Deum ut Patrem amantissimum reveretur; tamen is omnino distinguitur ab eo timore, qui dicitur *serviliter* servilis, quique metu pœnæ manum tantum cohibet, quin reprimat peccandi voluntatem. Qui vero dicunt, timorem pœnarum nunquam valere, per se, ad excludendam peccati voluntatem, hi non vident quod si voluntas vitandi pœnam est verax, ea excludit iam quamcumque voluntatem peccandi; quia peccandi voluntas, si deliberata esset, licet conditionata, iam ipsa foret peccatum pœna dignum.

alium finem facta; sed est *accusatio,* quæ fit ab ipso *reo* coram iudice, hoc fine ut *sententia* aliquæ feratur.

1041. *Necessitas confessionis,* et quidem ex divino præcepto, satis apparet ex dictis. Necessitas autem intelligi debet tantum pro peccatis lethalibus. Nam potestas clavium necessaria est tantum pro remissione mortalium. Est enim potestas non modo remittendi, sed etiam retinendi peccata ita, ut retenta maneant i. e. perpetuo: perpetuo autem nonnisi peccata mortalia retineri possunt. Peccata venialia, licet retinerentur in hac vita, deberent tamen aliquando remitti saltem in altera vita, proindeque independenter a potestate clavium. Non ergo est eadem extensio potestatis remittendi et potestatis retinendi. Nam potestas retinendi, quia est potestas retinendi perpetuo, non extenditur proprie ad peccata venialia; quæ perpetuo retentibilia non sunt; sed potestas remittendi etiam ad venialia sese extendit, quia remissibilia sunt et quidem facilius quam mortalia. Hinc confessio venialium non est quidem necessaria; attamen recte et utiliter fit, prouti fert usus nunc a pluribus seculis in Ecclesia frequentatus et a concilio Tridentino laudatus. Unde Pistoriensium propositio 39ª, qua frequens venialium confessio improbatur, a Pio VI damnata fuit uti temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sacro conc. tridentino probatæ contraria.

1042. *Qualitates confessionis* aliæ respiciunt actum ipsum externum, aliæ internam potius confitentis dispositionem. Hac attenta *dispositione,* confessio esse debet 1° *sacramentalis,* seu directa ad finem obtinendi absolutionem virtute clavium, proindeque etiam humilis, dolorosa, verecunda, prout reo convenit, qui se accusat; sed præsertim 2° sit *integra* seu *omnium* peccatorum lethalium, quorum conscientia habetur; 3° sit *distincta* seu facta non generali aliquo modo et confuso, sed *singillatim* secundum species et numerum. Porro confessio nisi *sacramentalis* esset, ad materiam sacramenti non pertineret; et, materiâ deficiente, ipsum sacramentum deficeret. *Integritas* autem est per se necessaria. Cum enim potestas clavium ex divina institutione ad cuiuslibet mortalis peccati remissionem obtinendam absolute necessaria sit; hinc necesse est, ut omnia omnino mortalia peccata eidem potestati per confessionem subiiciantur. Non semper tamen requiritur integritas materialis, quæ plerumque impossibilis foret; sed sufficit formalis, confessio scilicet omnium peccatorum, quæ quis confiteri potest. Remissio iudicialis ferri non potest nisi in peccata accusata; sed cetera, quæ memoriæ non occurrant vel quæ ex rationabili causa accusari nequeant, indirecte remittuntur. Nequit enim unum peccatum sine alio remitti; quia pec-

catum remittitur infusione gratiæ, cui quodvis peccatum contrariatur (1). *Distinctionem* quoque peccatorum secundum numerum et species in confessione requiri, docet Concilium Tridentinum, idque ex indole potestatis iudicialis ; ut scilicet iudices de peccatorum gravitate recte censere possint, et pœnam, quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere (2). Attamen aliquando h. e. in casu necessitatis, sive cum aliter fieri non potest, sufficit confessio unius peccati specifice declarati, quo directe remisso, cetera indirecte remittantur. Imo, in hoc casu sufficit etiam confessio generalis, uti est cum homo, quocumque modo quo potest, accusat se peccasse. Peccatum enim etiam generice spectatum est *vere peccatum ;* est præterea *peccatum accusatum ;* existente autem accusatione criminis, existit materia sufficiens sententiæ iudicialis.

Si vero *actus externus* spectetur, confessio debet esse 1° *sensibilis* seu aliquo signo exterius expressa, quale est imprimis vox seu oris locutio. Est 2° *auricularis,* qua voce intelligitur confessio tum *secreta,* tum sacerdoti *præsenti* facta. Quoad primum, iam ipse declaravit S. Leo ad episcopos campanos : *ex apostolica regula sufficit confessio secreta.* Quæ olim vigebat confessio publica, præcepta non erat nisi quoad certa publica peccata, et ut pars quædam satisfactionis pro peccatis solvendæ. Quoad secundum, id constat et intelligi debet ex decreto Clementis VIII, qui damnavit usum et doctrinam huius propositionis, scilicet : « licere per literas seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere. »

III. *De satisfactione.*

1043. *Definitio satisfactionis* sacramentalis, lata significatione, hæc dari potest : *opus peccatis tum eluendis tum cavendis a confessario impositum, a pœnitente præstandum.* Inde est duplex finis eius : vel *vindicativus* ad quem iustitia intendit, vel *medicinalis,* quem caritas quærit. Porro finis prior est magis proprius eius satisfactionis, quæ consideratur ut pars sacramenti Pœnitentiæ. Natura enim huius sacramenti est, ut fiat in modum iudicii ; ad iudicium autem, quatenus iudicium est, iustitia magis pertinet, quam caritas.

(1) S. Thomas, III, 86, 3.
(2) Sess. 14, cap. 5 et can. 7.

1044. *Finis proprius satisfactionis* a sacerdote imponendæ est itaque solutio pœnæ temporalis post remissam culpam remanentis. Quanta sit hæc pœna remanens, soli Deo notum est. Ea erit, absque dubio, aliquid determinati, licet varia pro varietate peccatorum, et pro æqualibus peccatis adhuc maior vel minor iuxta proportionem contritionis.

Verum quidem est, per absolutionem sacerdotis aliquid pœnæ etiam temporalis detrahi, cum sacerdotis potestas instituta sit ad remissionem culpæ et pœnæ non solum æternæ, sed etiam temporalis. Imo si contritio ad illum gradum perfectionis et intensitatis pervenerit, qui divinæ iustitiæ satis sit; omne pœnæ debitum illico exhauritur. Attamen ordinario adeo perfecta non est contritio, ut totam pœnam auferat; neque ipsa absolutio eam totam tollit; propterea Dominus voluit, ut qui se subiicit clavibus, satisfactionem etiam præstet, quæ, partim vi sua, partim virtute clavium, deleat quod reliquum est pœnæ temporalis.

1045. *Finis alius specialis imponendi satisfactiones* est etiam, ut in futurum a peccato pœnitentes revocentur et reddantur cautiores et vigilantiores in posterum. « Pœna enim, ut ait S. Thomas, a culpa futura præservat, quia non facile homo ad peccata redit ex quo pœnam expertus est: unde secundum philosophum pœnæ medicinæ sunt (1) »; atque insuper eædem peccatorum reliquiis medentur, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.

1046. *Efficacia satisfactionis*, quæ a potestate clavium imponitur, est *ex opere operato*, quippe potestas hæc ex propria intrinseca vi, a Christo derivata, effectus suos producit. Quocirca per satisfactionem a sacerdote impositam, præter eam remissionem pœnæ, quæ respondet ei ex opere operantis, obtinetur ex opere operato remissio pœnæ eidem respondentis per applicationem satisfactionum Christi, quæ virtute clavium fit: quare maior est remissio pœnæ obtenta per satisfactiones a sacerdote impositas, quam si essent libere assumptæ. Non autem est in potestate sacerdotis efficere, ut quævis satisfactio sufficiat pro quavis expianda pœna ex lege Dei debita. Per impletionem satisfactionis a sacerdote impositæ tantum tollitur pœnæ debitæ, quantum Deus novit ei satisfactioni respondere.

(1) S. Thomas, *Supp.* q. 15, 1.

CAPUT III.

DE VERITATE ET NATURA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

1047. Ex iis, quæ breviter disputavimus tum de potestate remittendi peccata, tum de pœnitentis actibus requisitis, ut quis per eam potestatem a suis peccatis absolvatur, deducitur veluti corollarium veritas sacramenti Pœnitentiæ. Id insequenti thesi statuemus, additis deinceps, quæ ad declaranda huius sacramenti constitutiva pertinent.

THESIS XX.

Ritus, qui contritione, confessione et satisfactione peccatoris simulque sacerdotis absolutione continetur, verum est novæ Legis sacramentum a Baptismo distinctum, quod dicitur sacramentum Pœnitentiæ.

1048. Declaratio. — Thesis, uti monuimus, sponte colligitur ex duobus, quæ superius demonstravimus: scilicet Christum instituisse in Ecclesia potestatem absolvendi peccata baptizatorum; hos vero ea absolutione frui non posse, nisi sacerdoti sese ostendant contritos, confessos et ad satisfaciendum paratos. Proposita veritas credi debet *de fide* ex Tridentini Sess. XIV, can. 1: *Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo D. N. institutum; a. s.*

1049. Demonstratio fit 1° hac evidentissima argumentatione: Ad verum novæ Legis sacramentum, ipsis Lutheranis fatentibus, tres conditiones requiruntur, nimirum ritus externus, qui sit efficax gratiæ, et Christum habeat auctorem. Atqui in proposito ritu hæc omnia dantur. Ergo propositus ille ritus verum est sacramentum. *Minor* probatur per partes. Nam primo *symbolum externum* inde apparet, quod sacerdotes peccata potestate iudiciali absolvere non possent, nisi fideles illa confiterentur et quidem cum signis doloris ut sacerdotes diiudicare possint utrum absolutionem mereantur vel non; haud enim remittuntur peccata, quæ per pœnitentiam non retractantur: neque pariter fideles scire possunt sibi peccata esse remissa, nisi eos sacerdos sensibili voce absolveret. Deinde sacerdotibus revera competere facultatem absolvendi a peccatis,

eorumque absolutionem *operari ex opere operato gratiam remissivam peccatorum* in pœnitente dĭsposito et confitente, id vidimus abunde demonstrari presertim ex illis Christi verbis: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus sane verbis etiam intelligimus huius facultatis et ritus *auctorem esse Christum,* qui et expressius mandatum suum declaravit, dum tradens Apostolis illam potestatem ait: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.... Accipite Spiritum Sanctum* (1).

Quod vero hoc sacramentum sit aliud distinctum a Baptismo, etiam ex eo apparet, quod potestas illa absolvendi tradita Ecclesiæ est potestas iudicialis proindeque exercenda tantum in subditos, qui esse nequeunt nisi iam baptizati.

Accedit 2° doctrina Patrum. De pœnitentia, qualis in Ecclesia agitur, disserentes, passim ea tria in ipsa describunt, quæ ad sacramenti rationem sufficiunt; ritum scilicet visibilem, efficaciam in ordine salutis, institutionem divinam. Præterea Pœnitentiam multipliciter conferunt cum Baptismo, eamque vocant *gratiam secundam, alteram tabulam salutis, baptismum laboriosum;* ad utriusque administrationem exquirunt eandem in ministro divinam auctoritatem, differentiam autem in eo ponunt, quod Baptismus institutus sit ad delenda peccata infidelium, Pœnitentia vero ad reconciliandos baptizatos; ceterum non minorem virtutem atque efficaciam absolutioni quam ipsi Baptismo vindicant, itemque docent, Pœnitentiam ita peccatoribus fidelibus esse necessariam, ut catechumenis necessarius est Baptismus. In re evidentissima nos a citationibus abstinemus, quæ tamen videri possunt apud Bellarminum (2). Cum ergo in doctrina Patrum tanta sit inter Baptismum et Pœnitentiam affinitas, inferendum est quod, si ritus ablutionis est sacramentum, item reconciliationis ritus sacramentum sit.

Consentiunt 3° etiam Græci schismatici, qui in responsione ad augustanam confessionem clare profitentur, Pœnitentiæ sacramentum inter septem vera sacramenta ab Ecclesia græca numerari.

(1) Jo. xx, v. 21, 22.

(2) Bellarminus, *De Pœnit.* lib. I, c. 10 et seqq. Ex citatis audiatur saltem S. Ambrosius ita Novatianos urgens: *Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo utique remissio peccatorum omnium est: quid interest utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vindicent? Unum in utroque Mysterium est.* Et quia Novatiani dicebant, in Baptismo Deum esse qui gratia sua operatur, Ambrosius addit: *Quid in Pœnitentia? nonne nomen Dei operatur?* Ergo, S. Doctore teste, eadem est vis remittendi peccata in Pœnitentia atque in Baptismate; idem est Dei nomen, quod in utroque operatur. *De Pœnit.* l. I, c. 8; cf. c. 2.

SCHOLION.

De constitutivis sacramenti Pœnitentiæ.

1050. *Materia.* Certum est apud omnes, contritionem, confessionem et satisfactionem « ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiri, et hac ratione Pœnitentiæ partes dici, » ut docet concilium tridentinum, Sess. XIV, cap. 3, et ut patet ex demonstratis th. XVIII. Verum quæstio est ulterius, utrum hi actus sint *materia ex qua* sacramentum hoc constituitur, sicut ablutio aquæ est materia Baptismi. Secundum scotistas materia esset ipsa absolutio quatenus ritus est sensibilis, quæ vero formæ rationem haberet quatenus significat sacramenti effectum. At communius et verius tenent Theologi, tres illos actus pœnitentis esse materiam huius sacramenti, et prouti ait Tridentinum, *quasi* materiam (1). Ubi catechismus romanus advertit, non ideo hos actus *quasi materiam* a s. synodo appellari, quia *veræ* materiæ rationem non habeant; sed quia eius generis materia non sunt, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo et chrisma in Confirmatione (2). Explicatio hæc congruit doctrinæ s. Thomæ, qui ait: « In sacramento Pœnitentiæ, sicut dictum est, sunt actus humani pro materia, qui proveniunt ex inspiratione interna; unde materia non adhibetur a ministro, sed a Deo interius operante; sed complementum sacramenti exhibet minister, dum pœnitentem absolvit (3). »

Scite vero advertit doctissimus Franzelin rationem rei contineri in Christi institutione « Dum enim Christus (Io. XX, 23) instituit potestatem in ministris non simpliciter absolvendi peccata, sed *absolvendi et retinendi per modum iudicii,* eo ipso instituit tanquam partem huius sacramentalis iudicii submissionem pœnitentem culparum quantum a peccatore moraliter fieri potest, et satisfactionem sub potestate iudicum absolventium ac retinentium, adeo ut sine hac pœnitentis submissione non solum absolutio effectum non consequatur, sed neque sit ad modum iudicii a Christo instituti, atque ideo neque sacramentum. Iamvero ex duplici hoc constitutivo iudicii sacramentalis, pœnitens submissio culparum sub potestate iudicis supponitur ut res determinanda et perficienda, verba absolutionis determinant et perficiunt signum efficax sacramentale; illa ergo se habet

(1) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 3, can. 4. Cfr. Conc. Florent.
(2) Catech. r. *De sacr. pœnit.* n. 17.
(3) S. Thomas, III, 84, 1 ad 1.

ad modum materiæ, hæc sunt forma sacramenti. Porro ubi sunt plures partes materiæ, non necessario omnes sunt essentiales ad *esse* rei simpliciter, sed possunt aliquæ esse solum *integrantes*. Ita in præsenti pars materialis integrans sacramenti est satisfactio, quæ tamen utpote pars sacramentalis in sua morali unione cum forma, cum actu scilicet iudiciali retentionis et absolutionis, vim etiam habet sacramentalem ad satisfaciendum ex opere operato (1). »

Exinde apparet tres actus pœnitentis : contritionem, confessionem, satisfactionem, prouti in iis continetur pœnitentis subiectio iudici, esse ex institutione divina materiam sacramenti. Cum vero oporteat materiam sacramenti esse sensibilem, hinc contritio, quæ per se non est sensibilis, fit materia sacramenti, quatenus sensibilis præsertim per confessionem fit. Satisfactio autem, quoniam fit absoluto iam sacramento, nequit, in sua executione, ad essentiam sacramenti spectare ; spectat tamen ad eius integritatem.

1051. *Forma.* Ex dictis iam apparet, formam huius sacramenti in illis ministri verbis positam esse : *Ego te absolvo.* Ita concilium Florentinum in decreto ad Armenos et Tridentinum Sess. XIV, cap. 3. Ratio est, ait S. Thomas, quia forma sacramenti novæ Legis significat id, quod efficit : hoc autem sacramentum efficit remotionem peccati, quæ significatur a sacerdote cum dicit : *Ego te absolvo ;* nam peccata vincula quædam sunt (2). Hinc sensus est, quem verba ipsa naturaliter fundunt : *Ego te solvo a vinculis peccatorum ;* vel : *Ego tibi remitto offensam divinam.* Qui sensus verissimus est etiam, quando pœnitens absolvitur a peccato iam remisso : nam vere quis potest rursus et rursus remittere debitum aliquod vel offensam sibi illatam.

(1) Franzelin, *De sacr. in genere* th. IV in fine. Aliis verbis argumentum huc redit : Christus instituit sacramentum Pœnitentiæ ad modum iudicii ; ergo quæ sunt partes essentiales iudicii, eæ sunt etiam, ex voluntate Christi, partes essentiales sacramenti. Atqui iudicii pars essentialis est ex parte iudicis *sententia*, et ex parte rei est eius *submissio ;* et quidem ita, ut submissio sit pars inferior et passiva seu veluti *materia* iudicii, sententia autem sit pars superior et activa seu veluti iudicii *forma.* Ergo pariter in iudicio sacramentali duæ sunt partes essentiales, una potior et activa seu *formalis,* quæ est sententia absolutionis ; altera inferior et passiva seu *materialis,* quæ est submissio peccatoris. Cum autem ex natura iudicii huius submissio sit voluntaria, hinc dici debet *submissio pœnitens* seu quæ fit per dolorosam confessionem cum proposito satisfaciendi. Unde apparet in hac submissione tria contineri : contritionem, confessionem et satisfactionem. Porro essentialis est confessio dolorosa cum proposito satisfaciendi. Satisfactio autem ipsa est pars solum integrans sacramenti, attamen, ex hac ipsa unione cum sacramento, vim habens sacramentalem ex opere operato.

(2) S. Thomas, III, 84, 3.

Advertit autem S. Thomas convenienter huic formæ apponi aliquid, quod pertineat ad primam auctoritatem Dei scilicet *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* quia sacerdos sicut minister absolvit: attamen talem appositionem non esse necessariam ad validitatem, quia non est determinata a verbis Christi, sicut in Baptismo (1).

Quæstio hic occurrit, per se, difficilis: utrum spectata tantum rei essentia et præcisione facta a præcepto positivo Ecclesiæ, forma alia deprecativa, ut e. g. *Deus te absolvat,* sit sufficiens non secus ac indicativa. Non pauci Scholastici cum S. Thoma censent essentialem formam indicativam. Sed revocata quæstione ad interpretationem, quam practice Ecclesia dedit verborum Christi: *quorum remiseritis, quæcumque solveritis,* solutio non videtur difficilis; quia facto constat, ex libris pœnitentialibus, Ecclesiam græcam usurpasse et nunc quoque communiter usurpare formam deprecativam; et etiam apud Ecclesiam latinam formam deprecativam non raro occurrere et identidem vel ipsam solam in libris pœnitentialibus antiquioribus, qui spectant ad tempora ante seculum duodecimum (2). Quod vero pertinet ad intrinsecam formæ significationem et vim, quisque videt, præter deprecationem simplicem, dari posse etiam deprecationem *potestativam,* qua utens sacerdos satis indicaret exercitium propriæ potestatis et effectum eius, dum simul ipsa deprecatione expressius significaret, hanc potestatem et effectum esse Dei beneficium.

1052. *Minister.* Ex superius dictis satis constat, validos ministros huius sacramenti esse tantum sacerdotes non modo rite ordinatos, sed præterea iurisdictionem in pœnitentem obtinentes. In ordinatione sacerdos accipit potestatem clavium veram quidem, sed tantum radicalem, incompletam, remotam: accedente iurisdictione, habet eam completam, paratam, et expeditam. Iurisdictionem dandi potestas competit Summo Pontifici pro tota Ecclesia, episcopo pro sua diœcesi: qui eam proinde, qua iudicaverint mensura seu restrictione, dare possunt. Hæc omnia declaravit et sancivit Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 7, can. 11.

Præter officium iudicis ministro Pœnitentiæ competit etiam illud doctoris, medici et patris: ad id variis dotibus pollere debet, maxime scientia, prudentia et bonitate.

(1) S. Th. l. c. ad 3.

(2) Morini, *Comment. hist. de disciplina in administr. pœnit.* l. VIII; Edmundus Martene, *De antiquis Eccl. ritibus,* l. I, p. 2, c. 6, Ordine 20.

APPENDIX.

DE INDULGENTIIS.

1053. *Notio.* Ad facilius exolvendum temporalis pœnæ debitum, quod, dimissa iam culpa, ordinario remanet (1), inserviunt præterea *Indulgentiæ.* Earum notio hisce continetur: 1° Dominus Salvator de suis meritis, quæ infiniti sunt valoris et acceptata iam sunt a divina iustitia ad copiosam generis humani redemptionem, additis quoque satisfactionibus et meritis superabundantibus B. V. Mariæ et Sanctorum omnium, cœlestem quemdam thesaurum constituit, quem Ecclesiæ commisit omni tempore dispensandum pro fidelium salute (2). 2° De hoc thesauro s. Ecclesia i. e. Romanus Pontifex primo gradu, altero vero et pro mensura, etiam Episcopi satisfactiones Christi et Sanctorum hauriunt et fidelibus applicant: qua applicatione pœnas temporales, vel omnes vel ex parte, eisdem fidelibus in foro divino relaxant vel remittunt.

Quare indulgentia definiri potest: *Remissio pœnæ temporalis adhuc post dimissam culpam peccatis debitæ, coram Deo valida, a superiore legitimo facta per applicationem thesauri Ecclesiæ.*

Duplex est autem modus huius remissionis: vel scilicet ex potestate clavium iudiciaria per *modum, indirectæ saltem, absolutionis,* si indulgentiæ pro vivis conceduntur; vel ex clavium potestate solum dispensatoria illius thesauri, per *modum suffragii seu meri subsidii,* si pro defunctis. Nam iudiciariam absolutionem a pœnis Ecclesia exercere potest tantum in suos subditos, qui sunt fideles adhuc viventes, non in defunctos purgatorio detentos. Pro his Ecclesia indulgentias applicat indirecte, quatenus Deo offert compensationem ex illis satisfactionibus superabundantibus, ut earum intuitu animabus purgantibus pœnas adhuc luendas non ipsa, sed Deus relaxet. An indulgentia concessa pro defuncto infallibiliter habeat in illo effectum, affirmat Suarez contra

(1) Pœna adhuc solvenda *ordinario* remanet; quia difficile admodum est elicere actum contritionis, quæ sit adeo perfecta, non solum motivo, sed etiam *intensitate,* sive ex parte caritatis sive ex parte doloris sensibilis per voluntatem excitati, ut sufficiat per se ad omnem etiam pœnam delendam. S. Thomas IV, Distinct. 17, q. 2, a 5.

(2) Clemens VI, Extravag. *Unigenitus de Pœnit. et Remiss.*

multos, qui putant id pendere a libera Dei acceptatione (1). Conciliantur, si dicas Ecclesiæ oblationem semper Deo fore acceptam, nisi obstet aliqua gravissima causa divino Iudici nota.

1054. *De fide tenenda* circa indulgentias duo sunt, ex concilio Tridentino, Sess. XXV, scilicet: Ecclesiam habere potestatem concedendi indulgentias, harumque usum populo christiano salutarem esse.

Et in primis de fide quidem est, Ecclesiam *posse* indulgentias concedere, at de fide non est *modus*, quo id præstat, i. e. dispensando et applicando satisfactiones thesauro contentas: spectat tamen hic modus ad certam catholicam doctrinam, eoque ipsum dogma explicandum est. Veritas autem probatur ex amplissima clavium potestate, quam Christus Petro contulit ad relaxanda quælibet vincula, quæ ingressum in cœlum impediant (2); inter quæ vincula, merito recensetur etiam pœna temporalis, post dimissam culpam, exsolvenda. Sicut vero culpa pœnaque æterna remitti nequeunt ab Ecclesia absque applicatione satisfactionum Christi; ita nec poterit remanens pœna temporalis relaxari absque nova applicatione illarum satisfactionum, quæ veluti substituantur satisfactionibus, quæ ipse peccator præstare deberet. Hæc potestas confirmatur ex praxi Ecclesiæ, prouti a primis iam sæculis manifesta est præsertim in hisce duobus: in iure episcopis semper adserto relaxandi pœnas canonicas ita, ut relaxatio haberetur valida *coram Deo;* et in usu relaxandi lapsis partem pœnitentiæ et satisfactionis Deo debitæ propter *intercessionem* martyrum.

Alterum vero dogma: indulgentias esse *salutares* populo christiano, patet ex earum effectu, qui non est solum relaxatio pœnitentiæ canonicæ coram Ecclesia debitæ, sicuti volebant pistorienses, sed remissio pœnæ temporalis in foro divino debitæ; tum patet ex pluribus aliis rationibus, inter quas est illa, quod innumera opera bona omitterentur, nisi fideles indulgentiarum spe ad illa allicerentur.

1055. *Divisio* indulgentiarum est in *partiales* i. e. aliquorum dierum vel annorum et in *plenarias* seu ab omni pœna solventes (3). Indulgentiis partialibus *septem annorum, quadraginta dierum,* etc. tanta pars remittitur temporalis pœnæ adhuc solvendæ in hac vita vel in altera, quanta remitteretur ei, qui pœnitentiam canonicam septem annorum,

(1) Suarez. Disp. 53, s. 3, n. 3.

(2) Matth. XVI, 19.

(3) Indulgentiæ plenariæ dicuntur *in forma iubilæi,* si præterea confertur confessariis potestas iurisdictionis ad absolvendum a reservatis, ad vota simplicia commutanda, etc.

quadraginta dierum, etc. ageret. Indulgentiis plenariis pœna temporalis, ex dimissis culpis remanens, tota remittitur.

1056. *Conditiones* ad lucrandas indulgentias requiruntur tres. Si indulgentiam *nobis* lucrari velimus, prima necessaria conditio est *status gratiæ,* in quo inveniri debemus tum saltem, cum postremum ex operibus iniunctis perficimus. Ratio est, quia indulgere alicui pœnam est actus benevolentiæ, qui adhibetur tantum cum amicis. Exinde indulgentiis plenariis ordinario præscribitur *confessio* et in partialibus ponitur clausula, *corde saltem contrito.* Imo advertas in indulgentiis plenariis requiri præterea detestationem, saltem attritionis, omnium omnino peccatorum etiam venialium, quia pœna a Deo non relaxatur nisi illius peccati, quod iam remissum sit quoad culpam. Culpa autem non remittitur quousque remanet affectus in peccatum (1). Altera conditio est *intentio* saltem generalis sanctas indulgentias lucrandi, cui subnectas intentionem quoque eas applicandi defunctis, si cæ applicari possint ac velint (2). Quæ porro applicatio vel uni vel pluribus animabus fieri potest, aut generatim omnibus in purgatorio detentis. Tertia conditio est *adimplementum operum,* quæ iniunguntur, idque secundum omnia adiuncta temporis, modi, finis, aliaque præscripta in ipsa cuiuslibet indulgentiæ concessione.

(1) Suarez censet statum gratiæ solum requiri ad tollendum obicem indulgentiæ; proindeque, per se, non in eo, qui facit opus, sed in eo, qui recepturus est indulgentiæ effectum. (Disp. 53, s. 4, n. 6).

(2) Sunt theologi asserentes, intentionem lucrandi indulgentias non requiri, ut eas quis sibi lucretur, quia id Pontifices non exigunt. Ita th. Wircebur. l. c.

TRACTATUS

DE EXTREMA UNCTIONE.

1057. Inter sacramenta, quæ individuum spectant, postremum est *Extrema Unctio,* quæ a maioribus etiam *unctio infirmorum* et *sacramentum exeuntium* dicta est. Ea sacramento Pœnitentiæ apte subiungitur, cuius veluti complementum aut consummatio est. Definiri potest: *Sacramentum a Christo Domino institutum, quo sacerdos oleo benedicto, sub præscripta orationis forma, baptizatos graviter ægrotantes inungit, ad eorundem mentis et corporis sanationem.* Hæc definitio omnes causas huius sacramenti complectitur, nimirum: materiam remotam, quæ est oleum benedictum; materiam proximam, quæ est unctio; formam, quæ est oratio sacerdotis; causam auctoritatis, quæ est Deus ad quem fit oratio, excellentiæ, quæ est Christus institutor: ministerialem, quæ est sacerdos: finem, qui est sanatio mentis et corporis; subiectum, quod est baptizatus graviter ægrotans.

Solliciti erimus ut veritatem huius sacramenti vindicemus: quo dogmate firmato, quædam speciatim attingemus de eiusdem causis et effectibus. Hinc duo capita:

I. De veritate sacramenti Extremæ Unctionis,

II. De eiusdem causis et effectibus.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

1058. Omnium primi Protestantes Extremam unctionem e sacramentorum albo expunxerunt, eam reputantes ritum tantum a Patribus receptum aut figmentum humanum. Contra Concilium Tridentinum definivit veritatem, quæ in sequenti thesi vindicatur.

THESIS XXI.

Extrema Unctio est vere et proprie sacramentum a Christo D. N. institutum, et a B. Iacobo promulgatum.

1059. Declaratio. — Thesis effertur ipsis verbis canonis tridentini, qui ita sonat: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo D. N. institutum, et a B. Iacobo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; a. s.* Hinc *de fide* est non modo veritas sacramenti, sed etiam eius institutio a Christo Domino facta, saltem mediate. Fuerunt equidem Theologi qui videbantur docere, hoc sacramentum institutum fuisse non a Christo sed ab Iacobo Apostolo. Verum s. synodus definivit, Christum vere esse institutorem huius sacramenti, Iacobum autem nonnisi promulgatorem.

1060. Demonstratio. - 1° Argumentum ex B. Iacobo, quod est potissimum, continetur in eius ep. c. v, 14, 15, ubi legimus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus in verbis non modo ea tria inveniuntur, quæ ad verum sacramentum essentialiter requiruntur; verum etiam ea speciatim omnia designantur, quæ ad hoc sacramentum conficiendum pertinent. Subiectum indicatur esse *infirmus* et quidem ex græca voce, ἀσθενεῖ, graviter decumbens, isque *ex nobis* baptizatus; minister esse ex presbyteris non quidem ætate sed munere, quo fungi debet *in nomine Domini* seu auctoritate Christi: forma *oratio* supra infirmum, oratio quidem *fidei* quia obiective pertinens ad fidem christianam: materia proxima *unctio oleo* facta; effectus denique immediatus illius unctionis dicitur esse *salus* infirmi, et *alleviatio* certo secundum animam imprimis, cui nova alacritas additur, et *remissio peccatorum.* Ex quo effectu satis arguitur divina institutio; etenim nonnisi Deus potestatem habet connectendi infallibiliter gratiam alicui sensibili signo. Porro huic ritui, cuius meminit Iacobus, nihil deest eorum, quæ ad sacramentum spectant.

Neque quis dicat, hunc ritum tempore apostolico spectasse ad charismata gratis data; nam accedit 2° traditio subsequens Ecclesiæ sive theoretica sive practica evincens, eum esse perpetuæ institutionis seu

perenniter in Ecclesia usurpandum. Omissis porro magno numero Patribus sive antecedentibus sive subsequentibus (1), *doctrina* plane constat ex Innocentio I, qui eadem verba Iacobi repetit et postquam illius olei usum descripsisset, subdit: *Pœnitentibus* (i. e. nondum reconciliatis) *istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* (2). Deinde *praxis* administrandi hunc ritum infirmis, eaque ex præcepto S. Iacobi, sancita est in pluribus conciliis, prædescribitur in libris ritualibus, uti iam in sacramentario S. Gregorii, et confirmatur pluribus factis historicis uti, sec. VI, S. Tresani presbyteri, qui morti proximus *oleum sanctæ reconciliationis excepit et cum cordis intima contritione et humilitate suscepit* (3).

Accedit 3° *præscriptionis* argumentum, quod alias evolvimus, illud scilicet quod conficitur ex *consensu* universæ Ecclesiæ latinæ practico et theoretico iam a sec. XII, imo a sec. IX et V; cum in idem consentiant schismatici et sectæ Orientis: qui porro consensus iam per se ostendit huius doctrinæ apostolicitatem.

Neque 4° prætermittenda est *congruentiæ ratio,* quam ipsa tridentina synodus suggerit, Sess. XIV, in proœmio. Clementissimus Redemptor, qui inde ab ingressu vitæ nostræ per totum eius decursum diversa Sacramenta pro diversis necessitatibus præparavit, putandus non est nobis in ipso vitæ exitu constitutis, ubi tanto munimine indigemus, defuisse: si præcipua vitæ nostræ stadia sacramentis munivit, vix probabile est quod supremum ipsius vitæ nostræ agonem, a quo demum omnia pendent, sine speciali salutis præsidio reliquerit.

CAPUT II.

DE EXTREMÆ UNCTIONIS CAUSIS ET EFFECTIBUS.

1061. Ut plenior sacramenti huius notitia habeatur, quærimus ex quibus causis illud conficiatur et quid in subiecto efficiat.

(1) Patrum testimonia refert Bellarminus c. IV et fusius Sanbovius in cursu completo Migne, tom. 24.

(2) *Epist. ad Decentium* c. VIII apud Mansi, t. 3, p. 1031, B.

(3) Ita apud Bolland. 7 Feb. cfr. alia exempla passim apud Bolland. et Surium.

I.

Ex quibus conficitur hoc sacramentum.

Materia imprimis *remota* est *oleum*, prouti constat ex ipso Iacobo dicente: *ungentes eum oleo*, et oleum quidem *olivarum* prouti declaravit concilium Florentinum. Ratio congruentiæ est, quia oleum proprietate sua sanat, lenit, robur membris addit, et ideo aptum est ad significandos effectus, quos sacramentum hoc producit in anima et corpore ægrotantis. Necessario præterea requiritur et probabiliter etiam ad validitatem, uti censet S. Thomas, ut oleum sit benedictum (1). Si congrua ratio quæratur, hanc affert S. Thomas. Aquam iam totam ipse benedixit Christus cum est baptizatus, itemque totum panem et vinum benedixit ipse in ultima cœna: oleum et chrisma nunquam benedixit, ideoque statuit, ut suo nomine benedicerentur ab episcopo.

Cum hoc sacramentum, sicuti et alia, uno excepto eucharistico, consistat in usu; hinc eius materia *proxima* est unctio per oleum, quæ non ex necessitate sed regulariter fit in figura crucis. Unctiones faciendas conc. Florentinum enumerat septem, nimirum in quinque sensibus, in pedibus et in renibus. Unctiones quinque sensuum videntur necessariæ saltem necessitate præcepti. Non improbabilis est sententia, ad validitatem sacramenti sufficere unctionem in una corporis parte sub unica forma universali omnes sensus complectente; quæ sententia adhiberi potest nonnisi in casu necessitatis.

1062. *Forma* est precatio, quam sacerdos inter ungendum pronuntiat; nimirum apud Latinos: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum.... auditum... odoratum... gustum et locutionem... tactum... gressum... lumborum delectationem deliquisti.* Forma ita deprecativa respondet quidem verbis Iacobi dicentis: *et orent super eum,* sed non inde videtur sufficiens oriri ratio negandi validitatem formæ indicativæ, quæ sin minus grammatice, moraliter tamen et virtualiter preci æquivalere potest.

1063. *Ministri* idonei Extremæ unctionis soli sunt sacerdotes, uti apparet ex ipso Iacobo iubente induci *presbyteros Ecclesiæ,* qui ministerium peragant *in nomine Domini* seu auctoritate Christi. Quæ verba de solis sacerdotibus ab episcopo ordinatis, non de viris ætate senio-

(1) In Ecclesia græca oleum infirmorum benedicitur a Presbyteris, sed apud Latinos nonnisi ab Episcopo.

ribus, perpetua traditio Ecclesiæ semper intellexit: idque *de fide* definivit Tridentinum Sess. XIV, can. 4. Quamvis sacramentum istud a presbyteris pluribus aut episcopis administrari possit, uti adhuc solent Græci; ad eius validitatem tamen vel unicus eorum sufficit, unde Concilia Florentinum et Tridentinum sacerdotem, numero singulari, ministrum dicunt huius sacramenti.

1064. *Subiectum* huius sacramenti est tantum christianus adultus periculose ægrotans. Id constat ex Iacobo et declaratur a conc. Tridentino statuente: *esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur* (1). Non excluduntur ii, qui præ senio deficiunt, in diem morituri, licet non ægroti; quia infirmitas ipsa senectus. E contra excluduntur pueri rationis usu carentes, quia incapaces effectuum præcipuorum huius sacramenti; item excluduntur qui licet in periculo mortis, uti ad bellum proficiscentes vel capite damnati, attamen infirmi non sunt. In eadem infirmitate, vel præcisius, in eodem mortis periculo, hoc sacramentum iterari non debet (2).

II.

Quos effectus Extrema unctio producit.

1065. Id expressius docet Concilium Tridentinum (sess. 14, cap. 2): « Res et effectus huius Sacramenti illis verbis Iacobi explicatur: *Et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. »

1066. Exinde apparet *rem* huius Sacramenti, sicuti et in aliis Sacramentis, esse gratiam sanctificantem seu eius augmentum, attamen, pro fine proprio huius sacramenti, cum relatione et cum actualibus auxiliis ad tres speciales effectus, qui sunt: *primo* et *per se* confortatio animi

(1) Sess. XIV, cap. 3.
(2) Conc. IV, Mediolan. tit. VI; Rituale Rom. in instruct. de hoc sacram.

in infirmitate laborantis; *per se* at *secundario* remissio peccatorum; *per accidens* etiam corporis sublevatio et *interdum* ipsa sanatio.

1067. *Primarium* effectum ita dilucide S. Thomas declarat: « Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. Et quia sacramentum efficit, quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi eius principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cuiusdam medicationis, sicut baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est ad pellendam infirmitatem. Unde principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandam infirmitatem peccati. » Hæc autem infirmitas non est ipsum peccatum, sive originale sive actuale, contra quod ordinatur sive baptismus sive pœnitentia; sed est defectus vigoris ad actus vitæ gratiæ vel gloriæ « et hic defectus nihil aliud est quam quædam debilitas et ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali: et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum » (1).

Porro huiusmodi effectus indicatur illis verbis Apostoli: *Et alleviabit eum Dominus*, græce ἐγερεῖ, et a concilio Tridentino explicatur tribus consistere, quæ sunt: *fiducia* divinæ misericordiæ, et inde sequens tum quædam *hilaritas*, qua infirmus levetur ad tolleranda morbi incommoda et paratus fiat depositum suum Domino reddere, tum animi *vigor* ad dæmonis tentationibus facilius resistendum. Ex huiusmodi effectu merito Extrema Unctio sacramentum *spei* vocatur, sicut Baptismus, Eucharistia, Confessio respective vocantur sacramenta *fidei*, *amoris*, *pœnitentiæ*.

1068. Effectus alius *secundarius* quidem, sed quem *per se* sacramentum hoc producit, est *remissio peccatorum* sive lethalium, si quæ adhuc in infirmo manerent, sive venialium (2). Ait enim Apostolus: *et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quæ remissio intelligi debet imprimis quoad *culpam*, verum etiam quoad *pœnas temporales* residuas,

(1) *Suppl.* q. 30, a. 1.

(2) S. Carolus Borromæus hanc in rem sic loquitur: " Prima utilitas et effectus (ratione *utilitatis* primus) huius Sacramenti est quod *peccati reliquias* tollit tanquam complementum Sacramenti Pœnitentiæ, quæ *reliquiæ* peccata esse intelliguntur, sive *mortalia*, sive *venialia*, quæ post alia sacramenta remanent: potest enim fieri ut, ignorante eo qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat; in quo delendo, ita hoc sacramento iuvatur, ut fieri possit eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioqui fuisset damnandus. „ *Acta Ecc. mediol.* Vol. I, p. 602, *Instruct. de hoc Sacr.*

et semper nisi obstet mala infirmi dispositio. *Pœnæ*, etsi ex opere operato, tamen non *totaliter* sed iuxta dispositionem et devotionem recipientis remittuntur (1). *Dispositio* autem, per se necessaria, esset status gratiæ; per accidens autem poterit sufficere sola attritio, dummodo intercedat excusatio sive ex ignorantia, sive ex deficiente actuali usu rationis, sive ex impossibilitate confitendi.

1069. Tertius effectus, isque *accidentalis*, est quod vi sua Extrema Unctio corpus ipsum alleviet, eique *interdum* etiam sanitatem restituat, si id expediat et Deo placuerit. Dixit enim S. Iacobus quod *oratio fidei salvabit* (syriace: *sanitati restituet*) *infirmum* sicque explicat Traditio et docent Tridentini Patres. Ex vi propria huius sacramenti, virtus quædam, non quidem miraculosa sed supernaturalis, in corpus infirmi illabitur, quæ, operatione ordinaria et suavi ad modum medicinæ et vim causarum naturalium adiuvando, illud reficiat et sanet. Hinc impedimentum esset huic sanationi nimius morbi progressus, quo sanitas nisi per manifestum miraculum et contra naturam recuperari non possit.

1070. His omnibus effectibus attentis, quisque videt utilitatem huius sacramenti esse maximam (2). Attamen illud non est ad salutem necessarium absolute, sed tantum ad melius esse, sin minus ex præcepto, certe ex caritate erga seipsum. Verum synodus Tridentina admonet, Unctionem Extremam non posse a fidelibus sine peccato contemni (3).

(1) Dici solet Extremam Unctionem fuisse primo et per se institutam ad tollendas *peccatorum reliquias*. Verum hæc expressio dupliciter accipi potest vel pro *debilitate* ex peccatis residua, vel pro ipsis *peccatorum culpis* et *pœnis* post alia sacramenta remanentibus. Peccatorum reliquias tollere prima significatione ad primarium, alterâ ad secundarium effectum huius sacramenti pertinet. Ex D. Thoma, quia gratia huius Sacramenti dat robur, " ideo *ex consequenti*, si invenit peccatum aliquod vel mortale vel veniale, quoad culpam tollit ipsum... Et ideo etiam Iacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur. „ *Supp.* ant. cit.

(2) Tum *per se* in animam, tum *per accidens* in corpus duplici utilitate Extrema Unctio operatur, primo quidem *sublevando*, verum etiam *sanando*.

(3) Sess. XIV, cap. 3 et can. 3.

TRACTATUS

DE ORDINE.

1071. Sequuntur duo postrema sacramenta, quæ bonum publicum magis spectant quam privatum: *Ordo* et *Matrimonium,* quorum alterum ad spiritualem, alterum ad carnalem fidelium multiplicationem est institutum. De Ordine, utpote nobiliore, primum est agendum.

Sicut Eucharistia dignissimum sacramentum est *in se;* ita Ordo dignissimum est *in effectu:* evehit enim hominem ad dignitatem ipsius Christi in se ipso referendam, et constituit admirabilem illam hierarchiam, qua totum corpus Ecclesiæ sustentatur et regitur.

1072. Ordo, si propriam eius vim spectas, est dispositio superiorum et inferiorum rerum, quæ inter se ita aptatæ sunt, ut una ad alteram referatur. Cum itaque in sacro ministerio multi sint gradus et variæ functiones, omnia vero certa ratione distributa sint et collocata; recte et commode *Ordinis* nomen sumitur ad significandum sive generatim sacrum ministerium aut statum ministrorum, sive speciatim diversos gradus ministerii ipsius. Rectius vero dicitur *Ordinatio* ritus ille seu illa sacra actio, qua varii gradus ministerii ecclesiastici conferuntur.

Porro gradus seu ordines in ecclesiastico ministerio numerantur plures; verum nonnisi potioribus ratio sacramenti certo convenit. Qua sacramentum, Ordo vel Ordinatio definitur: *Sacramentum a Christo Domino institutum, quo spiritualis potestas confertur et gratia ad ecclesiastica munia rite obeunda.*

1073. Tractationi de hoc sacramento præmittenda esset demonstratio discriminis, quod ex iure divino interest clericos inter et laicos in Ecclesia; sed quoniam de hac distinctione iam egimus in tractatu de Ecclesia, hic satis erit veritatem ipsius sacramenti propugnare, ut deinde inquiramus de sacræ Ordinationis materia, forma, subiecto et ministro. Hinc duo capita erunt:

I. De veritate huius sacramenti,

II. De eiusdem causis.

CAPUT I.

DE SACRAMENTI ORDINIS VERITATE.

1074. Primi omnium Protestantes, præeunte Luthero, Ordinationem e numero sacramentorum expunxerunt.

Porro duplex quæstio institui potest: prior generalis, utrum Ordo sit sacramentum; posterior specialis, ex pluribus qui numerantur ordinibus in clero, quinam certo sacramenta sint. Ad primam solvendam ponimus insequentem thesim; ad alteram satis erit aliqua scholia subiungere.

THESIS XXII.

Ritus, qui Ordo vel Ordinatio appellatur et quo sacri ministri, saltem potiores, constituuntur, est verum et proprium N. L. sacramentum.

1075. Declaratio. — Thesis non agit de aliquo speciali ritu seu ordinatione, sed generatim de Ordinatione, qua sacri ministri saltem potiores inaugurantur, sive ii sint episcopi aut presbyteri aut etiam diaconi: et asserit in genere, adesse in Ecclesia sacramentum, quod dicitur Ordo et quo, Christo auctore, sacri ministri saltem potiores constituuntur et a laicis secernuntur. Id est *de fide* etiam ex Conc. Trid. Sess. XXIII, can. 3: *Si quis dixerit, Ordinem sive sacram Ordinationem, non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum; a. s.*

1076. Demonstratio. — Probatur 1° ex *Scripturis*, nimirum ex Act. VI, 6: *Hos* (electos in diaconos) *statuerunt ante conspectum Apostolorum et orantes imposuerunt eis manus;* ex Act. XIV, 22: *Cum* (Paulus et Barnabas) *constituissent* (græce: χειροτονήσαντες; i. e. imponendo manus ordinassent) *illis* (novellis christianis) *per singulas Ecclesias* (Lystriæ, Iconii, Antiochiæ) *presbyteros et orassent cum ieiunationibus; commendaverunt eos* (christianos et presbyteros novellos) *Do-*

mino (1); ex 1ª ad Tim. IV, 14: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam* (sancti Spiritus impulso et illustratione), *cum impositione manuum presbyterii*, μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου (2); ex 2ª ad Tim. I, 6: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ex quibus locis simul collatis constat: *a)* Apostolos constituisse sacros ministros saltem potiores, ut sunt presbyteri et etiam diaconi, per *manuum impositionem; b)* per hanc impositionem, veluti per veram causam, ut ipsa particula causali *per* indicatur, eos, quibus manus imponebantur, recepisse gratiam et quidem sanctificantem, uti apparet ex scopo et contextu orationis (3). Noscimus autem *c)* Apostolos non potuisse dare gratiam per manuum suarum impositionem, nisi ea impositio *ex Christi institutione* habuisset vim conferendi gratiam; quæ dominica institutio apparet etiam ex illis Scripturæ locis, ubi Dominus Apostolis tradidit potestatem remittendi peccata, conficiendi Eucharistiam, ac sacra mysteria dispensandi. Atqui in hisce tribus ea omnia continentur, quæ ad veri nominis sacramentum requiruntur et sufficiunt, scilicet *cæremonia externa*, quæ est manuum impositio, *gratia* per ipsam impositionem collata, *divina institutio.* Ergo ritus, quo Apostoli constituebant sacros ministros saltem potiores, et quo deinceps hi semper constitui consueverunt in Ecclesia, est veri nominis sacramentum.

Id 2° confirmatur ex *traditione* Patrum. Hi enim docent, ritu hoc conferri gratiam, eum connumerant veris sacramentis et cum illis conferunt, et diserte etiam vocant sacramentum, et quidem verum et proprium, sicut est Baptismus, eiusque valorem asserunt non pendere a fide et probitate ministri, sicut fit in quolibet veri nominis sacramento. Et ut afferam aliqua exempla, S. Augustinus de Baptismo et de Ordine ait: *Utrumque sacramentum est: et quadam consecratione utrumque homini datur: illud, cum baptizatur; istud, cum ordinatur; ideoque in catholica utrumque non licet iterari.* Et inferius Donatistas

(1) Ritus Ordinis a græcis appellatur χειροτονία, χειροθεσία. Χειροθεσία est impositio manus aut manuum. Χειροτονία est extensio seu elevatio manus ad suffragium ferendum, quo suffragii modo penes Atticos eligebantur magistratus. Verum usu sacro χειροτονία accipitur, saltem plerumque, pro Χειροθεσία. Ita certe in hoc loco, ubi Lucas illud χειροτονεῖν tribuit non ipsi populo, sed solis Apostolis Paulo et Barnabæ.

(2) *Presbyterium* vel significat honorem et dignitatem presbyteri; vel potius consessum presbyterorum, quo episcopus imprimis comprehenditur, qui simul cum aliis, sive episcopis sive presbyteris, manum super ordinandum imponit.

(3) Cfr. 2ª *Tim.* I, 8, 14.

exagitans sic scribit: *Ipsi* (Donatistæ) *explicent, quomodo sacramentum baptizati non possit amitti et sacramentum ordinati possit amitti.... Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri sacramento iniuria facienda est* (1). Idem asserunt S. Hieronymus, Innocentius I, Leo I aliique Patres et Pontifices apud Bellarminum. Nolumus præterire I. Chrysostomum, qui Ordinationis gratiam aureo eloquio frequenter celebrat, præsertim in libris de *Sacerdotio*. Mentitur itaque Lutherus, cum ait, e veteribus Patribus nonnisi unum Dionysium nobis suffragari.

Nec desunt 3° rationes *congruentiæ:* si enim sacramentum est ritus sive quo homines *aggregantur* Ecclesiæ et *filii* Dei fiunt, sive quo Christi subditi promoventur in eius *milites;* quanto magis sacramentum erit ritus ille, quo in Ecclesia constituuntur *præsides* et *patres* filiorum Dei, itemque militum *duces*, Christi ministri et fidei doctores. Pariter si status *matrimonialis* propter adnexas difficultates et onera sacramento sanctificatur; a fortiori per sacramentum sanctificandus erit status *clericalis* et presertim sacerdotalis, qui excellentior et difficilior est, quo quis se totum Ecclesiæ in perpetuo devovet. Adde, per ordinem hominem fieri aliorum Sacramentorum dispensatorem; atqui *propter quod unumquodque tale, et illud magis* (2). Quæ ratio eo potior fit, quod sacerdotes ministri quoque sunt *Eucharistiæ*, quæ omnium mysteriorum est maximum; ad cuius proinde ministerium decet, eos specialiore consecratione et gratia condigne præparari et disponi.

SCHOLIA.

De variis Ordinis gradibus.

1077. *Præter Sacerdotium alii sunt ordines.* Id constat *de fide* ex Tridentini Sess. XXIII, can. 2: « Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, et maiores et minores, per quos velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur; a. s. » Porro Concilium haud definit an illi ordines, aut quinam ex i lis sint divinitus instituti, sed supposita Sacerdotii existentia, quam ceterum expresse definierat canone antecedenti, statuit generatim adesse in Ec-

(1) August., l. II, *cont. ep. Parmeniani*, cap. 13, n. 28 et 30.
(2) S. Th. *Suppl.* 34, 3.

clesia alios ordines ad Sacerdotium disponentes. Et re quidem vera, de Diaconatu, præter traditionem, etiam sacræ literæ mentionem faciunt; de reliquis vero ordinibus antiquissima monumenta loquuntur, tanquam de re iam tum communiter recepta.

1078. *Septem ordines* ab initio ad hæc usque tempora apud Latinos obtinuerunt, nempe *Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarii* (1). Ex Romanis Pontificibus hos ordines iam sec. III recensent Cornelius, Caius, et sec. V Gelasius. Septem quoque in antiqua Græcorum ecclesia ordines fuerunt, uti constat ex Dionysio, Ignatio M., ex synodo Laodicena. Verum Græci successu temporis a veteri more recedentes Ostiariatum, Exorcistatum et Acolythatum conferre consueverunt simul cum Lectoratu.

Horum ordinum distinctio, advertit S. Thomas, est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam; quia potestas Ordinis aut est ad consecrationem Eucharistiæ, aut ad aliquod ministerium circa ipsam. Ad consecrationem ordo *Sacerdotum*, ad ministerium ceteri ordines pertinent. Horum autem alii respiciunt ipsam Eucharistiam, et sic sunt *diaconi* sacerdoti ipsi consecranti proxime servientes, *subdiaconi* materiam ipsius sacramenti disponentes in vasis sacris, *acolythi* materiam ipsam porrigentes in vasis non sacris (2). Alii ordines respiciunt ipsos suscipientes, est sic sunt *ostiarii, lectores, exorcistæ;* ad quos respective pertinebat infideles ab ipsa visione divinorum arcere, cathecumenos ad divina instruere, et energumenos ab impedimento dæmonis liberare (3).

(1) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 2. " Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, et maiori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui iam clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis Sacræ litteræ apertam mentionem faciunt; et quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, et Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur; quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad maiores ordines a Patribus, et a Sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus. „ Concilium hic memorat Tonsuram. Iamvero *Tonsura* clericalis non est Ordo, sed ritus ab Ecclesia institutus, quo homo ad ordines suscipiendos disponitur, sicut ad Baptismum exorcismis et ad Matrimonium sponsalibus præparari solet. Tonsione capillorum dum quis Deo dedicatur et *clericus* fit, simul declaratur qualis esse debeat, qui Dominum in sortem et in hæreditatem suam habere incipit. Cfr. Catech. rom. p. 2 *de Ordine*, n. 27.

(2) Ab ἀκολουθεῖν (sequor vel comitor) *acoluthus* dicitur, qui sacrum ministrum ad altare proxime sequitur.

(3) S. Thomas in IV Dist. 24, q. 2, art. 1.

Inde fluit nota divisio: in ordines *sacros* seu *maiores,* qui versantur propinque circa Eucharistiam, quales sunt apud Latinos tres et apud Græcos duo priores (1); et in *non sacros* seu *minores,* qui sunt ceteri remote circa Eucharistiam versantes. Omnium vero apex est Sacerdotium, quod bipartitur in *Episcopatum* et *Presbyteratum* (2). Sicut in Episcopo Sacerdotium plenitudine sua continetur, ita ministerium suam plenitudinem obtinet in Diacono, quod nomen, a verbo διακονέω, idem sonat ac *minister*. Hinc a Diaconatu velut a fonte inferiores ordines profluere videntur.

Ex episcopis, Presbyteris et Ministris constituitur sacer principatus seu *Hierarchia,* ea quidem quæ *ordinis* dicitur, quæque ab Hierarchia *iurisdictionis* distinguitur. Nam illa, quæ ipsa sacra ordinatione creatur, ad corpus Christi reale refertur et ad *sanctificationem* ordinatur; hæc, quæ sacræ ordinationi necessario non alligatur, in corpore Christi mystico versatur et ad fidelium *directionem* et regimen inservit.

1079. *Presbyteratus est proprie dictum sacramentum.* Id continetur in ipsa superallata definitione Tridentina: ordinem esse sacramentum. Si enim Ordo est sacramentum, iam Presbyteratus sacramentum est; quia de reliquis ordinibus, de Diaconatu et de ipso Episcopatu subinde dubitatum fuit, utrum sint sacramenta: de Presbyteratu vero dubium nullum ne tenuissimum quidem exstitit; quod si nec de Presbyteratu id prorsus esset certum, iam de nullo ordine constaret *de fide*, eum esse sacramentum. Hæretici ipsi aut negant Ordinationem esse sacramentum, aut si illam sacramentum esse tenent, in Presbyteratu eam inveniri concedunt. Hinc iisdem testimoniis Scripturæ, eadem traditione ecclesiastica et eodem unanimi consensu Patrum, quibus ostenditur Ordinationem in genere esse sacramentum, ostenditur etiam speciatim ordinationem Presbyterorum esse sacramentum. Confirmatur autem ea ratione, quod Ordinis sacramentum ordinatur præcipue ad Eucharistiam; proxime autem et præ ceteris ordinibus ad Eucharistiam refertur Presbyteratus, vi cuius potestas obtinetur consecrandi corpus et sanguinem Christi.

1080. *Episcopi sunt divinitus instituti, superiores presbyteris, et vero sacramento ordinantur.* Tria asseruntur, quorum primum *fide*

(1) Hypodiaconatus seu subdiaconatus pro græcis est ordo non sacer seu minor.

(2) *Sacerdotis* opus seu sacrificium, non vero nomen, invenitur in N. T. Hoc nomine primis Ecclesiæ seculis veniebat præcipue *episcopus;* nomen autem *presbyteri* tum generice pro episcopis simul et presbyteris usurpabatur, tum sæpe specifice pro presbyteris solis, quando scilicet contingebat hos nominari in oppositione ad episcopos.

credi debet ex Tridentini Sess. XXIII, can. 6. « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam *divina ordinatione* institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris; a. s. » Itemque alterum *de fide* est ex can. 7: « Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores.... a. s. » Tertium, licet nondum expresse definitum de fide, attamen *sine nota* negari non potest (1).

Confirmatur autem primum ex eo, quod Episcoporum ordo ad intimam Ecclesiæ essentiam et formam pertinet: atqui quæ sunt huiusmodi, Christo auctore, sunt in ecclesia. Episcoporum autem ordinem pertinere ad Ecclesiæ constitutionem apparet; quia coævus est originibus Ecclesiæ et tam late patet quam ipsa Ecclesia, et præsertim quia in Ecclesia quilibet peculiaris grex suo uni Episcopo coadunari debet adeo, ut Patres, ad discernendum ubi sit vera doctrina et utrum aliquis peculiaris cœtus ad veram Ecclesiam pertineat, provocent ad nunquam interruptam Episcoporum successionem. Hinc scribit Cyprianus: *Ecclesia a Christo non recedit, et illi sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens. Unde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo, et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse* (2). Ergo si Christus Ecclesiam instituit, hoc ipso instituit Episcopos, sine quibus Ecclesia non adunatur. Ceterum divinam Episcoporum institutionem expresse docuit Apostolus dicens: *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (3).

Exinde fit evidens etiam alterum, scilicet *præstantia* Episcoporum supra presbyteros: Episcopus est enim, qui Ecclesiam unus regit presbyterisque præest, et qui præterea solus presbyteros aliosque Episcopos ordinat. Quæ duo cum Episcopus præstet iure divino, ipsa excellentia eius præ presbyteris est iuris divini; Tridentinum definiens episcopos esse superiores presbyteris, noluit tamen explicite definire id esse ex iure divino.

Tertium, scilicet Episcopos per verum sacramentum ordinari, probatur hac facili ratione: Ritus quo confertur divina potestas, eaque iure divino inamissibilis, conficiendi quædam sacramenta, et quo confertur interior gratia sanctificans, ritus ille verum sacramentum est. Atqui Ordinatione episcopali confertur *potestas* certe divina ordinandi et confirmandi, id

(1) Ita Vasquez. Id *certissimum* dixit Bellarminus.
(2) Cyprianus ep. 69, n. 8. edit. Maur. p. 265, D.
(3) Act. xx, 28.

quod est conficere duo sacramenta; quæ sane potestas in Episcopo manet iure divino *inamissibilis,* quia doctrina est Ecclesiæ, Episcopum etiam hæreticum etiam solemniter degradatum valide ordinare et confirmare. Præterea eadem Ordinatione episcopali *gratia* sanctificans confertur, quia Paulus in epistolis ad Timotheum et Patres tradunt, gratiam sanctificantem dari per eam *manuum impositionem,* quæ ad ordinationem episcopalem spectat, et quia concilium Tridentinum docet, per sacram Ordinationem dari Spiritum Sanctum et præcise per eam, in qua Episcopus dicit ordinando: *accipe Spiritum Sanctum;* quæ verba, secundum pontificale romanum, in Episcoporum consecratione certe dicuntur (1). Ergo ille ritus, quo Episcopi ordinantur, vere est sacramentum.

Episcopus igitur est Summus Sacerdos. Sacerdotium simpliciter obtinet propter ordinationem presbyteralem, fit sacerdos Summus per consecrationem episcopalem, obtinens potestatem instituendi sacerdotes eosque regendi. Nec duo sunt in episcopo, *Sacerdos* et *Summus* sacerdos, sed qui sacerdos est cum potestate consecrandi Eucharistiam et remittendi peccata, is obtinet esse *Summum* ea ordinatione, qua character sacerdotalis amplificatur ad potestatem ulteriorem ordinandi sacerdotes eosque regendi. Hinc Episcopatus suapte natura includit in se sacerdotium ita, ut sine hoc nequidem intelligi possit Episcopus; unde Episcopus esse nequit qui, non suscepto prius presbyteratu, sacerdos non sit.

1081. *Diaconi quoque divinitus sunt instituti, ac vero sacramento ordinantur.* Primum, seu divina Diaconorum institutio, *de fide* teneri debet ex superius adducto tridentino canone 6 definiente: esse divina *ordinatione* institutam hierarchiam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et *ministris;* inter quos saltem Diaconi referri debent. Qua divina institutione præsupposita, intelligimus Diaconatum esse etiam sacramentum, prout asserit communis theologorum sententia: est enim ritus efficax gratiæ eo ipso, quod in Diaconi ordinatione episcopus dicit: *accipe Spiritum Sanctum;* quæ verba, definiente tridentino, haud frustra in ordinatione ab Episcopo pronuntiantur (2).

1082. *Unum est Ordinis sacramentum.* Quia tres ordines recensiti sunt sacramenta, non ideo sequitur *plura* esse Ordinis sacramenta et

(1) Conc. Trid. Sess. xxiii, can. 4. Non refert hæc verba olim non fuisse usurpata, sensus enim necessarius tridentini canonis is est: Spiritum Sanctum dari in ea Ordinatione, in qua hæc verba proferuntur, sive per ea sive per aliam formam sacramentalem detur. Palmieri *in prolegom. ad tract. De Rom. Pont.,* pag. 94.

(2) Conc. Trid. Sess. xxiii, can. 4.

proinde novem esse in Ecclesia. Nam hæc tria constituunt unum sacramentum *totale,* cuius tota plenitudo est in sacerdotio, perfecte quidem in episcopo, minus perfecte in præsbytero; aliqua vero participatio est in ministris, nominatim in diacono. Similiter in regimine civili varii sunt administrationis gradus, una tamen est administratio, una potestas (1).

1083. *Utrum alii inferiores ordines sint totidem sacramenta,* disputant recentiores Theologi vel etiam negant; sed veteres Doctores scholastici cum S. Thoma et S. Bonaventura communiter affirmant (2). Oppositas sententias conciliare forte licebit, si dicamus: minores ordines, comprehenso subdiaconatu, veluti quasdam portiones esse Diaconatus pro diversis temporibus et necessitatibus ex eo per Ecclesiam decerptas. Quamobrem aliquo vero sensu recte dixeris, minores ordines in suo fonte ac origine, idest in Diaconatu, unde tanquam rivuli scaturierunt, institutiones esse divinas et de sacramento, aliquo modo, participare.

CAPUT II.

DE CAUSIS SACRAMENTI ORDINIS.

1084. Causæ sacramenti Ordinis *extrinsecæ* sunt minister et subiectum, causæ *intrinsecæ* sunt materia et forma. Circa ministrum dogma clare definitum est, quod apposita thesi vindicabimus: de aliis causis pauca dicenda sunt, quæ scholiis adiicemus.

THESIS XXIII.

Episcopi, iique soli, sacramenti Ordinis ministri sunt.

1085. Declaratio. — Cum dicimus, *solos* Episcopos esse ministros sacramenti Ordinis, id intelligimus de collatione eorum ordinum, qui certo *sacramenta* sunt; unde sensus propositionis magis expressus est

(1) S. Thom. IV, dist. 24, q. 2, a. 1; *Suppl.* q. 37, a. 1. " Divisio Ordinis non est totius integralis in suas partes, neque totius universalis, sed totius *potestativi;* cuius hæc est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio eius. „

(2) Ex actibus Concilii Tridentini concludere licet, illos Theologos communiter subdiaconatui et minoribus ordinibus veri et proprie dicti sacramenti rationem tribuisse. De Augustinis *De re Sacr.,* l. IV, p. 75.

quod soli Episcopi, ordinare Episcopos, Presbyteros et probabilius etiam Diaconos possunt. Quod enim attinet ordines minores, solet aliquando Ecclesia etiam presbytero concedere, ut eos conferat, idque concedere potest etiam quoad subdiaconatum. Thesis expressione generaliore, qua proposita fuit, *de fide* est ex Trid. Sess. XXIII, can. 7: *Si quis dixerit, Episcopos non habere potestatem confirmandi et ordinandi: vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; a. s.* Quibus verbis asseruntur revera illa duo: Episcopos, eosque solos, esse Ordinationis ministros. Utrumque simul iisdem argumentis probamus.

1086. DEMONSTRATIO. — 1° Scriptura non alios exhibet ordinantes quam Apostolos et ab Apostolis ordinatos Episcopos. Videmus enim Act. VI ab Apostolis ordinari diaconos et legimus Act. XIV de Paulo et Barnaba, qui sane erant episcopi: *cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros.* Paulus Timotheum affirmat ordinatum impositione manuum suarum: Timotheo et Tito episcopis mandat, quibus debeant manus imponere.

2° Patres et canones Ecclesiæ constanter exhibent Episcopos ministros *illius manuum impositionis,* qua in ordinem hierarchicum fideles assumuntur; nec unquam alterius ministri, præter episcopos, faciunt mentionem, imo diserte ab hac prærogativa alios excludunt. Ita Patres Hieronymus, Chrysostomus, Epiphanius, quibus ceteri consentiunt. Hic postremus Aerium reiecit et cum hæreticis damnavit, quod presbyteros in iure ordinandi pares Episcopis iudicaret, et ad *Hæres.* 75 postquam illius hæretici dogma stoliditatis plenissimum definierit, subdit: *Siquidem Episcoporum ordo ad gignendos patres præcipue pertinet: huius est enim patrum in Ecclesia propagatio. Alter* (ordo presbyterorum), *cum patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros. Quinam vero fieri potest ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habet? Aut quomodo presbyter Episcopo dici potest æqualis? Verius Aerium istum nimia quædam procacitas æmulatioque decepit.*

Accedit 3° traditio *practica,* prouti imprimis manifesta est in omnibus sacramentariis et euchologiis Ecclesiæ latinæ et græcæ, quæ ministrum χειροτονίας seu impositionis manuum ad ordinandos episcopos, presbyteros et diaconos solum Episcopum exhibent. Ipsa deinde historia ecclesiastica nullum profert exemplum Ordinationis presbyteri vel episcopi ab aliquo, qui non esset Episcopus, factæ, quæ valida habita fuerit.

Item, ne summa quidem urgente necessitate, Ecclesia unquam permisit aliis, quam Episcopis ordinare. Privilegium tamen dicitur ab Innocentio VIII concessum abbati cisterciensi conferendi diaconatum (1).

Quod denique hæc Episcoporum potestas non sit quidem lex aliqua disciplinaris Ecclesiæ, sed innata prærogativa Ordinis episcopalis, vel ex eo apparet, quod Ordinationes etiam factæ ab Episcopis hæreticis et schismaticis, dummodo servaverint materiam et formam, semper habitæ sunt ut *validæ*. Id constat etiam ex controversia cum Donatistis, in qua Augustinus sæpe respicit etiam Ordinationes extra Ecclesiam factas. Quod si Patres eas aliquando vocant *vanas, inanes, falsas,* non est quia eæ non imprimerent characterem et conferrent potestatem sacerdotalem, sed quod, obstante obice, gratiam non producerent ordinatique privarentur usu potestatis acceptæ. Si vero hi illegitime ordinati recipiebantur ad usum et exercitium potestatis per *impositionem manuum,* hæc erat non *ordinatoria* sed reconciliatoria et *ceremonialis.*

SCHOLIA.

De materia et forma deque subiecto Ordinis.

1087. *Quænam sit materia et forma Ordinationis* et nominatim diaconatus, presbyteratus, episcopatus, quæstio est satis implexa. In hac quæstione adsunt *tres* sententiæ: *Prima* statuit, solam impositionem manuum et orationem eidem coniunctam esse materiam et formam essentialem sacramento Ordinis: nominatim in presbyteratu ex tribus impositionibus, quæ fiunt, esse secundam: prima enim fit ab Episcopo, nihil interea dicente; postrema, quæ fit in fine missæ, est recentius inducta. *Secunda* sententia solam instrumentorum porrectionem cum verbis ad eam pertinentibus habet pro forma et materia; idque censuerunt plures nobilissimi Scholastici, quibus favere videtur instructio Eugenii IV pro Armenis. *Tertia* utramque nitens conciliare, quæque in praxi ad tutiorem sacramenti effectum tenori debet, censet sacramento essentialem tum manuum impositionem tum instrumentorum traditionem cum verbis concomitantibus. Rem vero explicat hoc modo: Christus in genere tantum huius sacramenti determinavit materiam, facta Ecclesiæ

(1) Vasquez, in 3^m. *S. Th.* Disp. 243, c. 4, n. 49. Hoc stante privilegio, dicendum esset, presbyterum inchoatam quandam potestatem habere ad ordinandum diaconos, sicut et ad confirmandum, quæ egeat compleri per acceptam a Summo Pontifice delegationem.

facultate, ut eam in specie determinaret. Ecclesia, saltem latina, hac facultate utens authentice determinavit ad signum sacramentale etiam traditionem instrumentorum. Hinc non amplius *sola* impositio manuum, sed præterea hæc instrumentorum traditio facta est essentialis ad signum sacramentale efficiendum.

Verum Benedicto XIV et aliis communiter recentioribus Theologis hæc sententia non placet, tum quod nimiam adscribat Ecclesiæ potestatem circa materiam et formam sacramentalem, tum quod nec tempus nec decretum possit assignari huius immutationis materiæ et formæ essentialis. Exinde a fortiori reiicitur secunda sententia solam instrumentorum traditionem requirens. Econtra Theologi theoretice nunc conveniunt in primam sententiam, quæ confirmatur pluribus rationis momentis. Inter hæc: Ecclesia græca semper solam manuum impositionem adhibuit, Ordinationesque Græcorum probavit semper Ecclesia romana, pariter Ecclesia latina usque ad seculum IX solam impositionem manuum usurpavit, uti apparet ex can. 5 concilii carthaginensis IV (1), ex ritualibus et sacramentariis vetustis; deinceps vero, etiam post inductam instrumentorum collationem, adhuc simpliciter dici consuevit, impositione manuum ordinari presbyteros, ut loquitur ipsa tridentina synodus (2): in ipsis Scripturis solius impositionis manuum occurrit mentio, nec sane primi Diaconi ordinati sunt traditione libri evangelii, quod nondum scriptum erat. Ad decretum Eugenii quod attinet, respondetur cum Bellarmino aliisque, scopum Summi Pontificis fuisse inducendi Armenos ad uniformitatem cum Ecclesia Romana non modo in fide, sed etiam in præcipuis sacramentorum ritibus, ideoque solam instrumentorum traditionem recensuisse, quam Armeni non adhibebant.

In ordinatione aliorum ordinum antiquissima est consuetudo Ecclesiæ latinæ non imponendi manus, sed tradendi instrumenta. Iam supra citatus carthaginensis canon in hoc ponit discrimen inter subdiaconatum et hierarchicos ordines, quod isti impositione manuum conferantur, ille per solam instrumentorum receptione. Ecclesia græca manuum impositione extra sanctuarium collata, ordinat subdiaconos et lectores, quibus deinde porrigit etiam instrumenta.

1088. *De ordinis subiecto* certa sunt et apud omnes explorata tria sequentia:

(1) In can. 3° et 4° pro Ordinatione presbyteri et diaconi solam impositionem manuum synodus memorat. Sed in can. 2° pro Ordinatione episcopi impositionem etiam codicis evangeliorum in caput ordinandi præscribit. Denzinger, N. 50 et seq.

(2) Sess. XIV, cap. 3, *De extr. Unct.*

1° Ad valorem Ordinis requiri masculinum sexum. Nunquam aut in lege naturæ aut in lege mosaica mulier ulla sacerdotio est functa. Apostolus autem iniquit: *mulieres in ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit* (1). Hinc patet ratio, cur mulier in nullo gradu ecclesiastico esse possit, qui superioritatem et magisterium importat. Quæ vero in antiqua Ecclesia *diaconissæ* dicebantur, nunquam habitæ sunt in ordine clericali, et licet ritu aliquo sacro initiarentur, hæc tamen initiatio nequaquam sacramentalis erat, sed mera ceremonia. Diaconissæ eligebantur pudicæ honestæque virgines, aut unius viri viduæ, provectioris ætatis, earumque erat intervenire in mulierum Baptismo ut honestati consuleretur, instruere in fide neophytas, Episcoporum mandata deferre ad mulieres, custodire portam, qua ingrediebantur mulieres in Ecclesiam.

2° Ad valorem pariter requiritur, ut ordinandus sit baptizatus. Ex communi enim sensu Ecclesiæ, SS. Patrum et Thelogorum Baptismus ianua et fundamentum est aliorum sacramentorum. Extant præterea decreta reordinandi presbyterum, qui deprehendatur non baptizatus. Id iam conc. Nicænum I statuerat can. 19, iubens Paulinistas, qui non servabant formam Baptismi, rebaptizari, et ab iis, post tale baptismum, ordinatos reordinari.

3° Ad valorem Ordinationis requiritur, ut subiectum non sit absolute invitum. Si enim ita res est de Baptismo, prouti expresse definivit Innocentius III, id magis affirmandum est de Ordine, sicuti et explicite asserit idem Summus Pontifex (2).

1089. De ceteris dispositionibus requisitis ex parte subiecti satis agitur in theologia morali. Item ad institutiones canonicas pertinent vindiciæ illius sanctissimæ legis, in Ecclesia latina usque ab Apostolis servatæ, qua episcopi, presbyteri et diaconi, et successu temporis, etiam subdiaconi ad continentiæ observantiam obligantur (3).

(1) 1ª Cor. XIV; Cfr. 1ª ad Tim. IV.

(2) Innoc. III, cap. *Maiores.*

(3) De hoc argumento lege egregium opus F. Antonii Zaccaria, *Storia polemica del celibato sacro.*

TRACTATUS

DE MATRIMONIO CHRISTIANO.

1090. « In Matrimonio est tria considerare: primo essentiam ipsius, quæ est coniunctio, et secundum hoc nominatur *coniugium:* secundo causam eius, quæ est desponsatio, et secundum hoc vocatur *nuptiæ* a nubo, quia in ipsa solemnitate desponsationis, qua matrimonium perficitur, capita nubentium velantur: tertio effectum, qui est proles et sic dicitur *matrimonium*, ut Augustinus dicit contra Faustum « ex hoc quod mulier non debeat ob aliud nubere, nisi ut sit mater. » Potest etiam matrimonium quasi *matris-munium* idest officium dici, quia fœminis incumbit maxime educandæ prolis officium... (1). »

Matrimonium ex ipso iure naturæ considerari debet vel in *facto esse* seu prouti est status permanens; vel *in fieri* seu prouti est contractus actu transiens, a quo ille status producitur. In *facto esse* communiter definitur: « Maritalis coniunctio viri et mulieris, inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens. » Eius essentia in *vinculo morali* consistit, quo vir et mulier formaliter coniuncti manent (2), quod vinculum nihil aliud est quam ipsa potestas mutua unius in alterum in ordine ad copulam mutuaque obligatio, quæ cum ea potestate conserta est et cui satisfieri nequit nisi per vitæ consuetudinem individuam, seu communionem thori et habitationis. Huiusce vinculi causa est *contractus* consensum interiorem utriusque contrahentis manifestans: in huiusmodi contractu consistit matrimonium prouti consideratur *in fieri* seu in causa; quod ideo, ut tale, definitur: « Contractus legitimus, quo efficitur viri et mulieris maritalis coniunctio individuam vitæ consuetudinem retinens. »

1091. Iamvero non directe ipse status matrimonialis, sed contractus,

(1) S. Thomas *Suppl.* 44, 2.

(2) Ita S. Thomas, 3 p. *supp.* q. 44, art. 1: " Matrimonium est vinculum, quo ligantur formaliter non effective et ideo non oportet, quod sit aliud a coniunctione. » Cfr. etiam art. 3.

a quo ille fit, est quem Christus Dominus evexit ad sacramenti dignitatem; unde Matrimonii sacramentum definitur: *Contractus matrimonialis a Christo ad dignitatem sacramenti evectus.* Porro huiusmodi contractus, prouti sensibiliter exprimitur, est id quod dicitur sacramentum tantum; vinculum, quod ab eo producitur inter contrahentes, est sacramentum et res sacramenti, gratia est res tantum.

1092. Ex hac definitione patet duo præcipua ad theologiam dogmaticam pertinere: Matrimonium esse veri nominis sacramentum; et eius essentiam in ipso contractu, quem Christus consecravit, consistere. Ad complementum autem doctrinæ et pro nostrorum temporum necessitate perutile erit aliqua speciatim disserere de Ecclesiæ in Christianorum Matrimonium potestate. Hinc tria capita:

I. De veritate sacramenti Matrimonii,
II. De eiusdem sacramenti natura,
III. De Ecclesiæ in christianorum Matrimonium potestate.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRAMENTI MATRIMONII.

1093. Matrimonium ethica honestate omnino pollere, nullus sanæ mentis nunc auderet negare. Est enim ab ipsa natura, illudque expressius iam ab initio Deus ipse sanctificavit, prouti legimus primis Geneseos capitibus et prouti ipse Christus testatus est dicens: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniuxit, homo non separet* (Matth. XIX).

1094. Attamen ante legem evangelicam Matrimonium non erat sacramentum, neque illud iudæorum, etsi sanctum. Aliter quidem affirmarunt aliqui ex veteribus doctoribus, at omnino contra veritatem: quum ipsa synodus tridentina definierit, Christum esse institutorem huius sacramenti, sicut est aliorum, proindeque non tantummodo confirmatorem.

1095. Fuit itaque Christus, qui, ut populus ad suam religionem procrearetur et educaretur, sacramenti dignitatem Matrimonio tribuit. Hanc dignitatem, quam denegant Protestantes, eidem vindicabimus insequenti thesi.

THESIS XXIV.

Matrimonium christianum est vere ac proprie N. L. sacramentum.

1096. Declaratio. — Matrimonium, de quo hæc thesis, idem est ac matrimonium a natura ipsa institutum et iam ab initio sanctificatum a Deo, sed hic consideratur prout est sub lege Christi, seu prouti est Matrimonium inter christianos. Unde sensus propositionis est: Matrimonium, quod initio Deus instituit in officium naturæ, in nova lege Christus evexit in verum et proprium sacramentum seu in signum sacrum productivum gratiæ. Veritas est *de fide* ex Concilio Tridentino, Sess. XXIV, can. 1: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; a. s.*

1097. Demonstratio. — I. Primum et maximum argumentum est ex *traditione* perpetua et universali Ecclesiæ. Eius 1° testificatio post annum millesimum est manifestissima. Si enim ab ultimis temporibus gradum faciamus, ante decretum tridentinum supracitatum, extant *a)* alia *decreta* Ecclesiæ, nimirum instructio ad Armenos Eugenii IV in concilio florentino (1); professio fidei quam Clemens IV proposuit Palæologo, et quam hic obtulit in Conc. Lugdunensi II (2); decretum Lucii III contra Albigenses (3); canon 23 concilii Lateranensis II (4); in quibus omnibus documentis cum aliis veris et propriis N. L. sacramentis nominatim recensetur Matrimonium. Per eádem tempora idem affirmant *b)* omnes de schola *Theologi,* nimirum S. Bonaventura, S. Thomas, Magister sententiarum, Hugo a S. Victore (5), qui omnes cum aliis bene multis statuunt, sacramentum Ecclesiæ esse invisibilis gratiæ visibilem formam atque causam, septem vero esse huiusmodi sacramenta, inter quæ Matrimonium inter fideles recensent, cui vim sanctificandi asserunt. Ipse Durandus, qui unus e Scholasticis minus bene audit hac in re, postquam negaverit Matri-

(1) Eugenius IV *ad Armenos,* ann. 1445.
(2) An. 1266; 1274.
(3) An. 1181, in concil. Veronæ celebrato, Decret. *Ad abolendam,* de hæreticis.
(4) An. 1139.
(5) An. 1140.

monium conferre gratiam ideoque et sacramentum esse, deinde coactus est scribere: *tenendum est absolute, quod Matrimonium est sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia... et docere oppositum est hæreticum* (1). In eandem fidem consentiunt *c)* Ecclesiæ *separatæ*, nimirum Græci, uti constat ex pluries memorata condemnatione in Cyrillum Lucarim; Syri nestoriani, uti testatur patriarcha Sulaka professione, quam Romæ adhuc monachus edidit an. 1553; Iacobitæ et Copti, uti testatur Simon Assemanus; Armeni, uti apparet ex Vartano eorum episcopo, qui opera sua edidit duobus fere seculis ante conc. florentinum, quique in monitis ad Armenos c. 6, ita scribit: *Primum sacramentum est Baptismus, secundum Missæ sacrificium, tertium benedictio Unguenti...*, *quartum est Ordo*, *quintum est Matrimonium*, etc. Ab ea igitur ætate post annum millesimum explicita fuit prædicatio ecclesiastica: Matrimonium christianorum unum esse ex septem novæ legis sacramentis.

Verum 2° etiam ætate præcedente usque ad Apostolos manifesta decurrit in Ecclesia professio: Matrimonium esse rem sacram, esse coniunctum cum sanctificatione et gratia, esse altius evectum et sanctificatum a Christo, atque identidem esse vere et proprie sacramentum. Sane *a)* tanquam *res sacra* describitur actio nuptialis in sacramentario Gelasii, quod derivatum est ab illo S. Leonis. Etenim ea facienda est inter missarum solemnia cum orationibus et benedictionibus sacerdotis; quibus peractis, coniuges ex altari communicare debent. Hunc autem ritum antiquum esse, constat ex prioribus Patribus, inter quos Tertullianus celebrat *felicitatem eius Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio et obsignat benedictio, et obsignatum angeli renuntiant et Pater ratum habet;* et Ignatius M.: *Decet ut sponsi et sponsæ de sententia episcopi coniugium faciant, quo nuptiæ sint secundum Dominum et non secundum cupiditatem* (2). Deinde *b)* cum *gratia et sanctificatione* Matrimonium coniungi, passim docent Patres; pro quibus omnibus audiatur Innocentius I de bigamo simultaneo ita decernens: *Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse coniugium quod erat primitus divina gratia fundatum, conventumque secundæ mulieris, priore superstite, nullo pacto posse esse legitimum* (3).

(1) In 4 Dist. 26, a. 3. Quod si paulo post autumat, Matrimonium gratiam non conferre ex opere operato sed ex opere operantis, attamen fatetur, ceteros theologos *communiter* contrarium tenere.

(2) Tertul. *Ad uxorem* lib. II, c. 9; Ignat. *ep. ad Polyc.* c. 5.

(3) I *epist.* n. 9.

Insuper docent Patres *c)* ipsum coniugium *sanctificatum esse a Christo,* uti Ambrosius cum Patribus conc. mediolanensis ad Siricium: *Non negamus sanctificatum esse a Christo coniugium, divina voce dicente: « erunt duo in carne una, et in uno spiritu. »* Quæ doctrina Christi coniugium sanctificantis etiam artis monumentis invenitur expressa; quibus e. g. vir et mulier repræsentantur, qui dextras iungunt, inter eosdem autem vel Christus vel eius monogramma, veluti Ipse adsit coniugii auctor (1). Porro quæ tria ad sacramentum requiruntur, nimirum ritus externus, isque sacer et cum gratia coniunctus, et ab ipso Christo sanctificatus, ea omnia Traditio ipsa vetus in Matrimonio refert. Illud etiam expresse *d) sacramentum* appellatur, uti fit pluries apud Tertullianum (2) et Augustinum. Hic s. doctor nonnisi ob sanctitatem sacramenti distinguit Matrimonia christianorum ab illis infidelium, scribens: *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti* (3). Si sumeret sacramentum late pro nudo signo coniunctionis Christi cum Ecclesia, id speculative verificaretur etiam in matrimonio infidelium.

II. Hac constantis Traditionis doctrina præsupposita, nec inefficax censeri debet argumentum ex *S. Scriptura* ad Eph. v, 22 et seq. (4); ubi postquam Apostolus habitudinem viri ad mulierem et vicissim explicaverit per habitudinem Christi ad Ecclesiam et vicissim, concludit verbis Adami Gen. II, 24: « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una » et immediate subdit: *Sacramentum hoc magnum est, τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστι, ego autem dico in Christo et in Ecclesia,* εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν.

Iamvero sic arguimus:

Sacramentum N. Legis dicitur et est signum divinitus institutum ad significandam et conferendam gratiam habitualem: atqui in textu allato:

(1) Extat numisma græcum ad sec. V vel VI spectans, in quo Christus inter sponsum et sponsam medius adest, utrumque amplexans et iungens, cum subscriptione: Θεοῦ χάρις. In eundem sensum vergit duplex nuptiarum repræsentatio, quæ invenitur in opere cl. viri Garucci (*Vetri*, etc. Tab. 26).

(2) Tertul. *Advers. Valentinianos* c. 30; *De Præscript.* c. 40.

(3) *De bono coniugii* c. 24, n, 32. Cfr. *De nuptiis et concup.* c. 10.

(4) Sunt qui alia testimonia ex S. Scriptura produnt e. g.: I *Corinth.* VII, 14-39; *Coloss.* III, 18; I *ad Timoth.* II, 15, sed satis inepte.

1°) docet S. Paulus ritum, quo Matrimonium christianorum fit, fuisse ex *divina institutione* assumptum ad repræsentandam non modo unionem Christi cum Ecclesia; sed

2°) *ad significandam gratiam habitualem* inter coniuges, seu unionem inter ipsos supernaturalem; imo

3°) suadet S. Paulus, quod ipse *ritus* sit qui producit gratiam hanc habitualem.

Ergo suasive saltem ex doctrina S. Pauli ritus, quo Matrimonium Christianorum celebratur, est N. L. Sacramentum.

Probanda est *minor* per partes:

Ad 1.^m^ Sacramentum in sua generica notione debet esse signum rei sacræ aptitudine *naturale* actu vero *arbitrarium* seu ex beneplacito Dei institutoris. Iamvero docet Paulus, unionem maritalem viri et mulieris mystice significare unionem Christi cum Ecclesia; pronomen enim *hoc* referri necessario debet ad id, quod proxime præcessit, scilicet ad verba Adami « propter hoc relinquet, etc. » quæ literali sensu non aliud significant nisi unionem maritalem viri et mulieris. Verum unio Christi cum Ecclesia est res sacra, ad quam repræsentandam unio maritalis est quidem signum aptitudine *naturale* propter unionis analogiam, sed actu non posset esse signum nisi ex *divina institutione*, quia potuisset Deus ad unionem Christi cum Ecclesia repræsentandam assumere e. g. unionem inter patrem et filium. Ergo ex Paulo unio maritalis est Sacramentum in sua generica notione, et quidem « *magnum* ». Curnam? certe quia repræsentat rem magnam. An etiam quia repræsentat miro quodam modo? id patebit ex sequentibus.

Ad 2.^m^ Ex S. Paulo ritus, quo Christianorum Matrimonium celebratur, significat et subaudit *gratiam sanctificantem*. Revera:

a) ex S. Paulo Matrimonium christianorum eatenus Sacramentum appellatur, quatenus exprimit unionem Christi cum Ecclesia: atqui unio hæc sancta est et supernaturalis: ergo etiam unio christianorum maritalis in sanctitate fieri et esse debet et quidem sanctitate habituali seu permanente, quemadmodum permanens est status utrinque signatus et signans.

b) Res confirmatur *ex officiis* Matrimonii, de quibus loquitur Paulus. Hæc enim officia reducuntur ad *dilectionem* viri erga mulierem (cfr. v. 25) et *timorem* mulieris erga virum (cfr. v. 33), qui ipse timor et dilectio quædam est cum quadam reverentia et subiectione copulata. Iamvero ista dilectio, quam Apostolus veluti proprium Matrimonii officium summopere commendat, *supernaturalis* in sensu Pauli esse debet tum ex

causa exemplari quæ proponitur, dilectione scilicet Christi et Ecclesiæ, tum ex *causa formali* propter quam postulatur, quia postulatur ex eo quod vir est caput mulieris sicut Christus est caput Ecclesiæ, nimirum ex eo quod unio viri et mulieris est unio repræsentans unionem Christi cum Ecclesia; tum ex *causa finali,* quæ affertur, nimirum ut per actus repræsentetur in actu exercito dilectio Christi erga Ecclesiam. Atqui dilectio ista mutua inter coniuges supernaturalis, cum sit ex S. Paulo permanens et habitualis quemadmodum permanens et habitualis est status maritalis, requirit et subaudit principium permanens et habituale actuum supernaturalium dilectionis, scilicet gratiam sanctificantem. Ergo etc.

In doctrina igitur Apostoli christianorum matrimonium repræsentat unionem Christi cum Ecclesia etiam *quoad modum unionis* scilicet secundum gratiam et sanctitatem. Quapropter *duplex* significatio iuxta S. Paulum distinguenda est in Matrimonio christiano: una *(mediata et theoretica)* quæ est significatio unionis Christi cum Ecclesia, altera *(immediata et practica),* quæ est significatio sanctitatis seu gratiæ habitualis adnexæ, qua unio Christi cum Ecclesia perfecte seu quoad modum unionis repræsentatur.

Ad 3.[m] Inquirendum remanet, utrum gratiam habitualem, quam ritus matrimonialis significat et subaudit, Deus *solus* et *immediate* in coniugibus (utique rite dispositis) efficiat; an vero ipse ritus nuptiarum sit, sub Deo, *causa* eiusdem gratiæ habitualis ad instar cœterorum rituum sacramentalium. Iamvero hoc ultimum, quod nostra interest, aperte ab Apostolo doceri minime certe contendimus; verum defendimus id postulari a christiana œconomia, quam Apostolus merito dicendus est ibi supponere.

Revera: *a)* Constat ex dictis, ritum matrimonialem christianorum *ex divina institutione* secumferre gratiam sanctificantem: nam gratia sanctificans adnexa est matrimonio christiano ex eo quod est signum unionis Christi cum Ecclesia, quæ significatio, ut vidimus, est ex divina institutione. — *b)* Constat insuper ex dictis, ritum matrimonialem christianorum etiam *significare ex divina institutione* gratiam sanctificantem, quam secumfert. — Nam ritus nuptiarum significat eam unionem animorum, quæ vi mutui consensus fit: sed ex divina institutione hæc unio sancta est et supernaturalis per gratiam: sicut ergo ex divina institutione est, quod hæc unio sit supernaturaliter sancta, ita ex eadem institutione oritur, quod ritus essentialis, quo matrimonium celebratur, significet talem unionem sanctam, seu significet gratiam. —

c) Constat ex œconomia N. L., ritus a Deo institutos ad significandam gratiam hominibus conferendam esse pariter eiusdem gratiæ efficaces. Iamvero ritus, quo Matrimonium christianorum celebratur, ex divina institutione adnexam habet gratiam sanctificantem et insuper hanc ipsam theoretice significat: ergo etiam ipsam ex divina institutione producit in christianis qui matrimonio copulantur.

Quæ cum ita sint, Matrimonium Christianorum iuxta doctrinam S. Pauli est verum et proprium N. L. Sacramentum.

COROLLARIUM.

1° Matrimonium, quod fieret saltem secundum primitivam institutionem, fuit semper Sacramentum *latiore sensu* acceptum, prouti est signum rei sacræ. Nam Matrimonium viri et mulieris fuit a Deo assumptum ad repræsentandum futuram unionem Christi cum natura humana et Christi cum Ecclesia. Revera verba, quæ in *Gen. 2* Adam prophetice fecit: « hoc nunc os ex ossibus meis.... propter hoc.... » Deo ipsi esse attribuenda, docet Christus in Evang. Matth. XIX, 4 seqq.: hæc autem verba prænuntiare unionem sive Verbi cum humana natura sive Christi cum Ecclesia, satis communiter docent SS. Patres. Ita ex. gr. Hieronymus Comment. in Epistolam ad Eph. lib. II, c. 5: « Primus enim homo et primus vates Adam hoc de Christo et Ecclesia prophetavit: quod reliquerit Dominus noster atque Salvator Patrem suum Deum et matrem suam cœlestem Ierusalem, et venerit ad terras propter suum corpus Ecclesiam, et de suo eam latere fabricatus sit, et propter illam Verbum caro factum sit. »

2° Verum si sacramentum *pressiore sensu* accipiatur, prouti est signum practicum gratiæ sanctificantis, tunc tantummodo in N. Lege et pro Christianis Matrimonium est Sacramentum. Revera, quod verba Pauli extendantur ad omnia matrimonia etiam V. T., obstat imprimis indoles propria illius œconomiæ, in qua nulla unquam fuerunt huiusmodi signa efficacia gratiæ; licet vero Paulus provocet ad verba Adami, ea tamen accipit prouti prophetica sunt et referuntur ad Christum: accipit proinde ea prout implentur in nova œconomia seu in Matrimonio Christianorum; unde non dicit: sacramentum hoc magnum *fuit* sed *est*. Præterea ea verba Adami Paulus connectit nexu causali (propter hoc) cum præcedentibus in quibus non loquitur nisi ad christianos, quibus Epistola missa fuit c. I, v. 1: « omnibus sanctis qui sunt Ephesi et fidelibus in Christo Iesu, » quibus Christi et Ecclesiæ exem-

plum tanquam rem notam proponit, ideoque solum de matrimonio christiano loquitur. Ex contextu itaque ea verba determinantur a Paulo ad Matrimonium christianum, quamvis concedi possit, S. Paulum *genericam* sacramenti rationem in quovis coniugio ratione supra allata reperire.

3° Si quis autem quærat, quo tempore Christus Matrimonium christianum ad specificam rationem Sacramenti evexerit, respondemus id satis non constare. Alii, quos sequitur Leo XIII in Encicl. *Arcanum*, id docent accidisse in nuptiis habitis in Cana Galileæ, alii tempore quo Iesus (Matt. XXI) edixit: « quod Deus coniunxit, homo non separet » alii vero tempore post I. C. resurrectionem.

SCHOLION.

Virginitas et cœlibatus longe Matrimonio præstant.

1098. Id *de fide* est definiente tridentino Sess. XXIV, can. 10: *Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœlibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quam iungi matrimonio; a. s.* Ubi advertas fieri comparationem inter *statum* et *statum;* non inter *personas,* quæ in hisce statibus versentur, seu inter perfectiones, quibus eæ personæ ex propria virtute ditatæ esse possunt; neque inter ea, quæ statui ipsi adiungi possunt, cuiusmodi esset consecratio quædam. Pro *statu* vero intelligitur conditio immobilis et permanens hominum ad certam vivendi rationem; proindeque status matrimonii est permanens viri et mulieris mutua obligatio maritalis, et status virginitatis et cœlibatus consistit non tam in materialiter conservata integritate carnis, quam potius et formaliter in perpetuo proposito sese abstinendi ab actibus illis, etiam per se licitis, qui eam integritatem violare possent, idque ex eo fine, ut Deo melius corpus et spiritus inserviant (1). Hisce positis, si ratio haberi debeat perfectionis et beatitudinis, quæ secundum Deum uni statui præ alio convenit, omnino anteponendus est status virginitatis et cœlibatus statui matrimonii.

1099. Id facile demonstratur 1° ex doctrina Apostoli: *Dico non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego;* et inferius:

(1) Virginitas, per se, postulat tantum abstinentiam ab actu matrimoniali; sed ad statum virginitatis, qui a Patribus tridentinis Matrimonio præfertur, requiritur propositum sese abstinendi a quacunque sensuali delectatione; eo quidem fine, ut Deo melius serviatur.

Et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: et qui non iungit, melius facit: et postquam facultatem mulieri fecerit iterum nubendi, si dormierit vir eius, subdit: *Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium* (1). Patet 2° ex intrinseca ratione, quam ipse Paulus affert: *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro* (2). Aliis verbis: in uno statu bona propria hominis, prouti est rationalis, procurantur, virtutes difficillimæ concupiscentiis resistendo exercentur, unio animi cum Deo per se plenius obtineri potest; in altero procurantur quæ ad rationalem hominis partem, per se, non spectant, concupiscentiæ, etsi intra debitos limites, obsecundatur, uni Deo vacare non licet. Iam ex hisce statibus quinam perfectior ac beatior sit, quisque facile intelligit. Nec 3° officit, quod præ Virginitate Matrimonium sit sacramentum. Nam dignitas sacramenti tota est in eo, quod coniugibus gratiam conferat ex opere operato ad repræsentandam unionem Christi cum Ecclesia; sed Virginitas propter Christum servata, ex opere operantis, uberiorem gratiam virginibus confert ad illam unionem nedum repræsentandam, sed in se ipsis, tanquam electis Ecclesiæ membris, perficiendam. Hinc Matrimonium ideo sacramentum magnum est, quia id significat, quod maxime in Virginibus perficitur.

Quod autem Virginitas sacramento non consecretur, id bene explicatur. Nam sacramentum neque postulabatur ad conferendam huius status potestatem, quæ iam in libero hominum arbitrio existit; neque postulabatur ad eundem statum sanctificandum, quia iam est ex suapte natura sanctissimus, dummodo ex intentione Deo magis placendi eligatur. Econtra status clericalis per novæ potestatis collationem sacramento creandus erat; et status matrimonialis, licet iam in naturæ potestate existens, tamen, quia facile inserviens cupiditati, convenienter per sacramentum sanctificandus erat, ut regeneratis in Christo honorabilior fieret. Ita sacramentum pro pœnitentibus, non pro innocentibus, adest; licet horum status perfectior sit.

(1) I[a] *ad Cor.* VII, 8; 38, 40; Cfr. *Matth.* XIX, 11, 12.
(2) I[a] *ad Cor.* VII, 32, 34.

CAPUT II.

DE ESSENTIA SACRAMENTI MATRIMONII.

1100. Præsupposita veritate huius Sacramenti, quæritur in quo proprie sistat eius essentia. Veritas catholica est, eam consistere in ipso matrimoniali contractu. Ad sensum quæstionis intelligendum considerari debet, quod matrimonium per se adesse potest quin sit Sacramentum proprie dictum: ita fuit ante Christum et ita est apud infideles, inter quos verum adest matrimonium, contractus scilicet naturalis, quin sit Sacramentum.

Hinc etiam in matrimonio christiano *ratione* saltem hæc duo distingui possunt, *contractus* scilicet seu consensus expressus et *sacramentum*. Iamvero quæritur: utrum quemadmodum ratione, ita etiam *re* hæc duo in matrimonio christiano distingui possint, non quidem separatione completa, ita ut etiam Sacramentum esse possit sine contractu, sed saltem incompleta, ita ut contractus possit esse sine Sacramento.

Realem distinctionem ideoque *separabilitatem* contractus a Sacramento in ipso Matrimonio christiano, post apostatam Marcum Ant. de Dominis et Launoium, docuerunt *aulici* Austriacæ et Gallicæ ditionis, qui, ut principibus potestatem in Matrimonia christiana vindicarent, conati sunt ostendere rationem et dignitatem Sacramenti supervenire matrimonio perfecte constituto in esse civilis contractus. Apud nos Ioannes Nuitz prof. Taurinensis eandem doctrinam amplexatus est, cuius principia damnata fuere a Pio IX prop. 65, 66, Syllabi. Ab hac aulicorum doctrina non multum recessit sententia illorum theologorum, qui cum Estio, Tournely et aliis statuerunt, materiam Sacramenti esse actus contrahentium, formam vero verba, quibus sacerdos sponsos in matrimonium coniungit, ita ut contractus coniugalis sit tantum pars materialis sacramenti Matrimonii, et Sacramentum ex illo contractu et ex benedictione sacerdotis essentialiter constituatur. Demum non defuerunt Theologi, qui fatentes quidem Christum ad Sacramenti dignitatem ipsum Christianorum contractum naturalem evexisse, docuerunt tamen a fidelibus contrahi adhuc posse matrimonium validum sub ratione contractus, et invalidum sub ratione Sacramenti; si nempe contrahentes positive intenderent solum contractum absque Sacramenti ratione. Ita Billuart.

Econtra doctrina catholica docet *indivisibilitatem* contractus et Sacramenti, quam statuemus, ut inde deducamus præcipua doctrinæ capita,

quæ ad essentiam huius sacramenti plene dignoscendam inserviunt. Apposito *scholion* aliqua speciatim adnotabimus de potissimis Matrimonii proprietatibus, *Unitate* scilicet et *Indissolubilitate*.

THESIS XXV.

Doctrina catholica est, inter christianos nullum dari verum Matrimonium, quod non sit pariter Ecclesiæ sacramentum.

1101. DECLARATIO. — Proponitur veritas: pro Christianis Sacramentum matrimonii idem est *re* ac Matrimonium, et præcise, Matrimonium *in fieri* seu ipse contractus maritalis est directe Sacramentum; Matrimonium vero *in esse* seu vinculum inde exsurgens est res et Sacramentum simul. Quod interest est primum demonstrare, inde pronum erit de matrimonio *in esse* concludere.

Thesis vero ponit demonstrandam non tam ipsam doctrinam de inseparabilitate contractus a sacramento, quam eiusdem *catholicam certitudinem*. Hinc opus erit, ut demonstratio positivis catholici magisterii documentis innitatur.

1102. DEMONSTRATIO. — Ex principiis fidei, quæ certa hic supponimus, *catholica* haberi debet illa doctrina, quæ licet nondum definita proprie de fide, tamen vel certo deducitur ex Ecclesiæ magisterii definitionibus, vel in eis diserte tanquam *vera* et omnino tenenda reperitur. Atqui talis est doctrina, quæ ponit inseparabilem esse contractum Matrimonii et sacramentum inter christianos. Ergo proposita doctrina tanquam catholica haberi debet, adeoque ita certa, ut opposita sit plus quam temeraria.

Probo *minorem:* Ea doctrina 1° certo deducitur ex decreto Eugenii IV ad Armenos et ex modo loquendi concilii Tridentini. Revera Eugenius manifeste loquens de Matrimonio, quatenus est sacramentum, docet: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Atqui mutuus consensus verbis expressus est contractus. Ergo ipse contractus efficit sacramentum matrimonii. Item Conc. Tridentinum, Sess. 24, c. 1 *de reformatione* docet, matrimonia clandestina rata et vera esse Matrimonia, proinde et sacramenti habuisse rationem, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit. Atqui in matrimonio clandestino nihil habes præter contractum matrimonialem. Ergo hic ipse est sacramentum.

Imo 2° ea doctrina diserte affirmatur a Pio VI, et adhuc clarius a Pio IX uti omnino tenenda pluries proponitur. Revera Pius VI ad episcopum Motulensem scribit: *Contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis* (1). Pius IX autem in *allocutione* 27 Sept. 1852 legem de matrimonio civili in Neogranatensi Republica latam ex ea ratione damnat, quod: *Nemo ex catholicis ignoret aut ignorare possit, Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles Matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris præter sacramentum coniunctionem, cuiuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali fœdere sacramentum separari nunquam posse* (2). Exinde in syllabo damnatæ notantur propositiones LXVI: *Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est;* et LXXIII: *Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis Matrimonium, falsumque est aut contractum Matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.*

Expressius 3°, si id possibile est, totam hanc doctrinam declarat Leo XIII in sua celeberrima Encyclica *Arcanum* (3), quæ tota est de Matrimonio christiano. Ait enim: *Nec quemquam moveat illa tantopere a Regalistis prædicata distinctio, vi cuius contractum nuptialem a sacramento distinguunt.... Etenim non potest huiusmodi distinctio, seu verius distractio, probari; cum exploratum sit in Matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum.* Huius autem doctrinæ Summus Pontifex intrinsecas rationes affert. Prosequitur enim: « Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit Matrimonium; Matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure. Huc accedit, quod ob hanc caussam Matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et

(1) Brevi 16 sept. 1788.

(2) Pius IX id ipsum declaraverat in literis ad Sardiniæ regem datis 19 sept. 1852, et in damnatione operum Joannis Nep. Nuytz.

(3) 10 feb. 1880.

imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia: istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summæ coniunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se colligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum Matrimonium. Itaque apparet, omne inter christianos iustum coniugium in se et per se esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam sacramentum esse decus quoddam adiunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus, quæ a contractu disiungi ac disparari hominis arbitratu queat » (1).

1103. Si autem quæris, cur verum sit non modo quod Sacramentum sit ipse contractus, sed etiam quod *omnis* legitimus contractus sit Sacramentum, respondendum est, id unice posse explicari ex Christi voluntate *antecedente* seu *independente* ab hominum voluntate.

Christus enim non instituit aliquem ritum, qui per se iuxta intentionem agentis posset ad diversos fines referri; sed voluit esse sacramentum pro christianis, ad quos solos Sacramenta Christi pertinent, ipsum simpliciter matrimonium, illud ipsum quod ab initio institutum est, quod est signum unionis Christi cum Ecclesia (Eph. v), quo Deus ipse coniunxit virum et fœminam (Matth. xix). Matrimonium autem est ipse contractus iam factus. Consequitur, quod non pendet a voluntate fidelium disiunctio contractus et Sacramenti, ita ut possit esse contractus matrimonii, quin sit sacramentum. Poterit quidem fidelis, deficiente intentione contrahendi, efficere, ut non existat contractus matrimonialis, sed non ut existat contractus matrimonialis non Sacramentum; quia in arbitrio ministri posita est quidem existentia rei, non vero essentia rei.

Item sequitur quod, quousque habetur intentio coniunctionis maritalis, eo ipso semper implicite habetur intentio sacramenti. Et non est idem de Baptismate, nam Christus non fecit sacramentum omnem ablutionem aquæ simul cum qualibet prolatione verborum *ego te baptizo...*; sed illam solam, quæ fieret ut ritus suæ religionis. Unde oportet, ut minister sciat saltem ritum baptismalem haberi in religione nostra ut sacrum et habeat intentionem faciendi id quod christiani intendunt (2).

(1) Idem iam docuerat Leo XIII in literis ad episcopos pedemontanos 1 iun. 1879, nimirum Regalistarum doctrinam circa Matrimonium fundari " sopra un errore dogmatico più volte condannato dalla Chiesa, quale è quello di ridurre il Sacramento ad una estrinseca cerimonia e alla condizione di un semplice rito; dottrina che sovverte l'essenziale concetto del matrimonio cristiano, nel quale il vincolo connubiale, santificato dalla religione, s'identifica col Sacramento e costituisce inseparabilmente con esso un solo oggetto ed una sola realtà. „

(2) Billot, *de Matrimonio*, th. xxxvii.

Merito igitur damnata est aulicorum de Matrimonio doctrina, quæ fundamentum præbuit illius institutionis, quam vocant: *Matrimonium Civile.*

1104. Contractus matrimonialis seu *matrimonium in fieri* est igitur id, quod dicitur *Sacramentum tantum,* dum *res* Sacramenti est gratia sanctificans ex opere operato sponsis collata.

Matrimonium vero *in esse,* seu vinculum maritale exsurgens ex illo contractu Sacramento, erit *res simul et Sacramentum,* quia significatur et simul significat. Revera per ritum extrinsecum, seu expressionem consensus, fit unio seu vinculum, quod proinde ab eo ritu *significatur,* ipsum vero vinculum *significat* tum (theoretice) unionem Christi cum Ecclesia, tum (practice) gratiam seu sanctitatem, quæ sibi debetur et qua unio Christi cum Ecclesia supernaturali modo repræsentatur; huic enim vinculo ex Christi instituto gratia sanctificans debetur, quæ cum vinculo incipiente confertur et manet, quæque per lethale peccatum amitti quidem potest, sed ab eodem vinculo exigitur. Vinculum igitur significatur et significat, unde res est et Sacramentum, et Sacramentum manens, quia vinculum manet. Manet tamen, non ut aliquid *physicum,* sicut corpus Christi sub speciebus et character sacramentalis, sed ut aliquid *morale.*

1105. Quare Sacramentum Matrimonii cum *fit,* non est alia res, quam ipse contractus, et cum *manet,* non est alia res ab ipso vinculo, seu Sacramentum Matrimonii et Matrimonium sunt una eademque res.

COROLLARIA.

I. *De Ministro huius Sacramenti.*

1106. Hæc quæstio per se soluta dicenda foret a thesi præcedente, quia, si contractus matrimonii est in re ipsum matrimonii Sacramentum, manifeste, apparet contrahentes ipsos, dum contractum perficiunt, perficere etiam Sacramentum, ideoque esse huius Sacramenti ministros.

Nihilominus utile erit hanc veritatem *directe* seu propriis argumentis breviter demonstrare, tum ratione polemica, tum ut veritas anteactæ thesis confirmetur.

1107. Novam doctrinam de sacerdote, christiani coniugii ministro, invexit Melchior Canus (1566) in suo celeberrimo opere » De locis theologicis. » — Eius doctrinam initio pauci, deinde vero plures theo-

logi amplexati sunt, quos inter Silvius, Estius, Drouin, Tournely et alii: maior pars tamen theologorum oppositæ et antiquæ sententiæ semper adhæsit, quæ sententia post novissima Rom. PP. documenta non modo dici debet cum S. Alphonso « moraliter certa, » sed unice vera, quippe iam pertinet ad doctrinam catholicam. Argumenta ducimus ex doctrina Trid. Concilii et ex praxi Ecclesiæ.

Ex *doctrina Concilii Trid.* (Cap. I, sess. 24, *de Reform. Matrimonii)* ita argumentamur: *a)* Trid. Synodus declarat, matrimonium sine sacerdotis præsentia *clanculo* contractum, antequam decreto « Tametsi » irritum fieret, ubique *fuisse* et adhuc *esse* Sacramentum in quibus locis lex ista Concilii non fuerit promulgata. Atqui Sacramentum sine ministro non conficitur; in clandestino autem matrimonio in quo sacerdos deest, minister esse nequit nisi uterque contrahens matrimonium, qui unice adest. Ergo ex Concilio Trid. contrahentes sunt ipsi Sacramenti Matrimonii ministri.

Maior prob. Trid. PP. *clandestina* illa matrimonia vocant *vera et rata;* quo nomine iuxta sacros canones et receptum loquendi modum theologorum ea tantum coniugia decorantur, quæ proprie dicta *Sacramenta* sunt. Iuxta enim Decretum Innoc. III (Decret. lib. IV, tit. 19, c. *Quanto).* « Etsi matrimonium *verum* inter infideles existat, non tamen est *ratum;* inter fideles autem *verum* et *ratum* existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed *ratum* efficit coniugis Sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret. »

Ante Trid. iam docuerat S. Thomas « in matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad producendum proximum effectum, qui est obligatio, quia quicumque est sui iuris, potest se alteri obligare, et ideo sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi de essentia Sacramenti » (1).

b) Si minister Sacramenti Matrimonii esset sacerdos, ad *validitatem* huius sacramenti requireretur omnino, quod ipse essentialem formam sacramenti in aptis et determinatis verbis conceptam *proferret.* Atqui Decretum citatum non postulat ad Matrimonii validitatem, quod parochus vel sacerdos delegatus verba aliqua proferat tanquam *formam substantialem.* Ergo in sensu Trid. Concilii parochus vel sacerdos non est minister Sacramenti Matrimonii.

Maior prob., quia per solam præsentiam citra ullam actionem nemo est minister Sacramenti, unde si sacerdos est minister Sacramenti Ma-

(1) *Supp.* 45, 5 et II *Sent.* D. 28, q. 1, a. 3 ad 2.

trimonii, actio in Sacramentum et non tantum præsentia ei adiudicanda foret.

Minor prob. Concilium totum est in præscribenda præsentia parochi vel sacerdotis tanquam testis publici et qualificati, non vero in præscribenda prolatione verborum: quod magis confirmatur si, ut refert Pallavicinus in historia Concil. Trid., animadvertatur, quod in primis tribus formulis huius decreti ne mentio quidem de parocho facta fuerat, sed solummodo de trium testium præsentia.

Relate vero ad verba, quæ proferre debeat parochus vel sacerdos delegatus, Concilium ita statuit: « Parochus, viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto, *vel* dicat: ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: *vel aliis* utatur *verbis,* iuxta receptum uniuscuiusque provinciæ ritum. » Inauditum autem est, formas essentiales sacramentorum arbitrio sacerdotis relinqui, et noverant Patres in variis provinciis adhiberi verba non modo materialiter sed etiam formaliter diversa (1).

Ex *praxi Ecclesiæ.* — *a)* In iure canonico *diaconus* parochus Matrimonio adsistit; *b)* Ex Decr. S. Off. 1 Iulii 1863 habetur « ... quando difficilis nec tutus est accessus et ignoratur quandonam parochus haberi possit, et prævideatur spatio saltem unius mensis a loco abfuturus, nullusque alius sit, qui vices parochi suppleat, *Matrimonium valere absque præsentia parochi,* servata in eo quo potest forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus; » *c)* Pluries responsum fuit a SS. Cong. valere matrimonium etiamsi parochus adstiterit casu et etiam nolens et contradicens; *d)* In revalidando matrimonio, quod nullum fuerit ex causa *occulta,* nullum amplius requiritur parochi ministerium, sed sufficit quod privatim consensus in matrimonium detur. Iamvero hæc omnia inexplicabilia forent, si minister Sacramenti Matrimonii esset sacerdos.

Igitur ipsi contrahentes sunt ministri Sacramenti Matrimonii et verba, quæ iuxta rituale profert sacerdos, non fundunt sensum *sacramentalem,* sed *sensum ritualem authenticæ declarationis in facie Ecclesiæ.*

II. *De materia et forma huius Sacramenti.*

1108. Duplex potissimum est sententia: *prima* (Vasquez) ait, corpora contrahentium *(remote)* seu melius ius *datum* et *acceptum* in corpus alterius *(proxime)* esse *materiam:* signa *vero externa,* quæ consensum

(1) De Augustinis p. 207.

exprimunt, seu ipsum consensum expressum esse *formam*. *Secunda* vero sententia (Suarez, Bellarminus, Sanchez etc.) contendit in ipsis signis externis, quæ consensum exprimunt, *materiam* et *formam* haberi, materiam nempe prout signa exprimunt *traditionem* potestatis, formam prout exprimunt *acceptationem*, qua contractus absolvitur.

Prior sententia non ponit præter formam nisi *materiam circa quam* et suadetur ex natura omnium contractuum, quorum materia remota est idipsum, circa quod ius aliquod traditur et acceptatur; materia proxima ipsum ius traditum et acceptum; forma autem ipsa traditio et acceptatio seu ipse contractus aliquo signo expressus.

Verum licet id non negemus, negari pariter nequit, inveniri posse etiam *materiam ex qua* in ipso contractu. Revera in ipso contractu distingui potest pars per se determinabilis et præsupposita ab altera et pars per se determinans priori accedens eamque complens. *Traditio* enim potestatis natura sua acceptationi præsupponitur et proinde per se est determinabilis, dum *acceptatio* accedit traditioni et ideo per se determinat et complet contractum. Verba igitur vel signa prout exprimunt mutuam traditionem se habent veluti *materiam*, prouti vero exprimunt acceptationem, se habent ut *formam*. Hanc sententiam Benedictus XIV amplexatus est in Epist. ad Episc. Goanum.

1109. Dices: Eugenius IV in Decr. pro Armenis dum de unoquoque Sacramento *materiam*, *formam* et *ministrum* assignavit, de matrimonio loquens tantummodo statuit: « causa *efficiens* Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus (1). »

Resp. Hoc ipsum probat, quod in ipso *consensu* inveniatur *causa efficiens* et simul *materia* et *forma*.

Instabis: Si mutuus consensus est causa *efficiens* Matrimonii, profecto nequit esse causa *materialis* et *formalis*.

Resp. Sub eadem ratione *conc.*, sub diversa ratione *nego*. Consensus enim, quatenus causat vinculum, est causa *efficiens*; quatenus acceptando determinat traditionem compartis, est *forma*; quatenus ut traditio ab acceptatione compartis determinatur, est *materia*.

Speciale enim est Matrimonio, quod sit contractus: in contractu autem non est distinctio realis inter materiam ex qua et formam, sed idem

(1) Cfr. Denzinger. Cave ne illud *regulariter* referas ad vocabulum *causa*; secus dicendum esset, quod adsit in Sacramento causa regularis et causa irregularis: quod absonum est. Illud *regulariter* refertur ad illud " *per verba de præsenti* „ quia consensus revera dari *aliquando* potest inter *absentes* per procuratorem et dari aliis signis e. g. nutibus, scripto etc. non verbis.

consensus sub diverso respectu est materia et forma. Item non repugnat quod *idem* sit causa efficiens et materia contractus remota, ut patet in eo, qui se vendit in servum. Quamvis autem Florentinum dixerit, Sacramenta perfici materia, forma et ministro, non tamen dixit, hæc tria in omnibus Sacramentis *realiter* esse distinguenda.

III. *De subiecto huius Sacramenti.*

1110. Subiectum huius Sacramenti est omnis homo *baptizatus* et nullo *impedimento laborans* sive naturali sive divino positivo, sive canonico. Dixi: ... *baptizatus*, quia ex baptismo capacitas ad alia Sacramenta. Dixi: ... *nullo impedimento laborans*, etc. quia, ut inferius videbimus, capacitas impediri potest a iure naturali, divino et canonico. Hinc:

1.° Matrimonia inter *christianos* omnes, etiam *hæreticos* aut *schismaticos*, rationem habent *Sacramenti*, si rationem habent *contractus*. Eo ipso enim, quod homines baptizati *verum matrimonium* inire velint, id totum volunt quod Deus instituit et ita volunt, ut a Christo statutum est: imo etsi sacramentalem matrimonii naturam ignorent, aut seipsos ministros esse nesciant, nihilominus prævalens voluntas est contrahendi iuxta Dei et Christi statuta. Verum, si quis baptizatus *positive* nolit matrimonium ut rem religiosam et sacram, idque voluntate ita prædominante, ut potius eligat nullum matrimonium quam matrimonium ut rem religiosam, tunc nec verum Matrimonium sub ratione contractus contraheret.

2.° Matrimonium *infidelium* licet valeat sub ratione contractus, non est tamen Sacramentum. Quid, si uterque coniux infidelis postea baptizetur?

Resp. A) Si post baptismum *explicite* renovetur consensus, *probabilius* est, quod matrimonium fiat Sacramentum. Ita tenent Bellarminus, Sanchez, Perrone, etc. contra Salmaticenses, Tournely, Billuart etc.

Et sane *a)* in Ecclesia ephesina, ad quam Paulus misit epistolam, de qua locuti sumus, probabiliter admitti nequit, omnes coniugatos nonnisi post baptismum matrimonia inivisse, sed potius admitti debet quosdam fuisse vinculo maritali iamdiu colligatos: Apostolus vero omnes indiscriminatim docet, eos verum et proprie dictum Sacramentum coniugii suscepisse. *b)* Matrimonium baptizatorum ex dictis est Sacramentum; atqui suscepto baptismo, matrimonium fit baptizatorum; ergo. *c)* Opponit Billuart: Sacramentum matrimonii consistit in ipso fieri contractus et in actione transeunte: atqui in casu non potest fieri *novus*

contractus matrimonii, quia res semel donata et tradita cum non sit amplius sub dominio donatoris, nequit amplius valide donari. Ergo etc. Sed contra: nequit fieri contractus *novus simpliciter* et *secundum* se conc., *moraliter et secundum quid* nego. Etenim consensus in traditionem rei *novo titulo* et modo *insolubiliter* factam, est moraliter diversus a consensu in traditionem rei absque tali titulo et modo; consensus igitur coniugum baptizatorum, cum sit consensus in mutuam traditionem iuris in corpora novo titulo et modo factam (nimirum insolubilem ratione Sacramenti et perfectæ significationis indissolubilis coniunctionis Christi cum Ecclesia), fit consensus matrimonialis moraliter diversus a consensu ante baptismum præstito. Ita ex. gr. vota *solemnia* a *simplicibus* distinguuntur, quia vota solemnia pariunt obligationem magis firmam et insolubilem.

Resp. B) Imo etiamsi coniuges infideles post baptismum susceptum *expresse* consensum non renovaverint, *probabile* nihilominus est, quod matrimonium fiat Sacramentum.

Eo ipso enim quod coniuges baptizantur, *implicite* consentiunt in matrimonium antea contractum ita, ut fiat *indissolubile* et *repræsentet* unionem Christi cum Ecclesia, scilicet consentiunt in consensum *novum moraliter* et *secundum quid*.

Accedit quod Ecclesia *expressam* renovationem consensus non requirit, quam certe præscriberet, si, ea deficiente, coniuges sacramento Matrimonii et gratiis eidem adnexis carere deberent.

3° Matrimonium tandem fidelis cum infideli (remoto ad rei validitatem ecclesiastico impedimento) dubitatur: utrum sit Sacramentum necne ex parte coniugis fidelis.

Negant Sanchez, Hurter, De Augustinis etc., tum quia matrimonium hoc non amplius repræsentat eam unionem supernaturalem inter Christum et Ecclesiam, quæ essentialis est in Matrimonii Sacramento, tum quia Sacramentum Matrimonii essentialiter est contractus; unde quemadmodum contractus unus est inter duos, ita sacramentum necessario fit unum in duobus, et quemadmodum ad unum contractum efficiendum essentialiter requiruntur duo habiles ad contrahendum, ita ad sacramentum conficiendum requiruntur duo habiles ad contrahendum sacramentaliter.

Affirmant vero Salmaticenses, Tournely, Perrone etc. Unus enim, aiunt, est contractus, qui est causa gratiæ, quam producit in eo, qui gratiæ est capax. Iamvero non repugnat quod gratiam unus recipiat, alter non; neque repugnat quod infidelis sit minister alicuius sacramenti, ut est in baptismo.

SCHOLION.

De Matrimonii proprietatibus.

1111. Sanctitate sacramenti novo robore confirmantur duæ præcipuæ Matrimonii proprietates, quæ sunt *unitas* et *indissolubilitas*. Unitas est coniunctio unius viri cum una muliere. Adversatur ei *polygamia* non quidem *successiva* (1), sed *simultanea*, quæ vel dicitur *polyandria* seu pluralitas virorum, vel dicitur *polygynia* seu pluralitas uxorum. — Indissolubilitas est perpetua firmitas vinculi, quod matrimonialis contractus inter coniuges producit; unde fit ut Matrimonium non sicut alii contractus vel ad tempus iniri vel postquam initum fuerit, contrahentium voluntate solvi possit.

Utraque proprietas comparari potest vel cum lege naturali, vel cum lege divina positiva, eâque secundum institutionem sive primitivam, sive christianam.

1112. In comparatione cum iure naturæ, *polyandria simultanea* est omnino illicita et irrita eo ipso, quod positive excludit fines omnes Matrimonii tum scilicet procreationem et educationem prolis, tum individuam vitæ consuetudinem. *Polygynia simultanea* vero non adversatur *primis* legis naturalis præceptis, quæ scilicet præcipiunt id, quod est essentiale fini a natura intento. Nam pluralitas uxorum neque tollit totaliter neque impedit Matrimonii finem primarium, qui est procreatio et educatio prolis. Hinc in Veteri Lege permissum fuit, plures habere simul uxores. Impeditur tamen, licet totaliter non tollatur, secundarius finis, qui est vitæ communio. Hinc polygynia illis *secundariis* præceptis naturæ adversatur, quæ præcipiunt vel suadent id, quod fini congruum est (2).

Pariter cum iure naturæ *solubilitas* Matrimonii comparari potest. Si ea permitteretur simpliciter *arbitrio utriusque coniugis* ita, ut coniuges ipsi, quotiescumque et quacumque ex causa voluerint, coniugii vinculum solvere possint, tunc Matrimonii solubilitas repugnaret *primariis* naturæ

(1) Cfr. I *Corint.* VII, 39. Verum est quod Patres Græci, præsertim Nazianzenus et Basilius, in tertias et aliquando secundas nuptias irruunt, sed non quatenus ulteriores nuptias putarent illicitas, verum quatenus, severiori disciplinæ insistentes, iudicabant contrahentium affectum in libidinem effundi, idque minus congruere sanctitati Sacramenti. Quod si Eccl. Græca sec. X eo progressa est, ut quartas nuptias damnaverit, id Ecclesia Romana nunquam adprobavit, quamvis pro bono pacis praxim græcorum aliquando toleraverit. Tamen etiam in Eccl. R. bigami sunt *irregulares*.

(2) S. Thomas, *Supplem.* q. 65, 1.

iuribus, ut quisque videt. Verum si ea regeretur *certis legibus* potiora incommoda caventibus, tum *primario* naturæ iuri non repugnaret. Secus Deus eam non permisisset in Veteri Lege. Verum si spectentur ea, quæ Matrimonio per se maxime congruunt, ut perfecta potestas tradatur perfectaque obligatio suscipiatur, ut certius bono prolis provideatur, ut communio vitæ firmior et sanctior sit; tunc dicendum est, solubilitatem *secundariis* hisce naturæ præceptis opponi.

1113. In comparatione cum primitiva Matrimonii institutione, asserendum esse omnino videtur, quod tunc Deus præcepta secundaria iuris naturæ, tum de unitate tum de perpetuitate Matrimonii, *lege positiva* sancierit. Id tanquam rem indubiam affirmat Leo XIII in supra laudata Encyclica: « Illa viri et mulieris coniunctio (i. e. Adæ et Hevæ coniunctionum deinceps contrahendarum exemplum et norma), quo sapientissimi Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore, duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas præ se tulit proprietates, nimirum *unitatem* et *perpetuitatem*. Idque declaratum aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus divina Iesu Christi auctoritate, qui Iudæis et Apostolis testatus est, Matrimonium ex ipsa institutione sui dumtaxat inter duos esse debere, scilicet virum inter et mulierem; ex duobus unam veluti carnem fieri; et nuptiale vinculum sic esse Dei voluntate intime vehementerque nexum, ut a quopiam inter homines dissolvi, aut distrahi nequeat. *Adhærebit* (homo) *uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* (1). » Si igitur ab initio ita res erat; nonnisi *divina dispensatione* factum est, ut aliquando in V. T. polygynia liceret, et possent viri repudiare uxores, iuxta permissionem, quam Moyses dederat ad *duritiam cordis* eorum (2). Verum hanc dispensationem abrogavit Christus expressis verbis (3); unde Matrimonium omne, etiam infidelium, manet adhuc iure primitivæ institutionis divinæ, sicut erat ab initio, unum et indissolubile.

Matrimonium tamen infidelium, etiam consummatum, dissolvi potest quoad vinculum, si alter coniux convertatur ad fidem, alter vero renuat cohabitare, aut non sine iniuria Creatoris vel damno spirituali fidelis.

(1) Matth. XIX, 5-6. Porro hic monogamiam et inseparabilitatem Matrimonii Christus infert ex verbis Adami. Ergo ea doctrina practica, seu lex divina, iam in illis verbis continebatur, eamque Christus solum *apertius docuit*, uti loquitur Tridentinum, sess. XXIV, *proœm. de sacr. Matr.*

(2) Matth. XIX, 8.

(3) Matth. l. c.

Verum hæc Matrimonii solubilitas non est *intrinseca*, seu ab ipsorum coniugum potestate pendens, sed est *extrinseca*, quæ scilicet fit auctoritate ipsius Dei, qui solus potest solvere quod ipse coniunxit. Auctoritatem suam in hac re Deus manifestavit per Apostolum, I Cor. VII, 12-15 (1), eamque per Ecclesiam, verborum Pauli interpretem, exercet. Ad rem Innocentius III, c. 7 *de divortiis.*

1114. Si denique secundum legem christianam consideretur Matrimonium, certum est *de fide*, illud in christianis nonnisi inter duos, et quidem vinculo omnino indissolubili esse debere. Unitatem enim definivit synodus tridentina sess. XXIV, can. 2: *Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; a. s.* Vinculi autem perpetuitatem statuit can. 5° et præsertim 7°, quo casus etiam adulterii negatur esse causa sufficiens solutionis: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi...; a. s.* (2). Et revera Christus ipse dignitatis humanæ restitutor legumque mosaicarum perfector, hanc duplicem proprietatem auctoritate sua Matrimonio confirmavit et iussit. Nam, ut præclare ait Leo XIII, « Matrimonium revocavit ad primævæ originis nobilitatem, cum Hebræorum mores improbando, quod et multitudine uxorum et repudii facultate abuterentur; tum maxime præcipiendo, ne quis dissolvere auderet quod perpetuo coniunctionis vinculo Deus ipse constrinxisset. Quapropter cum difficultates diluisset ab institutis mosaicis in medium allatas, supremi Legislatoris suscepta persona, hæc de coniugibus sanxit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur; et*

(1) Circa originem huius *privilegii* est duplex sententia. Nonnulli censent hoc privilegium esse *iuris humani*, datum scilicet ab Apostolo potestate Apostolica pro Corinthiis et deinde a Papa ad totam Ecclesiam extensum. Alii docent esse *iuris divini* nempe ab ipso Christo Domino statutum et ab Apostolo tantum promulgatum. Primæ sententiæ favent Auctores " Disputationis Apostolicæ Sedi exhibitæ a PP. S. I, qua R. P. vindicatur potestas solvendi matrimonium consummatum infidelium. „ Cf. Zitelli, *De disput. matrim.* App. XI.

(2) Usa est Synodus hac *indirecta* forma definitionis, ne damnarentur Græci, qui in *praxi* admittunt Matrimonii solubilitatem in casu adulterii. Hinc alicui theologo hæc catholica doctrina videtur esse non explicite *de fide*, sed potius *fidei proxima*. Hurter, *Th. dog. compend.* tom. III, n. 672, adnot. 2ª. Ceterum canon non est mere disciplinaris, sed omnino *doctrinalis*, imo stricte *dogmaticus* adstruens scilicet fidei dogma ab omnibus credendum, cuius tamen obiectum directum est inerrantia Ecclesiæ in ea re docenda; indirectum vero est ipsa res, seu indissolubilitas coniugii.

qui dimissam duxerit, mœchatur (1).... Similiter Apostolis auctoribus didicimus unitatem, perpetuamque firmitatem, quæ ab ipsa requirebatur nuptiarum origine, sanctam esse et nullo tempore violabilem Christum iussisse. *Iis qui matrimonio iuncti sunt,* idem Paulus ait, *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari* (2). Et rursus: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit: quod si dormierit vir eius, liberata est* (3). » — Itaque ex dictis constat, Matrimonii christiani *unitatem* et *indissolubilitatem* omnino esse divinam legem a Christo latam, ab Apostolis traditam et ab Ecclesia definitam. Cuius legis ratio, pro Matrimonio christiano specialis, est significatio unionis Christi cum Ecclesia. Sicut enim Christus totum suum amorem in unam Ecclesiam et quidem perpetuo transtulit, ut unus uni indissolubiliter adhæreret; ita et vir christianus unam uxorem eamque perpetuo diligere debet, ut unus uni stabili vinculo copuletur.

Attamen ab indissolubilitate exceptio dari videtur quoad Matrimonium ratum non consummatum, de quo constat, dirimi quoad vinculum posse, in duplici casu: sive per solemnem religionis professionem alterius coniugis, prouti definivit Tridentinum, sess. citata can. 6; sive, gravissima intercedente causa, per dispensationem Summi Pontificis, iuxta certam theologorum et canonistarum doctrinam (4). Verum hæc solubilitas est *extrinseca,* cuius auctor est Deus. Quod si Matrimonium christianum consummatum, nedum *intrinsece,* sed etiam *extrinsece* indissolubile est; huius rei ultima ratio est, quia Deus ita voluit. Ratio autem congruentiæ cur Deus ita voluerit, alia assignari nequit quam dignitas Sacramenti, sed *integre spectata,* nempe coniuncta cum significatione unionis indissolubilis Christi cum Ecclesia *per carnem as-*

(1) Matth. XIX, 9. Occurrunt similia Marc. X, 11; Luc. XVI, 18; ad quæ exigi debent etiam Matthæi verba, ne alicui difficultatem faciat illa exceptio: *nisi ob fornicationem.* Ex variis huius loci interpretationibus communior est, quæ ita effertur: *Quicumque dimiserit uxorem suam (quod non licet nisi ob fornicationem), et aliam duxerit (priore vivente, sive hæc sit, sive non sit adultera) mœchatur.* Scilicet in casu adulterii permittitur *dimissio* uxoris, i. e. quoad thorum et cohabitationem, non vero *solutio* vinculi ita, ut uterque vel alteruter coniux novum matrimonium inire possit. Quod vero illa simplex dimissio seu separatio cohabitationis fieri possit ob varias causas, præsertim ob fornicationem, doctrina est definita a Tridentino l. c. can. 8.

(2) I *Cor.* VII, 10-11.

(3) Ibid. V, 39.

(4) Benedictus XIV, quæst. 546, n. 36. Cf. Perrone, *De Matrim. christ.* tom. 3, sect. 2, c. 6.

sumptam. Quæ ratio in Matrimoniis ratis et non consummatis, non est integra iuxta illam perfectionem secundam, quæ in operatione consistit (1).

1115. Quibus aliisque omnibus attentis, quæ de Matrimonio christiano diximus, aut dici possent, iure concludimus, illud esse, « *sacramentum magnum, honorabile in omnibus* (2), pium, castum, rerum altissimarum imagine et significatione verendum (3).

CAPUT III.

DE ECCLESIÆ IN CHRISTIANORUM MATRIMONIUM POTESTATE.

1116. In hac quæstione principium prænotandum est quod: Matrimonium *alicui Auctoritati in sua triplici functione legifera, iudiciali, punitiva subesse debet.*

Revera Matrimonium, cum sit *contractus,* (4) postulat ad instar cæterorum contractuum subesse publicæ auctoritati regenti eam societatem, in qua contractus formaliter peragitur. Nam natura non omnia ἐν ἀτόμῳ determinavit quæ requiruntur, ut contractus etiam qui iure naturæ fiunt, fiant ut oportet: sed ea reliquit determinanda publica auctoritate, quæ in bonum sociorum a Deo obtinuit potestatem constituendi formam, iuxta quam naturales contractus licite vel valide fiant *(potestas legifera),* iudicandi de valore contractus, qui factus fuerit *(potestas iudiciaria* in quæstione facti) et tandem obligandi, mediantibus pœnis socios ad leges observandas *(potestas punitiva seu coercitiva).*

Idem de matrimonio dicendum. Nam neque ad ineundum contractum matrimonialem natura vel eius institutor, scilicet Deus, omnia singillatim determinavit e. g. quoad gradus consanguinitatis, affinitatis etc.; in quibus sola ratio per se nihil plerumque determinat, utrum oporteat an non permitti coniugium. Etiam hic ergo necessaria est *publica aucto-*

(1) S. Thomas, III, 42, 3.

(2) *Eph.* V, 32; *Hebr.* XIII, 4.

(3) Encycl. *Arcanum.*

(4) Verum quidem est Matrimonium ab aliis contractibus sua specialitate ita differre, ut non immerito aliqui Canonistæ illud *Instituti* nomine maluerint appellare: tamen quod sub generica saltem contractus ratione illud veniat, nemo sanæ mentis denegare est ausus.

ritas, quæ saltem determinet ac definiat ea, quæ naturali lege et divino iure non satis constant; cum absonum et moraliter impossibile sit uniuscuiusque arbitrio hæc omnia relinquere. Publica igitur auctoritas gaudebit iure *legifero* in matrimonium, iure scilicet constituendi formam iuxta quam licite et valide matrimonium fiat, et ideo simul prohibendi vel etiam irritandi matrimonia aliter facta. Gaudebit pariter iure *iudiciali* in matrimonio iam contracto, ubi dubium vel quæstio exoriatur circa vinculum matrimoniale. Gaudebit pariter iure coercitivo. Hucusque omnes consentiunt theologi, philosophi legumque periti.

1117. Quæstio dumtaxat est de *subiecto huius publicæ auctoritatis* scilicet de hac auctoritate *in concreto* sumpta: utrum sit *societas civilis* quâ talis seu Princeps quâ talis, an *societas religiosa* quâ talis seu Sacerdos Summus et pro fidelibus Ecclesia seu Romanus Pontifex.

1118. In hac re diversimode errarunt non modo hæretici, sed et catholici sive dubiæ sive bonæ fidei theologi et canonistæ. Potestatem sive *legiferam* sive *iudiciariam* (1) in Matrimonium *Civili Societati* ideoque *Principibus* competere et quidem privative seu *exclusive,* docuerunt Calvinus, Lutherus et apostata De Dominis, huic rationi innixi, quod Matrimonium sit contractus *mere civilis.*

Launoius doctor sorbonicus, præmissa distinctione inter *ius nativum* et iuris *exercitium,* ius nativum in Matrimonium Principibus adiudicavit, Ecclesiæ vero exercitium potestatis concessit, idque per usurpationem vel Principum concessionem. Ne autem videretur doctrinæ a Trid. in can. 3, 4 et 12 sess. 24 propositæ contra ire, asseruit hos canones *disciplinares* esse, non vero *dogmaticos* et nomine *Ecclesiæ* vel *iudicis ecclesiastici* designari seculares principes, quorum concessione Ecclesia leges ponit circa Matrimonium. Perversam hanc canonum interpretationem refutarunt theologi et merito.

Canones enim citatos esse *dogmaticos,* patet, tum ex *forma* ipsa canonum in re doctrinali *s. q. d. a. s.,* tum ex *scopo* Concilii, quod protestatur « hæreses et errores exterminare » velle, tum ex *distinctione* peracta inter « Doctrinam de Sacramento Matrimonii » cui illi canones adnectuntur, et « Decretum de Reformatione Matrimonii », tum demum ex catholicorum theologorum *consensu* et ex conciliis particularibus post Tridentinum celebratis.

Nomine autem *Ecclesiæ* intelligi veram et propriam auctoritatem ec-

(1) De coercitiva potestate non loquimur, quia nec quæstio habetur nec distincta mentio requiritur.

clesiasticam ad exclusionem sæcularis potestatis, patet tum ex *sensu obvio* verborum, tum quia sermo est de Ecclesia *docente*, quæ *errare* non potest, tum quia agitur de affirmanda potestate illi *Ecclesiæ* cui Novatores potestatem denegabant, tum quia agitur de illa Ecclesia, quæ absque *Principum consensu* novum constituebat Matrimonii dirimens impedimentum et quæ *contra ipsum Principum postulatum* noluit declarare irritum matrimonium filiorum familias contra parentum voluntatem contractum.

Remota falsa canonum Tridentini interpretatione, doctrina Launoii fuit nihilominus retenta ab aulicis theologis et canonistis, qui fatentes Trid. Concilium in c. 4, dogmatice declarasse potestatem in matrimonia fidelium Auctoritati ecclesiasticæ competere, observabant tamen Concilium non definiisse, utrum id esset ex *Christi institutione*, an vero *ex indulgentia Principum*, proinde liberum esse doctrinæ Launoii consentire. Recta interpretatio Tridentinorum canonum, quam in propositione dabimus, hoc theologorum aulicorum effugium destruet. Interea huius doctrinæ conclusiones in praxim deduxit an. 1783 Iosephus II, cuius exemplum secutus est Napoleon I. Infandum abusum defendere conati sunt ex nostris Aloysius Litta et Petrus Tamburini, quibus accessit conciliabulum Pistoriense.

Alii denique theologii præsertim galli (cf. Tournely, Drouin, etc.) rem temperantes docuerunt potestatem in causas matrimoniales *ex æquo* pertinere ad utramque auctoritatem sive *ecclesiasticam* sive *civilem*.

1119. Contra est *doctrina catholica*, quæ tenet et docet potestatem in matrimonia christianorum *exclusive* spectare ad Ecclesiam. Ut cetera documenta omittamus, sufficiant peremptoria verba Leonis XIII, qui in Encicl. « Arcanum » 10 februar. 1880, huic quæstioni plenam et numero absolutam dedit responsionem: « Cum matrimonium sit *sua vi, sua natura, sua sponte sacrum*, consentaneum est ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiæ, quæ rerum sacrarum *sola* habet magisterium. Deinde consideranda *Sacramenti dignitas* est, cuius occasione matrimonia Christianorum evasere longe nobilissima. De Sacramento autem statuere et præcipere ita ex voluntate Christi *sola* potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis eius *vel minimam partem* ad gubernatores rei civilis velle esse translatam. »

THESIS XXVI.

Ecclesia quoad baptizatos potestate gaudet statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, et iudicandi omnes causas matrimoniales, quæ coniugii vinculum respiciunt. Hæc vero potestas iure proprio Ecclesiæ competit; imo Ecclesiæ soli exclusive competit, nullatenus vero societati civili.

1120. Declaratio. — Quatuor sunt probanda. In 1ª parte demonstramus, Ecclesiam Christi gaudere iure *legifero* formam præscribendi secundum quam Matrimonium *licite* et *valide* contrahi debeat simulque irritandi matrimonia aliter contracta (1). Cum vero quæstio contra adversarios potissimum sit de potestate constituendi impedimenta *dirimentia*, hæc potestas directe erit Ecclesiæ vindicanda. In 2ª parte probamus Ecclesiam Christi gaudere iure *iudiciali* in iis, quæ ad vinculum matrimonii spectant, in *causis* scilicet *matrimonialibus*, sub quo nomine veniunt sive quæstiones de validitate vel invaliditate vinculi maritalis, sive quæstiones cum vinculo maritali intime connexæ. Ita se habent quæstiones de legitimitate prolis, de separatione quoad thorum et habitationem, de sponsalibus (2). In 3ª parte defendimus, Ecclesiam Christi hac potestate sive legifera sive iudiciali in Matrimonium christianum gaudere *iure proprio* a Christo nempe mutuato, non vero a principum concessione. Quin imo in 4ª parte contendimus, hanc potestatem ita *iure exclusivo* propriam esse Ecclesiæ, ut « absonum sit eiusdem potestatis vel minimam partem auctoritati civili competere. »

Prima Pars est *de fide* ex can. 4, Concil. Trid. sess. 24, de Matrim. « S. q. d. Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, a. s. » *Secunda pars* pariter *de fide* est ex can. 12, Concil. Trid. l. c. « S. q. d. causas matrimo-

(1) Irritatio *directa* dicitur, si attingit consensum ipsum, quam Ecclesia inefficacem statuit ad Matrimonium ineundum; *indirecta*, si attingit personam ipsam, quam inhabilem Ecclesia declarat ad Matrimonium christianum sive absolute sive relative ineundum.

(2) Admodum diversæ sunt quæstiones e. g. dotis, successionis etc., quæ exoriuntur quidem occasione vinculi, sed vinculo extraneæ sunt et respiciunt effectus *mere civiles*. Iamvero " .... non ipsa (Ecclesia) ignorat neque diffitetur Sacramentum Matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanæ dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quæ matrimonium quidem consequuntur sed in genere civili versantur, de quibus rebus iure *decernunt* et *cognoscunt*, qui *rei publicæ* præsunt. „ Encicl. *Arcanum*.

niales non spectare ad iudices ecclesiasticos a. s. » *Tertia pars* item *de fide* est ex Constit. « Auctorem fidei ». Pii VI, ubi opposita doctrina in prop. 59 damnatur tanquam « can. 3, 4, 9, 12, sess. 24 Concil. Trid. eversiva, *hæretica.* » Cf. Denzinger ad num. 1422. *Quarta pars* pertinet ad *doctrinam catholicam;* satis sit citasse Encicl. « Arcanum » Leonis XIII (1).

1121. Demonstratur Pars I. — 1.° Ecclesia semper usa est hac potestate et censuit se uti posse omnesque fideles suis legibus obligare. Atqui id fieri non posset, si reapse Ecclesia careret hac potestate; ergo etc. *Maior* constat ex *facto:* « nemo ignorat, ait Leo XIII, quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis, publicæ honestatis in Conciliis Illiberitano, Arelatensi, Chalcedonensi, Milevitano II aliisque fuerint ab Ecclesiæ præsulibus constituta, quæ a decretis iure imperatorio sancitis longe sæpe distarent. » *A priori* etiam suadetur, ut bene innuit Palmieri. Convenit enim inter omnes in societate bene ordinata esse leges positivas, quibus coniugium et coniugalis vinculi valor regatur ac determinetur; ergo etiam in primitiva Ecclesia leges huiusmodi esse debuerant, imo a fortiori, attenta nempe speciali ratione Matrimonii christiani, ideoque auctoritas exstabat, quæ has leges ferre posset. Porro, quis primis Ecclesiæ seculis iudex hac in re esse potuit et tales leges ferre? Profecto non *civilis auctoritas* aliena ab Ecclesia eiusque hostis: ergo auctoritas ecclesiastica.

Minor probatur, quia hoc facto constanti tum saltem implicite *docuit,* se hanc potestatem habere, tum explicite *proposuit* normam moralem fidelibus quoad coniugia, quæ norma, ubi fundamento careret induceret fideles in id, quod inhonestum est: utraque igitur ex parte error in re *fidei* vel *morum* traderetur ab Ecclesia, quod repugnat.

2.° Ecclesiæ concredita est administratio Sacramentorum; atqui Matrimonium est Sacramentum. Ergo etiam Matrimonii administratio con-

(1) Pius VI qui anno 1780 in Epist. ad Archiep. Mechlin. noluerat absolute damnare doctores catholicos, qui utrique auctoritati civili nempe et ecclesiasticæ potestatem tribuebant constituendi impedimenta dirimentia, deinde apostolici sui magisterii auctoritate doctrinam catholicam aperte proposuit. Ad Archiepisc. Motul. die 16 Sept. 1788 inter alia hæc habet. "... hinc fit ut ad *solam* Ecclesiam, cui tota de Sacramentis est cura concredita, ius *omne* ac potestas pertineat suam adsignandi formam huic contractui " postea vero rem confirmat auctoritate can. 12. Concil. Trid., cuius verba ita interpretanda esse docet ut " *omnes* causas comprehendat... eæque omnes ad iudices ecclesiasticos *unice* spectare debeant ".

credita est Ecclesiæ. Atqui ad rectam huius Matrimonii administrationem ex *natura* ipsius, scilicet contractus, requiritur, ut præscripta sit forma pro valore actus sive constitutio impedimentorum, quæ antecedenter ponat conditiones ad valide contrahendum. Ergo Ecclesiæ concredita est constitutio impedimentorum quoad matrimonii Sacramentum.

3.° Concedunt adversarii, Matrimonium quatenus Sacramentum totum subesse iurisdictioni Ecclesiæ, cui negant potestatem ponendi impedimenta dirimentia, quia hæc attingunt ipsum contractum, qui iuxta ipsos *re* distinguitur a Sacramento et est contractus civilis. Atqui econtra est, ut vidimus; contractus enim matrimonii *re* non distinguitur a Sacramento Matrimonii. Ergo contractus ipse matrimonii subest iurisdictioni Ecclesiæ.

1122. Pars II. — 1.° Ecclesia constanti et perpetuo usu iudicium in causis matrimonialibus exercuit. Atqui hoc fieri non potuisset, si competenti potestate caruisset. Ergo....

Minor patet. *Maior* probatur *ex facto:* nam, ut cetera omittamus, « omnis admirabitur posteritas, ait Leo XIII, invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium, ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum, a Cælestino III et Innocentio III adversus Alphonsum a Leone et Philippum II principem Galliarum, a Clemente VII et Paulo III adversus Henricum VIII, denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I secundis rebus et magnitudine imperii exultantem. » Res a *priori* suadetur, quia moraliter impossibile fuit, quod quæstiones de vinculo matrimoniali exortæ non fuerint; absonum est autem, quod huiusmodi quæstiones ad paganos magistratus politicos delatæ fuerint, vel proprio uniuscuiusque arbitrio resolutæ: unde fas est, imo necesse concludere ad auctoritatem ecclesiasticam tanquam ad competens tribunal detulisse christianos matrimoniales causas.

2.° Ecclesia ius habet dirimendi controversias, quæ sacramenta spectant eorumque validam administrationem. Atqui causæ matrimoniales, quæ respiciunt vinculum coniugale, sacramentum utique spectant eiusque administrationem; quia vinculum coniugale tum est effectus contractus, qui est Sacramentum in fieri, tum ipsum est Sacramentum permanens.

3.° Ille habet ius cognoscendi causas, vinculum matrimonii spectantes, ad quem pertinet statuere conditiones ad validitatem contractus matrimonialis. Atqui ex dictis has conditiones statuere ad Ecclesiam pertinet. Ergo....

1123. Pars III. — 1° Ex can. 3 et 4 Concil. Trid., ita licet cum Pio VI in Epist. ad Archiep. Trevirensem argumentari: Asseritur hic veritas *revelata* potestatis Ecclesiæ statuendi impedimenta dirimentia, quæ veritas est idcirco credenda *fide divina*. Atqui potestas Ecclesiæ fide divina credenda debet esse propria ipsius, competens ei iure divino, non autem adscititia et ex Principum concessione. Ergo potestas in Matrimonia christianorum Ecclesiæ competit *iure proprio et divino*.

Maior constat ex dictis contra Launoium. *Minor* prob.: Nam quod credendum est fide divina inniti debet divinæ revelationi; atqui si illa potestas esset ex Principum concessione inniteretur tantum iuri naturali aut sociali. Insuper, si illa potestas non esset propria Ecclesiæ sed ex Principum concessione, dogma a Trid. datum falsum fuisset et falsum esse posset; nam, ut utar verbis Pii VI, l. c., « sequeretur illud primis Ecclesiæ temporibus sub principibus nimirum ethnicis verum esse non potuisse, neque hoc tempore verum esse posse illis in locis, in quibus Christi fideles degunt sub infidelium dominatione, et si ob aliquam, ut vocant, rationem status, principes, revocata ea quæ obtenditur indulgentia et concessione, abrogare sancita ab Ecclesia impedimenta valerent, fieri posset, ut verum esse desineret, quod a Tridentino definitum est; idque portenti existeret, ut aliquando dicendum foret Ecclesiam non posse, quod Ecclesiam posse Spiritus Sanctus œcumenicæ Synodi oraculo declaravit. »

2° Ecclesia potestate legifera et iudiciali quoad matrimonia christianorum semper usa est, tanquam sibi *ex iure divino* propria. — Atqui nefas est asserere Ecclesiam vel errasse vel fallere. Ergo....

Anteced. prob. Nam ea potestate Ecclesia usa est: *a)* sub principibus infidelibus et hæreticis, a quibus stulte fingeretur concessio potestatis; *b)* quandoque contra statuta et constitutiones imperiales; *c)* declarando suum ius; imo *d)* irritando decisiones ab auctoritate civili datas in causis, quæ spectabant vinculum coniugale. Perbelle hac ratione argumentatur Leo XIII in Encicl. ab illis verbis « Magnum pondus, magna vis historiæ, etc. » et seq.

3° Ecclesia potestate, de qua agimus, eatenus gaudet, quatenus, ut vidimus, ius habet statuendi ea, quæ ad rectam Sacramentorum dispensationem pertinent. Atqui huiusmodi ius non a civili potestate, sed a Christo Domino accepit. Ergo....

1124. Pars IV. — 1° Trid. Concilium in cap. « Tametsi » docet: « dubitandum non est clandestina Matrimonia libero contrahentium con-

sensu facta rata et vera Matrimonia esse, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera et rata esse negant. » Itaque proponitur hic dogma fidei, quod nunquam falsum esse potest. Atqui posset esse falsum, si principibus quoque competeret potestas statuendi impedimenta dirimentia; his enim statutis, nec verum nec ratum esset matrimonium, quamvis Ecclesia illud non irritasset. Ergo....

2° Ecclesia hanc potestatem in principe nunquam adprobavit; imo leges civiles de impedimentis dirimentibus iugiter reprobavit. Cfr. Benedictum XIV, Urbanum VIII, Pium VIII, etc.

3° Ex opposita doctrina sequeretur, idem vinculum regi posse legibus contrariis, ideoque posse simul esse validum et non esse validum, quod est absurdum.

Dices: utraque auctoritas amice ineat aliquod fœdus, et sic evitetur absurdum.

Resp.: Si utriusque auctoritatis fœdus ad hoc esset necessarium, tunc neutra potestas in his impedimentis constituendis esset independens in ordine suo, quod relate ad Ecclesiam certe est falsum, ut vidimus in tertia parte.

4° Matrimonium pro Christianis est Sacramentum. Atqui nulla prorsus potestas in principe laico circa sacramenta eorumque validam administrationem, ideoque nulla potestas ad determinandas conditiones pro validitate Sacramenti vel ad iudicandas causas circa valorem sacramentalem. Ergo idem dicendum de Matrimonio. Effugium adversariorum iam fuit præclusum, cum demonstravimus *in re* idem esse pro Christianis Matrimonium et Matrimonii Sacramentum.

COROLLARIUM.

De Matrimonio (ut aiunt) civili.

1125. Exinde sequitur, nullum omnino esse et irritum illud, quod aiunt *Matrimonium civile*, et irritas omnino esse sententias potestatis civilis circa substantiam sive contractus sive vinculi latas, uti audivimus a Pio IX doceri, et etiam nuperrime Leo XIII declaravit hisce verbis: *Similiter omnibus exploratum esse debet, si qua coniunctio viri et mulieris inter Christifideles citra Sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione iusti Matrimonii carere; et quamvis convenienter legibus civicis*

facta sit, tamen pluris esse non posse, quam ritum aut morem, iure civili introductum; iure autem civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas Matrimonia efferunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum caussa, scilicet nuptiale vinculum, existat (1).

SCHOLIA.

I. *Etiam per se, citra Sacramenti rationem, Matrimonium baptizatorum nonnisi ab Ecclesia penderet.*

1126. In *hypothesi,* quod in Matrimonio baptizatorum præscindi velit a ratione Sacramenti, ut inspiciatur tantummodo natura contractus matrimonialis, bonæ notæ Theologi, præsertim Perrone (cfr. præclarum opus de Matrimonio Christiano), contra aliquos e. g. Cavagnis, defendunt, Matrimonium fidelium adhuc subiici solius Ecclesiæ auctoritati, quoad ea, quæ vinculum spectant. Huic sententiæ non parum suffragantur verba Leonis XIII: « Cum Matrimonium sit *sua vi, sua natura, sua sponte sacrum,* consentaneum est ut regatur ac temperetur non principum imperio sed divina auctoritate Ecclesiæ, quæ rerum sacrarum *sola* habet magisterium. Deinde consideranda Sacramenti dignitas, etc. » Hæc verba duplex hoc perhibent argumentum.

1° Matrimonium ratione vinculi ab aliqua auctoritate moderari debet, ut iam vidimus. Atqui incongruenter ab auctoritate civili moderaretur. Ergo moderari oportet ab auctoritate religiosa: atqui auctoritas religiosa pro fidelibus est in concreto Ecclesia. Ergo....

(1) Encycl. *Arcanum.* Eadem Leo XIII clarissime declaraverat in superius citata epistola 1 iun. 1879: " Il matrimonio per giure cristiano, in quanto concerne la so- " stanza e la santità del vincolo, è un atto essenzialmente sacro e religioso, il cui " ordinamento naturalmente appartiene alla podestà religiosa, non per delegazione dello " Stato, o per assenso de' Principi, ma per mandato del divin Fondatore del Cristia- " nesimo e Autore dei sacramenti. „ Et inferius: " La Chiesa interviene a tutelare " solamente ciò che è sotto l'impero del gius divino, e che a lei inalienabilmente fu " commesso, cioè la santità del vincolo e le religiose attinenze che gli son proprie. — " Niuno poi contende allo Stato quelle parti, che possono competergli per ordinare " temporalmente il matrimonio al ben comune, e per regolarne secondo giustizia gli " effetti civili. Ma non così quando esso, entrando nel santuario della religione e della " coscienza, si fa arbitro e riformatore delle intime attinenze d'un vincolo augusto che " Iddio da sè stesso ordinò, e che le potestà del secolo, come non possono annodare, " così non possono sciogliere nè immutare giammai „.

Prob. minor. Ea enim, quæ sunt in individuo de iure et officio naturæ, non subiacent auctoritati civili formaliter tali, sed legi naturæ et Deo. Iamvero Matrimonium quoad vinculum est de iure et officio naturæ, ergo non subiacet auctoritati civili formaliter tali, sed societati religiosæ actus in foro conscientiæ et coram Deo moderanti (1).

2° Matrimonium, etiamsi præscindatur a ratione Sacramenti, est ratione vinculi quid sacri ac religiosi. Atqui obiectum et potestas debent esse in eodem genere. Ergo Matrimonium ratione vinculi potestati sacræ ac religiosæ subesse debet. Atqui in societate christiana, Christo volente, potestas sacra ac religiosa non modo distincta, sed divisa est ab auctoritate civili et in alio subiecto nempe in Clero collocata. Ergo Ecclesiasticæ auctoritati Matrimonium fidelium subesse debet, etiamsi præscindi velit a ratione Sacramenti.

Unum dumtaxat remanet probandum, quod scilicet, Matrimonium sit « sua vi, sua natura, sua sponte sacrum; » id autem potissimum probatur *ratione finis,* in quem tendit. Matrimonium enim, etiam ut officium rationalis naturæ, tantummodo consideratum, non eo spectat, ut pecudum more genus hominum quomodocumque crescat; neque eo tantum, ut cives patriæ procurentur, ut somniant adversarii; sed eo præsertim, ut honeste societas ad eum finem, quem Auctor naturæ constituit, propagetur et adoratores veri Dei progignantur, atque ad honestatem et religionem informentur. In ipso itaque naturali statu (qui *de facto* nunquam extitit) coniugium sancta res est ac religiosa adeoque sacræ non vero civili auctoritati obnoxia. Accedit, quod in ipsa societate pagana, *de facto* matrimonium ab auctoritate religiosa, non vero civili formaliter tali, leges obtinuerit, ut testatur historia populorum, præsertim apud Indos, Ægyptios, Persas, Romanos, etc.

Inde nullatenus necesse est, ut cum quibusdam Theologis dicamus, Christum per evectionem naturalis coniugii ad Sacramenti dignitatem illud subtraxisse principum potestati ac transtulisse in potestatem Ecclesiæ. Nihil omnino Christus subtraxit Principibus; sed Ecclesiæ auctoritati, ut sacramentum, matrimonium commisit, quod iam, etiam seposita sacramenti ratione, ad sacram, non autem ad civilem, auctoritatem quoad vinculum in ipso naturali ordine pertinebat.

II. *De auctoritate in matrimonium infidelium.*

1127. *In casu* vero matrimonii *infidelium*, quæri tandem potest: quænam sit competens Auctoritas, quæ decernat in iis, quæ ad *vinculum*

(1) Avogadro, *Teorica dell'Istituz. del Matr.* Vol. I, c. XI.

spectant et valeat impedimenta dirimentia ponere; cum certum sit, Ecclesiam nil posse relate ad matrimonium infidelium, « quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? » ait Apost. I Cor. v, 12. Ad rei claritatem distingue *factum potestatis* a *ratione formali potestatis.*

Quoad *factum potestatis* plerique, præsertim recentiores (Perrone, Taparelli, Liberatore, Zigliara) negant existere apud infideles auctoritatem *legitimam,* quæ impedimenta dirimentia possit constituere. Ratio est, quia ea nequit esse auctoritas *sacerdotalis:* cum enim sit sacerdotium falsum et illegitimum, non potest supponi a Deo constitutum et approbatum ad regendum in foro conscientiæ et coram Deo matrimonium a Deo in ordine supernaturali ab initio constitutum; nequit a fortiori esse auctoritas *civilis:* matrimonium enim, cum sit sua vi et natura sacrum ac religiosum, fines civilis potestatis egreditur. Iuxta hos AA. itaque vinculum matrimoniale inter infideles regi debet solo iure naturæ; quamvis, ut concedit Perrone, *practice* subiaceat, pro necessitate definiendi saltem impedimenta ipsa naturalia, auctoritati Principum, qui vestigium aliquod divinitatis præseferentes regunt tanquam sacerdotes infidelium matrimonia.

Verum alii AA. antiqui, præsertim et fere omnes moralistæ, docent Principes pro infidelium matrimoniis posse impedimenta dirimentia constituere, dummodo sint rationabilia. Etenim maxime interest civilis societatis, matrimonialem contractum regi positivis quoque legibus. Deficiente igitur inter infideles, ante et extra Ecclesiam, auctoritate religiosa distincta a civili ab eaque independente, cuius sit proprium officium regendi matrimonium, rem de se aliquo modo sacram; auctoritas civilis sola potest esse competens et poterit illas leges ferre iure quodam devolutivo; secus Auctor naturæ civili consortio satis non consuluisset. Accedit quod C. S. Officii et S. C. de Prop. Fide hanc sententiam sequuntur et iuxta eam casus sibi propositos resolvunt (1).

In explicanda vero *ratione formali* huius potestatis AA. secundæ sententiæ non conveniunt. — Errant qui ad hanc potestatem Principibus infidelium adiudicandam docent, inter infideles matrimonium esse contractum *mere civilem,* dum sua natura est contractus *naturalis* et, ut ait S. Thomas, *spiritalis* seu religiosus. — Verius dicunt qui rationem formalem illius potestatis explicant ex deficientia auctoritatis religiosæ realiter efficacis ad matrimonia moderanda. Hæc potestas in principibus infidelium dici potest *originaria* non quidem *absoluto* iure,

(1) Cf. Gasparri, *de Matrim.* vol. I, c. 4, n. 285.

sed *hypothetico* ex deficientia auctoritatis religiosæ independentis: item dici potest *ordinaria hypothetice,* quatenus in hypothesi deficientis auctoritatis religiosæ, illa potestas officio principis cohæret.

III. *Difficultates solvuntur.*

1128. Inter plures difficultates, quas adversarii contra potestatem uni Ecclesiæ adsertam obiiciunt, tres potissimas solvendas seligimus.

1.° In sententia S. Thomæ in IV Sententiarum, art. 34, q. 1, ad 4: « Matrimonium in quantum est in officium naturæ statuitur iure naturæ, in quantum est in *officium comunitatis statuitur iure civili,* in quantum est Sacramentum statuitur iure divino: et ideo ex qualibet harum legum potest persona effici ad matrimonium *illegitima.* » Item *C. G.* lib. IV, c. 78.

Resp. Verum quidem est sive ius naturæ sive Ecclesiam, per quam ius divinum exercetur, sive civilem auctoritatem regere matrimonium sed *aliter et aliter;* ius enim naturæ et Ecclesia regunt quoad ipsum vinculum et Sacramentum; civilis vero auctoritas quoad effectus tantummodo civiles. Unde lege civili fieri potest persona ad matrimonium *illegitima* non simpliciter, sed *secundum quid,* h. e. ad contrahendum matrimonium, quod sit capax effectuum civilium. Hæc est mens D. Thomæ in locis citatis.

2.° Materia et forma Sacramenti Matrimonii est consensus; atqui contrahentes præstant consensum ex sese absque auctoritate Ecclesiæ; ergo contrahentes independenter ab Ecclesia materiam et formam proindeque totum Sacramentum Matrimonii ponunt.

Resp. Ad *maiorem* distinguo: ... est consensus *validus* conc., consensus *quicumque* nego. Ad *minorem:* præstant ex sese consensum *validum,* nego; præstant consensum materialem, quin attendatur ad eius moralem valorem, conc. Negatur igitur *consequens.*

Cum enim efficacia seu valor in contractu pendeat non modo a rei natura, sed etiam ab auctoritate illius societatis, in qua contractus initur: hinc ab auctoritate etiam pendet, utrum adsit consensus *validus* an non, seu utrum adsit an non materia et forma matrimonii.

3.° Urgebis: Ecclesia nequit mutare materiam et formam Sacramenti. Atqui per impedimentum *dirimens* Ecclesia mutaret materiam et formam Sacramenti Matrimonii, quia consensus efficeretur invalidus. Ergo Ecclesia nequit impedimentum dirimens constituere.

Resp. Ad *maiorem* disting.: Ecclesia nequit mutare *formaliter* seu

vera mutatione, conc.; nequit mutare *materialiter* seu impropria mutatione, nego. Puta e. g., ait Sanchez, quod Ecclesia dare possit voci *corpus* alium sensum; tunc ipsa posset, imo deberet mutare in formula consecrationis illam vocem, aliam substituendo, quæ illud ipsum significaret, quod prius significabatur a voce *corpus*.

Contradistinguo *minorem:* per impedimentum dirimens Ecclesia mutaret *formaliter*, nego; mutaret *materialiter*, conc. Revera mutaret materiam et formam Sacramenti, qui vel *aliam* sive materiam sive formam substitueret, vel faceret ut ea, quæ erat antea *sufficiens* ad esse Sacramenti, deinde *retinens suum idem esse* non sit amplius sufficiens. Iamvero Ecclesia nec substituit aliam materiam et formam, quia, antea et post, materia et forma in *consensu* constituitur; nec facit, ut quod erat antea sufficiens, postea fiat insufficiens, quia, antea et post, materia et forma sufficiens est *consensus validus* seu legitimus pro iure naturæ, divino et ecclesiastico. Tantummodo per constitutionem impedimenti verificatur *conditio* ad validitatem: impedimentum enim dirimens facit, ut quod erat consensus legitimus et contractus validus, non sit amplius legitimus et validus, ideoque non sit elevabilis ad esse Sacramenti, cum Christus non elevaverit qualemcumque contractum matrimonialem ad esse Sacramenti, sed illum tantummodo, qui foret validus et legitimus. Unde, sicut qui ex aqua cerevisiam faceret aut ex vino acetum, non ideo mutaret materiam baptismi aut eucharistiæ *formaliter* sumptam, quia non amplius res retinuit *suum esse idem;* ita similiter Ecclesia reddens illegitimum contractum antea validum, non mutat materiam et formam Sacramenti Matrimonii mutatione *formaliter* sumpta, sed *materialiter*.

TRACTATUS

DE NOVISSIMIS.

1129. Est hic totius Dogmaticæ Theologiæ tractatus postremus. Postquam enim egimus de operibus Dei, quæ ad mundi hominumque creationem, redemptionem et sanctificationem spectant; ultimo nobis agendum est de illis divinæ misericordiæ et iustitiæ operibus, quæ ad hominum et mundi consummationem pertinent. Quæ opera *Novissima* appellantur, quia sunt ultimi eventus sive hominibus singulis, sive universo mundo futuri. Hinc sponte dividitur tractatus in duas partes, ut agamus:

I. De Novissimis singuli hominis,

II. De Novissimis mundi.

PARS PRIOR.

DE NOVISSIMIS SINGULI HOMINIS.

1130. Novissima singuli hominis vulgo numerantur quatuor: *mors, iudicium, infernus, paradisus.* Mors cum iudicio, quod eam immediate consequitur, est ianua ad diversum statum, qui pro diversitate meritorum hominibus paratur in altera vita, vel beatitudinis et præmii in paradiso, vel damnationis et pœnæ in inferno. Sed paradisi atrium est *purgatorium* pro iis, qui nondum perfecte mundati hac vita excedunt; inferni velut appendix est status illorum, qui in solo peccato originali moriuntur. Hinc distinctis capitibus disseremus: De morte et iudicio; de inferno et, sub hoc titulo, etiam de statu decedentium in solo peccato originali; de purgatorio; de paradiso.

CAPUT I.

DE MORTE ET IUDICIO QUOD ILLAM CONSEQUITUR.

I. *De morte.*

1131. *Quid sit.* Mors est homini *finis huius vitæ* et consistit non in dissolutione totali, sed in separatione animæ a corpore et, prout hic consideratur, describi potest: *animæ ex habitaculo corporis in domum æternitatis migratio.* Hinc anima nostra a corpore separata adhuc subsistit immortalis præmium vel pœnam subitura: corpus vero mox corrumpitur, seu in sua elementa sese dissolvens ad terram revertitur, unde erat.

Hæc porro mors *corporis* dicitur, quæ iustis aditum alteri et meliori vitæ aperit. Verum pessima est quæ mors *animæ* dicitur, scilicet gratiæ sanctificantis privatio, quæ aditum aperit morti secundæ, qua videlicet per damnationem æternam tum omnis vita supernaturalis tum omne solatium in perpetuum cessat (1).

1132. *Mors homini naturalis, sed peccati sequela.* Attenta hominis physica constitutione, suapte natura sequitur ut corpus tandem dissolvatur et fiat ineptum functionibus vitæ, quæ ideo cessat. Hinc mors *secundum se* est homini naturalis. Verumtamen *per accidens* ea est sequela peccati, quia homo primitus cum aliis beneficiis etiam immortalitate gratuito donatus fuerat, qua nonnisi propter Adæ peccatum expoliatus est. *Per peccatum mors,* ait Paulus (2).

1133. *Mors est universalis.* Etenim *in omnes homines mors pertransiit,* et *statutum est hominibus semel mori* (3). Lex huiusmodi nullam videtur admittere exceptionem, neque in *Elia* et *Henoch,* qui, ut scribit Tertullianus, morituri reservantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant; neque in iustis illis, qui erunt in fine mundi, quosque, ex verbis Pauli in I ad Thess. IV, 14, græci Patres vellent non esse morituros, sed vivos obviam Christo fore in aera sublevandos. S. Thomas enim, post S. Augustinum, rem explicat ex eo, quod eorum mors seu dormitio, propter subitaneam resurrectionem postea secuturam, haud sit reputanda.

(1) *Apoc.* XX, 6, 14.
(2) Vide tract. *De Deo Creatore.*
(3) *Rom.* V, 12; *Hebr.* IX, 27.

1134. *Mors finem imponit statui viæ,* i. e. illi statui, in quo homo potest suam operari salutem. Id enim evidenter tradunt Scriptura et Patres. *Venit nox, quando nemo potest operari,* ait Christus Dominus (1). *Ibi ergo erit nox,* commentatur Chrysostomus, *ubi nemo potest operari, sed recipere quod operatus est. Cum vivis fac, si quid facturus es. Ultra enim neque fides, neque labores, neque pœnitentia* (2). Hinc per mortem omne vitæ præsentis pondus, Ecclesiæ et sacramentorum necessitas, virtutis studium et alia huiusmodi pereunt.

1135. *Mortua corpora sepelienda.* Id asserimus contra homines illos vel dubiæ fidei vel massonicæ sectæ addictos, qui magno nisu contendunt ut ethnicorum usus de hominum cadaveribus comburendis instauretur. Porro Ecclesia usque ab initio fidelium corpora inhumare consuevit, qua perpetua consuetudine, solemnibus etiam ritibus consecrata, potius quam lege aliqua expressa, contrarium usum ubique abolevit. Nam etiam in hac re illud valuit principium, quod S. Thomas a S. Augustino desumit: *Mos populi Dei et instituta maiorum pro lege sunt tenenda* (3). Huius autem consuetudinis has rationes affert Cornelius A Lapide, scilicet, tum ut christiani: « Dei sententiæ in Adam eiusque posteros latæ magis se conformarent: *Pulvis es, et in pulverem reverteris;* tum ut naturam sequerentur, quæ sponte corpora defuncta in elementa sua resolvit, tum maxime ut fidem et spem resurrectionis superstitibus ingererent. Ideo enim cadavera terræ commendabant quasi in depositum, quod in die resurrectionis ea repetiturus sit Deus, ut resuscitet et vivificet » (4). Addit etiam exemplum veterum Sanctorum, et præsertim I. Christi. Oportet enim, ut corpora christianorum etiam in sepulchro corpori dominico conformentur, cui erunt configuranda in futura resurrectione. Hinc merito S. Sedes, abusum humana corpora cremandi, quem vocat detestabilem, omnino damnavit (5).

1136. *Anima immortalis.* Post memoratam corporis mortalitatem, iuvat animæ immortalitatem expressius asserere. Fides christiana non modo ex revelatione hanc veritatem docet, verum etiam supponit eam ex ratione posse certa demonstratione probari. Porro Concilium Late-

(1) Io. IX, 4.

(2) Chrys. hom. 55 in Ioan.

(3) 1-2, q. 97, a. 3.

(4) *In Amos,* VI, 10.

(5) Ex decreto *S. Rom. et Univ. Inquis.* die 19 maii 1886. Vide hanc quæstionem amplifice tractatam in laudato opere Collegialis Doct. Iac. Scurati, *Se sia lecito abbruciare i morti,* edito in hac typogr. S. Iosephi, 1885.

ranense V damnavit doctrinam Pomponatii eorumque philosophorum, qui, dum animam immortalem ex fide fatebantur, simul tamen contendebant animam mortalem ex ratione demonstrari (1). Hinc Melchior Canus scribere non dubitavit: « Erroneum est, ne dicam hæreticum, asserere animæ immortalitatem naturali ratione demonstrari non posse. » Pariter secunda inter propositiones a S. Indicis Congregatione adversus Traditionalistas assertas dicit, quod « ratiocinatio animæ spiritualitatem cum certitudine probare potest. » Ex animæ spiritualitate autem sponte sequitur immortalitas. Nam proprium naturis spiritualibus est, quod sint incorruptibiles proindeque per se perpetuæ. Deus autem, qui est institutor naturæ, non subtrahit rebus id, quod est proprium naturis earum (2).

II. *De iudicio particulari.*

1137. *Homo, statim post mortem, particulare iudicium subit.* Est *certa* et catholica veritas ex Scriptura et Traditione manifesta. Quæ legimus enim in Ecclesiastico, quod *facile est coram Deo, in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas* (3), et quæ repetit S. Paulus: *statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium* (4); hæc, inquam, conciliari nequeunt cum figmento illo chiliastarum aliorumque, quod inter mortem et iudicium nescio quot seculorum intercedat somnus vel status indifferens. Patres autem non solum veritatem asserunt, sed quemadmodum ad commovendos animos in sermonibus fit, etiam graphice describunt, quomodo anima in hora mortis exeat e mundo et deducatur ad iudicium, et quomodo hoc fiat. Attamen advertas hæc ad *modum* iudicii spectantia, qua scilicet forma et quo loco et tempore et qua solemnitate instituendum sit, omnia incerta esse. Nihilominus teneri possunt hæc duo: primo iudicium hoc particulare a Christo Domino, ut homine, exerceri, quia Pater *omne iudicium dedit Filio* (5); deinde ad hoc necesse non esse, ut Christus ipse per substantialem præsentiam suam ad singulos morientes veniat, vel ut anima iudicanda in cœlum deferatur. Potius anima, in ipso mortis instanti et adhuc iuxta corpus suum manens, per quandam divinam illustrationem elevatur. Hac

(1) Denzinger, *Ench.* n. 621.
(2) S. Thomas, *Contra Gent.* Lib. II, c. 55.
(3) *Eccl.* xi, 28; Luc. xvi, 22.
(4) *Heb.* ix, 27.
(5) Io. v, 22.

illustratione anima, dum sua opera sive bona sive mala, veluti in libro, legit, simul cognoscit se iudicari, et salvari vel damnari imperio et efficientia non solum Dei, sed etiam hominis Christi (1).

1138. *Sententia lata mox exequitur.* Quod 1° iusti adhuc purgatione indigentes statim post mortem suam incipiant purgationem, docet practica Ecclesiæ fides, quæ statim a morte pro eorumdem e purgatorio liberatione Deum orat. Quod 2° improbi seu decedentes in actuali peccato mortali *mox in infernum descendant,* ubi pœnis infernalibus cruciantur, id ab Ecclesia fuit definitum, uti in Florentino decreto pro Unione Græcorum (2), et probatur ex parabola, vel ut melius dicam, ex historia epulonis et ex Patrum consensu (3). Quod vero 3° animæ perfecte mundæ mox in cœlum admittantur ad fruendum sine mora intuitiva visione divinæ essentiæ, id definivit Conc. Florentinum itemque Benedictus XII contra plures orientis hæreticos, qui generatim sententiæ executionem ad diem ultimi iudicii differebant, tum nominatim contra singularem eorum opinionem, qui tempore Ioannis XXII putarunt, iustorum animas admitti quidem in cœlum et Christo frui in forma hominis, sed ante corporum resurrectionem non admitti ad visionem Dei.

Ad hanc veritatem confirmandam, inter plura, en aliqua argumenta: *a)* Frustra Paulus optasset peregrinari a corpore, ut præsens esset ad Deum, utique præsentia visionis, si credidisset iustos nonnisi post corpus resumptum Deo frui (4) *b).* Hac certa spe ad martyrium fideles exhortabatur S. Cyprianus: *Quanta dignitas et securitas... claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus!* (5). *c)* Sic læti patiebantur martyres, firmiter fidentes quod moriendo statim ab eculeo ad cœlum migrarent, seu ad visionem Dei beatificam et hanc suam fidem testabantur coram iudicibus irridentibus; et eadem fide excitati fideles ad martyres festinabant rogantes, ut, cum ad Deum pervenissent, sui apud eum memores forent. *d)* Patres in hoc ponunt discrimen inter iustos Veteris et Novi Testamenti, quod illi detinerentur adhuc longe a Domino, isti mox evehuntur in cœlum cum Christo ad fruendum eadem beatitudine. Ex quo discrimine repeti debet quod in veteri Syna-

(1) Aug. *De Civ. Dei* l. I, 20, c. 4; Suarez, *De Myst. Vitæ Ch.* dist. 52, sect. 2.
(2) Item in Const. Benedicti XII, *Benedictus Deus.*
(3) Bellarminus, *De Sanct. beatitud.* l. I, cap. 6.
(4) II *Cor.* v, 6, 8; *Phil.* i, 23.
(5) Lib. *De exhort. ad mart.* in fine.

goga non invocabantur Patriarcharum et Prophetarum spiritus, quemadmodum nunc Apostolos et Martyres colimus et invocamus (1). — Cum tamen magis completa beatitudo futura sit, quando animæ iterum unientur corporibus suis gloriosis, ideo comparate ad illam gloriam consummatam aliquando Patres beatitudinem iustorum præsentem ut incompletam repræsentant, quatenus animabus inest naturalis quidam appetitus corpus administrandi eique communicandi suam beatitatem.

CAPUT II.

DE INFERNO.

1139. Licet usu loquendi biblico nomen *inferni* significari possit quamlibet animarum sedem, quæ non sit paradisus proindeque etiam *limbum*, etiam *purgatorium*, attamen speciatim designat *damnatorum* statum, scilicet « in quo dæmones et homines in peccato lethali mortui atrocibus suppliciis in æternum puniuntur. » De inferno duo tantum definita sunt, ut de fide credenda, eius *existentia* et pœnarum eiusdem *æternitas*.

1140. Sed de existentia, necesse non est specialem demonstrationem instituere. Argumenta enim, quibus æternitas comprobatur, certe demonstrant eas pœnas existere. Innuisse tamen iuvabit aliqua argumenta rationis, ad quæ ipsi Patres provocare solent. Scilicet, si in altera vita pœnæ nullæ sunt, vel *Deus non est;* vel si sit, non est ille sapiens totius generis humani *Rector*, cui spectaret non solum minari sed et inferre pœnas iis, qui eius leges transgrediuntur; vel etiam *indifferens est* circa virtutem et vitium; imo et *iniustus*, qui sinit hinc multos abire impune, qui peccaverunt, et multos, qui bene vixerunt, tum demum abire, cum sexcentas iam subierint calamitates. Accedit consensus generis humani, quod, quovis tempore, credidit impios puniri in altera vita. Cuius sane consensus non alia est ratio vel origo, quam vel primitiva quædam revelatio vel universalis vox humanæ conscientiæ; secus enim explicari non possent eiusdem consensus universalitas, antiquitas, constans uniformitas in re tam gravi et perversæ hominum inclinationi admodum ingrata.

(1) Bellarminus, *De Sanct. beatit. præf.* et cap. 6.

1141. Gravior difficultas est de duratione æterna pœnarum. Eam æternitatem, præter origenistas et obscuros aliquot sectarios misericordes nuncupatos, quorum Augustinus meminit, anabaptistæ, sociniani ac protestantes non pauci cum rationalistis denegant. Contra, apposita thesi veritatem hanc, tuebimur. Alias vero peculiares quæstiones de qualitate pœnarum, de loco inferni et de sorte decedentium in solo peccato originali solvemus deinceps, paucis verbis additis.

THESIS XXVII.

Damnatorum pœnæ sunt æternæ, id autem rectæ rationi non adversatur.

1142. Declaratio. — Thesis *de fide est.* Prima pars patet ex illis symboli athanasiani: *Qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum;* itemque ex Synodis vii et v (1). Hinc *de fide* est etiam, hanc veritatem non esse contra rationem, decernente Vaticano quod: *etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest* (2). Porro de fide est propositio, quæ ex duabus præmissis pariter de fide sequitur. Vix est advertendum hic agi de ea *æternitate*, quæ est *duratio sine fine*, quæque est non infinita, sed *indefinita;* prouti est æternitas, quæ creaturis attribuitur.

1143. Demonstratur Pars I. — Sacra *Scriptura* pluribus locis et diversis modis hanc veritatem proponit, et 1° ubi *positive* has pœnas vocat *æternas* aut duraturas in *sæcula sæculorum.* Apud Isaiam et Matthæum dicitur *ignis æternus,* apud Danielem *opprobrium æternum,* a Paulo Apostolo *æterna perditio*, ab Apostolo Iuda *caligo æterna, vincula æterna* (3); demum in Apocalypsi dicitur, quod *fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum* (4), et rursus quod *cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum* (5). Quæ porro periphrasis ubique in Sacris Scripturis recurrit pro duratione æterna. Verum 2° efficacius æternitas exprimitur *per negationem finis,* ubi Isaias ait: *Et vermis*

(1) Synod. vii, actione i, et Synod. v, referente Nicephoro *Hist. Eccl.* l. XII, c. 28.
(2) Conc. Vatic. Constit. *De fide,* c. iv.
(3) Is. xxxiii, 14; Matth. xviii, 8; Dan. xii, 2; II *Thess.* i, 9; Iudæ Ap. vers. 6.
(4) *Apoc.* xiv, 11; xix, 3.
(5) *Apoc.* xx, 10.

eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur. Ad quæ verba alludit Baptista testans quod Deus *paleas autem comburet igni inextinguibili;* apertius Christus docens, melius esse omnia temporalia amittere, quam *ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur* (1). Nemo est qui propositionum ita negantium vim non sentiat, qua finis omnino excluditur. Demum 3° damnatorum pœnæ dicuntur *duratione æquales* beatorum gaudiis, quæ profecto fine carent. « Christus, ait Augustinus, in uno eodemque loco in una eademque sententia dicit: *Ibunt isti in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam* (2)... Dicere autem, in hoc uno eodemque sensu vita æterna *sine fine* erit, supplicium æternum *finem* habebit, multum absurdum est (3). » In idem recidunt verba Christi apud Ioannem: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* (4). In quibus præter comparationem ad præmium æternum, attendi debet etiam per se locutio illa indefinita: *non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* (5).

Quod vero *Traditionem* attinet, ea constat 1° ex origeniani erroris damnatione; 2° ex Patribus omnibus, qui, sive ante sive post origenistas, unanimes sunt in asserendo *pœnas* esse *sempiternas, ignem inextinguibilem et æternum, tormenta sine modo aut sine ullo termino* (6); insuper 3° ex ipsorum martyrum testimonio, qui, ut ex eorum actis constat, propterea etiam tam fortiter tormenta tolerarunt *temporalia*, ne inciderent in *æterna.*

Hinc sponte sequitur ex inferno, non esse redemptionem neque per *pœnitentiam* damnatorum, quæ in statu illo immutabili impossibilis est, neque per aliorum *orationes* neque per *destructionem* impiorum, unde Patres hanc mortem æternam vocant *mortem sine morte.*

1144. Pars II. — Æternitas pœnarum non adversatur, imo congruit rationi, 1° ex parte *peccati,* cuius malitia ob iniuriam Deo illatam est *comparative infinita*, quæ proinde meretur pœnam *comparative infinitam,* i. e. *fine carentem* (7). Item 2° ex parte *Dei,* non repugnat

(1) Is. lxvi, 24; Matth. iii, 12; Marc. ix, 42, 43.
(2) Matth. xxv, 46.
(3) Aug. *De Civ. Dei,* l. XXI, c. 23.
(4) Ioan. iii, 36.
(5) Cfr. *Rom.* ix, 22; 2 *Tim.* ii, 20; Matth. xxv, 41.
(6) Apud Petav. *De Angelis,* lib. III, c. 8.
(7) S. Thomas, 1-2, 87, 4; Cfr. Lessius, *De Div. perf.* l. XIII, n. 118 et seq.

ut iustitiæ eius vindicantis manifestationes sint æternæ, sicut non repugnant æternæ manifestationes bonitatis. Deus enim sicut infinite est bonus et misericors, ita est infinite iustus et sanctus. Præterea 3° ex parte *hominis*, animadvertendum est, eius animam essentialiter immortalem esse, proindeque ad homines lege divina continendos insufficientem esse sanctionem temporalem. Et sane si fides in pœnarum æternitatem homines vix deterret a peccando, quid fieret hac veritate sublata? Ex eadem vero ratione quod anima humana est essentialiter immortalis, nullatenus cum principiis rationis conveniret positio, animas impiorum aliquando a Deo destrui. Si insuper res consideratur 4° ex parte *status termini*, in quo post mortem invenitur homo, nullam profecto repugnantiam ratio videt, quod Deus præstituerit certum quoddam tempus, nempe presentis vitæ, quo elapso, peccatoribus nulla spes sit reliqua veniæ obtinendæ. Id enim consuetum est etiam in humanis societatibus, idque congruit cum eo, quod post mortem sola superstes maneat anima et desinat homo esse ille integer, cui lex et præcepta data sunt. Hac vero posita lege, quod morte desinat sive meriti sive pœnitentiæ tempus, apparet 5°, quod in damnatis *culpa durabit in æternum*. Atqui quamdiu culpa, tamdiu pœna durare debet. Ergo...

Hæc autem pœna æterna sponte sequitur mortem peccatoris hoc modo: peccatores impœnitentes, quoniam moriuntur in positiva aversione a Deo, a quo recedentes sese illicito modo ad creaturas converterunt, hoc ipso perpetuantur in hac aversione et consequenter in privatione Dei, quæ privatio Summi Boni iam est oppressio omnis mali. *Anima*, ait S. Thomas, *quemcumque finem ultimum sibi præstitisse invenitur in statu mortis, in eo fine perpetuo permanebit appetens illud ut optimum, sive sit bonum sive sit malum* (1). Atqui moriens in peccato, is moritur volens sibi finem esse sine Deo; permanebit ergo perpetuo sine Deo, i. e. sine Summo Bono, i. e. oppressus omni malo. Dum vivebat, non erat omnino sine Deo, quia adhuc ei præsto erant bona sive naturæ, sive gratiæ unde et poterat se pœnitere. Sed in statu termini fiet prouti ipse voluit; Deus recedet omnino ab eo, qui ideo manebit privatus omni bono, etiam possibilitate sese pœnitendi, proindeque cum sola existentia omnibus malis oppressa. Ita pœnæ etiam

(1) *Comp. theol.* c. 174. Ista peccatoris voluntas in æternum peccatum non modo in morte, sed in ipso actu peccandi spectari potest. " Qui enim in peccatum mortale labitur propria voluntate, se ponit in statu a quo erui non potest nisi divinitus adiutus: unde ex hoc ipso quod vult peccare, consequenter vult in peccato manere perpetuo. „ Ita in *Suppl. Sum.* S. Thomæ, q. 99. 1, ubi argumentum præclare evolvitur.

positivæ, et fortasse etiam pœna ignis, iam per se sequuntur voluntariam finis privationem. Etenim cogitari potest, ex hac totali Dei privatione sponte fieri, ut creaturæ omnes in pœnas damnatis vertantur; quatenus damnati fixe et immobiliter adhærentes creaturis, olim sensuali vitæ secundis, nunc penitus spirituum vitæ contrariantibus, in ipsis inveniunt omnes sensus pœnas, quarum culmen ignis. Idque responderet principiis rationis, ut impii *ex his,* nempe sensibilibus creaturis, *in quibus sibi finem constituunt, afflictionem accipiant et nocumentum* (1). *Ne putemus,* ait S. Aug. in Ps. XII, *illam tranquillitatem et ineffabile lumen Dei de se proferre, unde peccata puniantur; sed ipsa peccata sic ordinare, ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Deo punienti.*

SCHOLIA.

I. *De qualitate pœnarum inferni.*

1145. Theologi communiter distinguunt inter *damni* pœnam et pœnam *sensus.* Illa continetur summo damno i. e. privatione Summi Boni eorumque bonorum, quæ cum huius fruitione in cœlo cohærent. Hæc est quævis pœna positiva ultra illam privationem et dicitur pœna *sensus,* quia causam et originem habet ab aliquo sensibili corpore.

Inter varias sensus pœnas eminet quæ ab *igne* oritur. Porro communis theologorum et fidelium sententia est, ignem hunc esse *verum* et *proprium* i. e. *materialem* et *corporeum,* non metaphoricum tantum (2). Licet nulla adsit de hac re Ecclesiæ definitio, temerarium tamen foret ab hac communi recedere sententia (3). In Scripturis enim et Patribus pœnæ inferni fere semper vocabulo *ignis* designantur: nec ulla sufficiens ratio reddi potest relinquendi propriam huius vocis significationem; imo eius frequens repetitio in omni loquendi genere, quin unquam metaphorica significatio latens explicetur, omnino suadet sensum proprium. Cum vero dicimus ignem inferni esse *materialem* et *corporeum,* non propterea dicimus, eum prorsus esse eundem cum igne, quo modo utimur. Imo supponimus longe esse acriorem; ut torquere possit ipsos spiritus i. e. dæmones et animas ante corporum resurrectionem.

(1) S. Thomas, *Summ. C. Gent.* lib. III, c. 146. Cfr. Monsabrè, *Confer.* XCIX.
(2) *Supp.* 97, 5.
(3) Perrone *Prælect. De Deo Creat.* P. III, c. VI, a. 3.

Quomodo autem id ignis præstet, ut spirituales dolores inferat, difficile est explicare. S. Augustinus contentus est affirmare, id *quamvis miris, tamen veris modis* fieri (1). Sententia communis auctoritate D. Thomæ innixa affirmat, spiritus ab igne torqueri per solam alligationem ad eumdem ignem, in quo tanquam in carcere inviti tenentur: ex quo maxime affliguntur et torquentur (2). Hoc carcere tenentur et torquentur dæmones, etiam qui in terram versantur, supplicia scilicet sua secum circumferentes.

Demum illud etiam advertas *inæquali* supplicio subiici damnatos pro diversitate criminum. Id exigit enim divina iustitia reddens unicuique *secundum opera* eius (S. Thomas, *Suppl.* 97, 5 ad 3).

II. *De loco seu sede inferni.*

1146. Certissima Ecclesiæ doctrina est, definitum locum a Deo fuisse constitutum ad reproborum punitionem. Id Patres docent unanimiter, idque in ipsa Scriptura fundamentum habet, uti apparet e. g. ex historia de Lazaro et divite Epulone.

Si autem quæratur, ubinam sit locus ille, en quid monet Chrysostomus: *Ne igitur quæramus, ubi sit, sed quomodo eam* (gehennam) *effugiamus* (hom. 31 in ep. ad Rom.) (3).

III. *De æterna conditione decedentium in solo peccato originali.*

1147. Conveniunt 1° catholici omnes, morientes sine baptismo, in solo peccato originali, a beatifica excludi visione et ita non ingredi regnum cœlorum, ideoque pati *damnum, damnari.* Verum 2° dissentiunt ab invicem in determinanda conditione et natura status, in quo illi degunt: dum neque desunt, qui eos addicant ipsis ignibus inferni licet

(1) " Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporeis membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari (*De Civ. Dei* lib. XXI, c. 10). „

(2) S. Thomas, *Supplem.* q. 70, a. 3. " Ignis ex natura sua habet quod spiritus incorporeus ei coniungi possit, ut loco locatum; sed in quantum est instrumentum divinæ iustitiæ, habet ut ipsum quodammodo retineat alligatum: et in hoc veraciter ignis iste est spiritui nocivus, et sic anima (vel dæmon) ignem ut sibi nocivum videns, ab igne cruciatur. „ Cfr. *Cont. Gent.* l. IV, c. 90.

(3) Cfr. S. Thomas, *Supplem.* q. 97, a. 7.

mitioribus. Attamen 3° communior et certa sententia est, eos, qui in *solo* peccato originali moriuntur, præter carentiam visionis Dei, nulla pœna sensus puniri; iuxta illud D. Thomæ « communiter dicitur, quod peccato originali non debetur pœna sensus (1). » Quærunt autem theologi 4° utrum infantes cum originali peccato morientes saltem patiantur *tristitiam* ob exclusionem a regno cœlorum. Sunt in hac re nonnulli theologi plus minusve severiores, inter quos Bellarminus; sed alii sentiunt cum S. Thoma, ex cuius sententia hæc legimus in *Supplemento:* « Pueri autem nunquam fuere proportionati ad hoc quod vitam æternam haberent, quia nec eis debebatur ex principiis naturæ, cum omnem facultatem naturæ excedat, nec actus proprios habere potuerunt, quibus tantum bonum consequerentur. Et ideo *nihil omnino dolebunt* de carentia visionis divinæ; imo magis gaudebunt de hoc, quod participabunt *multum* de divina bonitate et perfectionibus naturalibus (2). » Item ipse S. Thomas iam scripserat, illos pueros « non parum participaturos de divina bonitate et naturalibus perfectionibus, et fore coniunctos Deo naturalium bonorum communione et ita habituros gaudium de ipso ex cognitione et amore naturali (3). » Neque hinc sequitur illos habituros beatitudinem naturalem, prouti habuisset homo in statu naturæ puræ; quia illi licet bonis naturalibus fruentes, manebunt tamen sub *damnatione,* nempe exclusi a visione beatifica: id quod pro illis non vero pro homine puræ naturæ rationem habet *pœnæ,* ob peccatum ab Adamo contractum (4).

Cohærenter ad hanc sententiam non pauci theologi opinantur, animas horum infantium nunc in eo statu poni, in quo olim Patriarcharum animæ. Verum *Limbus* olim *Patrum,* postea *puerorum,* denominatio a sæculo XIII inducta fuit (5).

(1) Q. 5, *De malo* a. 2.

(2) *Supplem.* q. 71, a. 2, apud Nicolaium, in aliis vero editionibus in *App.* q. 1, a. 2.

(3) In II d. 33, q. 2, a. 2.

(4) *Suppl.* l. c. in iis, quæ ex proprio penu addit Nicolaius; Lessius *De perfect. div.* l. XIII, cap. 22, n. 143 et seq.

(5) Cfr. prop. 26 synodi pistoriensis inter damnatas a Pio VI. Post resurrectionem vero, facile erit Deo, in mundi renovatione, illis infantibus locum congruum præparare. Ita Lessius, ibid.

CAPUT III.

DE PURGATORIO.

1148. Purgatorium est status, « in quo pœnis expiatoriis ad tempus detinentur illæ defunctorum animæ, quæ quidem in statu gratiæ ex hac vita migrarunt, non omne tamen divinæ iustitiæ debitum exsolverunt » ; detinentur vero, donec omnia debita vel pœnarum illarum perpessiones solvantur, vel citius, interventu suffragiorum, remittantur. Debita vero illa proveniunt vel ex culpis et pœnis peccatorum venialium, vel ex pœnis temporalibus peccatorum lethalium, quoad culpam et pœnam æternam dimissorum.

Dogma Ecclesiæ catholicæ de purgatorio duplici absolvitur veritate: *purgatorium adesse:* et *animas ibi detentas vivorum suffragiis adiuvari.* Utramque unica thesi demonstrabimus, et alias quæstiones breviter adnectemus.

THESIS XXVIII.

Datur purgatorium, in quo animæ iustæ a residuis peccatorum debitis expiantur: hæ vero fidelium suffragiis adiuvantur.

1149. Declaratio. — Thesis est de existentia purgatorii et de valore suffragii fidelium ad animas purgantes relevandas. Utrumque *de fide est,* secundum quod docuit Ecclesia in Conc. florentino et tridentino et quilibet catholicus profiteri debet ex professione fidei iussu Pii IV edita illis verbis: *Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari.*

1150. Demonstratur Pars I. — Omissis aliis *Scripturæ* locis 1° luculentum ad rem testimonium est illud Pauli in prima ad Cor. c. III, 11-15, ubi scribit, solum Christum esse fidei fundamentum, super quod alii bene ædificant, scilicet aurum, argentum, lapides pretiosos; alii male, scilicet ligna, fœnum, stipulam; fore autem ut uniuscuiusque opus per ignem manifestum fiat in die iudicii, nempe: *Si cuius opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem.*

Sensus est, fundamentum fidei esse Iesum Christum, alios tamen evangelii præcones bene superædificare, scilicet proponendo doctrinas solidas et utiles; alios male, doctrinas proponendo vanas et peregrinas, quin tamen lædant fundamentum. Iamvero, quæ fuerit uniuscuiusque ædificatio seu prædicatio, in die iudicii ignis manifestabit; quatenus prædicatio utilis et bona non consummabitur sed mercedem accipiet, prædicatio econtra vana detrimentum patietur et mercedem nullam habebit: architectus tamen seu prædicator, quum fundamentum Christi non læserit, salvus erit, quia crimen grave non commisit, verum salvus erit quasi per ignem, scilicet non sine aliquo dolore, quo defectus eius expientur. Quod Apostolus asserit speciatim de præconibus evangelii, id manifeste applicandum est generatim omnibus fidelibus, quorum si aliquis in die iudicii invenietur peccatis levioribus reus, salvus quidem erit, sed non sine pœnis. Quin 2° plura *Patrum* testimonia afferamus, satis erit advertisse, quod in allatam Pauli interpretationem consentiunt S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Anselmus, S. Thomas, S. Bonaventura et Patres latini in concilio florentino et alii doctores et theologi. Sufficiat audivisse Ambrosium ita scribentem: *Cum* Paulus *dicit: « Sic tamen quasi per ignem » ostendit salvum illum quidem futurum, sed pœnam ignis passurum; ut per ignem purgatus fiat salvus, et non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur* (1). Accedit 3° evidentissima *ratio*. Fieri enim potest ut plures peccatis venialibus obnoxii, proinde non plane mundi, moriantur, vel si mundi a culpis remissis, saltem adhuc obnoxii aliqua pœna temporali. Ergo dicendum erit, aut hos damnari, quod est impium; aut immundos cœlum ingredi, quod admitti nequit; aut eos purgari et absolvi ab omni debito ipsa morte, quod omnino arbitrarium; aut admitti debet status quidam post mortem temporarius, in quo animæ omne solvant debitum et mundentur, i. e. purgatorium. Sed fides de purgatorii existentia evidentius 4° probatur ex dicendis circa suffragiorum valorem.

1151. Pars II. — Et revera pro defunctis sublevandis valere suffragia vivorum, 1° ineluctabile argumentum est in libro II Machabæorum, ubi legimus de fortissimo Iuda, *qui misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium,* unde ipse sacer scriptor concludit: *sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Porro huiusmodi factum solemne et publicum probat

(1) Ambr. *In ep. B. Pauli ad Cor. primam,* c. III, n. 34; Cfr. *Exp. in Psal.* 118.

fidem non modo Iudæ sed totius Ecclesiæ iudaicæ. Conspirat 2° evidentius in eandem fidem Ecclesia catholica, et ad rei argumentum sufficit, quæ semper obtinuit, *praxis orandi* pro defunctis, ut Deus illis concedat peccatorum remissionem et locum indulgentiæ. Etenim ea est *universalis*, quæ scilicet per totam Ecclesiam sive occidentis sive orientis custoditur; ea est *solemnis* cum locum satis amplum obtineat in liturgia et a conciliis inculcetur; ea est *antiquissima*, viget enim apud sectas orientis, quæ iam seculo V ab Ecclesia se separarunt; attingit insuper *ætatem apostolicam*, scribente Tertulliano, quod si harum oblationum pro defunctis *legem expostules, Scripturam nullam invenies; traditio tibi protenditur autrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix* (1); imo ea praxis, si Patribus credimus, ab *ipsis Apostolis* est. Ita ex universalitate huius praxis concludit Isidorus hisp.: *Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerre, vel pro iis orare, quia per totum orbem hoc custoditur, credimus, quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim ubique catholica tenet Ecclesia, quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret vel sacrificium Deo offerret.* Et hoc iure optimo affirmat, quia admitti nequit in Ecclesia error universalis circa ea, quæ spectant professionem practicam fidei, qualis in publicis orationibus, sacrificiis et liturgiis continetur.

SCHOLIA.

I. *De statu animarum purgantium.*

1152. *A culpis venialibus* anima purgatur non semper in ipsa morte, quæ aliquando pœnitentiam prævenit; hinc purgatur etiam post separationem a corpore, quatenus anima, statim ab egressu nullo iam obstaculo impedita, exit in actum caritatis detestantis ea omnia, quæ Deum offendunt eiusque possessionem retardant (2).

Ab habitibus pravis anima purgatur in ipsa morte, si sermo sit de habitibus existentibus in appetitu sensibili, qui cum corpore deponitur; purgatur vero post mortem, si sermo sit de habitibus in voluntate remanentibus. « Credibile est, ait Bellarminus, omnes istos habitus tolli per primum actum contrarium animæ separatæ, quem statim a separatione elicit. Etsi enim hic non possit uno actu destrui habitus contractus

(1) *De Corona*, c. 3.
(2) Thomas *De malo*, q. 8, 11 ad 9.

per multos actus, tamen ibi poterit, quia actus ille multo vehementior erit, cum anima tunc sit potentior quantum ad actus spirituales, nec habeat fomitem contrarium et resistentem, ut hic habet (1). »

A pœna temporali debita peccatis, iam remissis quoad culpam et pœnam æternam, non purgat ipsa mortis amaritudo, quod est tantum privilegium martyrii, sed anima ab ea exsolvi debet post mortem. Non autem *merendo* (nullus enim est merendi locus post mortem), nec proprie *satisfaciendo* per voluntarias pœnas, sed *satispatiendo*, anima pœnam taxatam, iuxta qualitatem et quantitatem reatus, plene luit.

1153. *Pœna est duplex:* damni et sensus, utraque temporalis. Pœna *damni* est visionis beatificæ retardatio. Ad pœnam *sensus* quod attinet, retinenda est latinorum sententia, in purgatorio esse verum et proprium ignem (2). Id non est *de fide,* nec *expresse* ab Ecclesia docetur.

Gravissimas esse purgatorias pœnas, Patres constanter docuerunt. S. Bonaventura censet maximam quidem purgatorii pœnam esse graviorem maxima huius seculi, non tamen minimam purgatorii pœnam esse acerbiorem huius vitæ maxima. Gravior speciatim est pœna damni tum ratione *boni* quo animæ privantur, tum ratione *amoris* quo in illud feruntur, tum ratione *cognitionis,* qua huius privationis, ob nugas quasdam, se causam esse agnoscunt.

De duratione pœnarum theologi tenent duo: solere aliquas animas satis longo tempore in purgatorio cruciari; nullas animas ultra diem extremi iudicii in purgatorio detentum et cruciatum iri, uti apparet etiam ex sententia, quam Dominus in iudicio proferet.

1154. Tristitia tamen, magna ex parte, levatur propter certam spem illius boni acquirendi. Animæ enim in purgatorio detentæ *securæ sunt de sua salute,* uti constat ex propositione inter damnatas a Leone X (3). Quoniam autem certæ sunt de sua æterna salute, hinc duo simul cognoscunt: *se esse in statu gratiæ* et *se non posse amplius peccare.* Porro ista certissima spes, ait Bellarminus, affert illis incredibile gaudium, et quo magis propinquat finis illius exilii, tanto magis gaudium crescit (4).

II. *De suffragiis.*

1155. Si quæratur *quænam* suffragia pro defunctis fieri possint, respondemus omnium efficacissimum esse *sacrificium missæ,* prouti ipsum

(1) *De Purg.* l. 2, c. 9.
(2) S. Thom. *Supp.* 7, 3.
(3) Bulla *Exsurge,* prop. 38 ex erroribus 41 Lutheri.
(4) Ibid. c. 14.

Tridentinum docuit, deinde optime eis applicari *indulgentias* et generatim in Ecclesia pro solatio defunctorum adhiberi *ieiunia, orationes, eleemosynas* et alia pietatis officia.

1156. Si deinde quæratur pro *quibus* valeant hæc suffragia, theologi disputant de suffragiis, quæ *speciatim* applicantur aliquibus; sed evidens est *de se* valere pro iis, quibus specialis fit applicatio. Dixi *de se,* quia huius applicationis mensura pendet etiam a misericordi acceptatione divina; hinc dicuntur orationes et bona opera animabus prodesse *per modum suffragii.* Conveniunt autem theologi in duobus. *Primo* quod suffragia omnia prosint omnibus, saltem quatenus adferant novum gaudium, quia de quolibet bono opere omnes boni gaudent. *Secundo* conveniunt, quod suffragia communia, pro omnibus facta, prosint etiam omnibus animabus Purgatorii, non solum in ratione gaudii, sed etiam in ratione satisfactionis (1).

1157. *Modus* vero, quo suffragiis defunctos adiuvare possumus, est triplex; vel per *satisfactionem* applicando eis tum satisfactiones Christi et Sanctorum uti in missæ sacrificio et indulgentiis, tum valorem satisfactorium cuiuslibet operis pœnalis; vel per *merita* congrua applicando eis quædam opera bona, quæ ex indole sua non sunt pœnalia, uti est e. g. susceptio sacræ eucharistiæ; vel denique per *impetrationem,* quæ maxime spectat ad orationem; licet enim oratio sit etiam opus aliquod sive satisfactorium sive meritorium, impetrationis tamen characterem sibi veluti proprium vindicat. Generatim hæc triplex ratio simul continetur in quolibet pietatis opere. Revocandum vero est, quod alibi monuimus, impetrationem et meritum de congruo pro alio, nulla ex parte, minuere præmium de condigno debitum iusto propter eadem opera. At non idem est de valore satisfactorio operum, qui si defunctis applicetur, non amplius pro nobis relinquitur; nobis tamen remanet meritum condignum, quod ex hac applicatione nobis acquirimus ad augmentum gratiæ sanctificantis et gloriæ.

1158. Si demum quæramus de *conditionibus* requisitis in eo, qui suffragia offert, respondemus: 1° ad *satisfaciendum* et congrue *merendum* pro defunctis requiri, ut offerens sit in *statu gratiæ,* nisi agat Ecclesiæ nomine. Verum 2° *impetrationis* valor videtur inesse etiam orationibus privatis eorum, qui in statu peccati versantes defunctis requiem adprecantur. Ratio est, quia impetratio, qua talis, non petentis dignitate sed pura Dei misericordia innititur.

(1) Bellar. *De purgator.* l. II, c. 19.

CAPUT IV.

DE PARADISO SEU DE ÆTERNA SANCTORUM BEATITUDINE.

1159. *Paradisus* dicitur regnum cœlorum, in quo Deus semetipsum clare et intuitive videndum præbet electis suis, qui proinde perfecta beatitudine fruuntur. Paradisum non modo esse statum sed locum, apparet ex eo, quod in cœlesti regno etiam corpora, post resurrectionem, inveniri debeant. Ubi vero situs sit, revelatio non docet; indicat tamen ad eum tanquam ad altitudinem ascendi, quia in nostro cogitandi et loquendi usu est, ut quidquid supra terrena elevatur in quadam celsitudine ponamus. Status autem Sanctorum in paradiso vocatur *felicitas*, seu *beatitudo* (1).

1160. Beatitudo definitur a Boëthio: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*, et ex S. Thoma: *Bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum rationalem.* In beatitudine hominis considerari debet tum *obiectum*, seu res cuius possessione reddimur beati; tum *possessio* ipsa et fruitio beatificantis obiecti. Porro *obiectum* beatitudinis humanæ consistere nequit in aliqua re creata, sed *in ipso Deo*, idque suadetur ipsa naturali ratione. Cum enim obiectum proprium voluntatis humanæ, quod eam satiare potest, non aliud sit quam bonum absolutum, et cum bonum creatum semper sit relativum; tum non potest hominis beatitudo consistere in aliquo bono creato; ergo consistit in bono increato, quod non est nisi Deus. Si vero quæratur de *possessione* Dei, hæc haberi nequit nisi per aliquam operationem ipsius hominis, idest per actus intellectus et voluntatis, per cognitionem et amorem. At vero, si quæratur ulterius quotuplici modo possimus ita per cognitionem et amorem possidere Deum, respondendum est: duplici modo, altero *naturali* per cognitionem et amorem ita sane perfectum, ut plene satisfiat naturali hominis desiderio, sed qui tamen non excedat eius naturalem capacitatem: altero *supernaturali* per cognitionem et amorem excedentem

(1) Aliqui theologi hoc *paradisi* nomen vitare videntur, alia synonima pro illo præferentes. Nomen tamen est biblicum, et quidem etiam in hoc sensu, deinceps SS. Patrum et Ecclesiæ usu consecratum. Paradisus, de quo *Genes.* c. 2 et 3, figura erat huius, de quo in *Luc.* c. 23 et in II *Cor.* c. 12.

vires naturæ et respondentem desiderio supernaturali nobis per fidem et caritatem indito. Porro per possessionem Dei naturaliter perfectam habetur beatitudo *naturalis;* per possessionem Dei supernaturaliter perfectam habetur beatitudo *supernaturalis.*

1161. De hac quidem beatitudine loquimur, quam revelatio docet haberi non per cognitionem et amorem Dei quemcumque naturalem licet perfectissimum, sed per eam cognitionem Dei intuitivam, quæ nonnisi supernaturali dono haberi potest et consequenter per amorem, qui pariter supernaturalis illi visioni respondeat.

Cum vero hac beatifica Dei visione Sancti maxime fiant digni, ut a nobis cultu honorentur et invocentur; hinc occasionem sumimus, ut etiam aliqua dicamus de cultu Sanctorum.

1162. Erunt itaque duæ theses, altera de visione beatifica, altera de cultu Sanctorum. Addemus deinde ea, quæ pertinent ad accuratius explicandum utriusque veritatis modum.

THESIS XXIX.

Sancti in paradiso divinam essentiam intuitive vident: unde sunt vere beati.

1163. Declaratio. — Duo sunt demonstranda: 1° Sancti divinam essentiam *intuitive* vident; 2° ex hac Dei visione electorum beatitudo consequitur, unde ea visio *beatifica* dici solet. Relate ad *primum* advertendum est, nomen *intuitionis* et *visionis* desumptum esse a visione rerum per sensum visus: hic tamen agi de cognitione clara *intellectuali,* qua Deus, ipse immediate præsens intellectui, uti in se est, conspicitur. Per oculos autem corporis Deum videri non posse, suo loco monuimus. Hæc *intuitiva* Dei cognitio probe distingui debet tum a cognitione Eius *abstractiva,* qua Deus cognoscitur, ut absens, conceptibus derivatis ex rebus creatis proindeque impropriis et analogicis; tum a cognitione Dei *comprehensiva,* quæ cum ipsum obiectum infinitum adæquet, a nulla creatura, etiam beata, haberi potest.

Relate vero ad *alterum* advertimus: essentiam seu rationem formalem beatitudinis consistere, vel *totam,* vel saltem *principaliter* et *radicaliter,* in ipsa Dei visione; ex visione autem omnino sequi *amorem* et

gaudium (1). Si ab hac speciali quæstione præscindamus, thesis, prouti proponitur, *de fide* est ex constitutione Benedicti XII, qui occasione damnandi errores de modo et tempore perveniendi ad visionem beatificam, hanc declaravit hisce verbis: *Definimus.... quod (omnes beati) post Domini N. I. C. passionem et mortem, viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente: quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur, nec non quod ex tali visione et fruitione eorum animæ, qui iam decesserunt, sunt vere beatæ et habent vitam et requiem æternam* (2).

1164. Demonstratur Pars I. — Id testantur Scripturæ 1° testimoniis disertis, uti illo: *Carissimi, nunc filii Dei sumus: et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (3). Scilicet iam nunc sumus filii Dei et similes ei, attamen pleniore sensu filii et similes Deo erimus, quando videbimus Deum sicuti est in se ipso. Item 2° testimoniis æquipollentibus, uti illo: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi* (4). Atqui claritas Iesu Christi est qua est Filius Dei Patris; eam autem videre non possumus, nisi videamus divinam generationem proindeque divinam Trinitatem. Demum 3° testimoniis comparatis, uti illo Pauli: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (5). Paulus nostræ præsenti cognitioni de Deo opponit futuram, scilicet præsenti cognitioni, quam Dei habemus *mediate (per speculum)* et *analogice (in ænigmate)*, opponit futuram Dei visionem *facie ad faciem;* præsenti cognitioni, quam de Deo habemus *ex parte,* opponit visionem, qua *co-*

(1) Hæc tria in *beatitudine* contineri omnes docent, et ita præclare Alighierius (*Parad.* xxx):

Luce intellettual piena d'amore,
Amore di vero ben pien di letizia,
Letizia, che trascende ogni dolzore.

Sed ad beatitudinis *essentiam* pertinerent, ex Lessio, ea tria simul; ex Suarezio, *radicaliter* visio, verum etiam amor; verius, ex D. Thoma, solum actus intellectus i. e. visio (1-2, q. 3, a. 4).

(2) Denziger, *Enchir.* n. 456, cfr. 588.

(3) I Io. III, 2. Cfr. Matth. V, 8.

(4) Ioan. XVII, 24. Cfr. *II Cor.* III, 18. Matth. XVIII, 10, coll. 22, 30.

(5) *I Cor.* XIII, 12; *II Cor.* V, 7.

gnoscemus Deum, sicut cogniti sumus a Deo. Iamvero ex ipsa oppositione apparet, visionem hanc Dei futuram esse *immediatam,* et *uti in se est,* et qua Deus cognoscatur *totus* in sua essentia et in omni sua perfectione. Id autem confirmatur ex ipsa phrasi *facie ad faciem,* quæ in usu nedum biblico sed etiam communi significat immediatam præsentiam personæ ad personam; unde *videre facie ad faciem,* vel *videre faciem* significat immediatam personæ intuitionem in se ipsa (1). Item illa locutio: *tunc cognoscam Deum, sicut cognitus sum ab eo,* indicat, quod sicut Deus cognoscit me totum, prouti sum in me ipso, sic et ego Deum cognoscam totum, prouti in se est: ea tamen supposita diversitate, quod Deus me, sicut seipsum, intueatur non modo totum sed etiam totaliter, dum econtra Sancti in paradiso Deum intuentur utique *totum* sed non *totaliter,* seu non ea intuitione, quæ adæquat infinitam Dei cognoscibilitatem, et quæ dicitur *comprehensio.*

Hanc doctrinam de intuitiva Dei visione *Patres* quoque admittunt et profitentur. Illud 1° advertendum est, quod Patres antiqui defendebant adversus Eunomianos non modo eminentiam divinæ essentiæ, uti in se est, supra naturalem cognitionem creati intellectus, sed etiam absolutam incomprehensibilitatem Dei in quovis creaturæ exaltatione: nulla autem cum hæreticis erat controversia de supernaturali visione Dei in patria cœlesti. Hinc factum est, quod visionem hanc clare expressam in scripturis supponant, et potius toti in eo sint, ut comprehensibilitatem Dei omnino denegent, quam aliquando vocant *perfectam visionem.* Non ideo reputandum est quod visionem Dei intuitivam denegaverint. Nihilominus 2° etiam diserte visionem Dei intuitivam, data opportunitate, docuerunt. Ad rem citari solent ante controversiam eunomianam Irenæus, Theophilus antiochenus, Clemens alex., Origenes, Cyprianus aliique. Inter ipsos, qui adversus Eunomianos incomprehensibilitatem defenderunt vel postea scripserunt, allegari possunt Basilius, Gregorius nazianz. et nyssenus, Chrysostomus, Cyrillus alex., Hilarius, Augustinus doctrinam Ambrosii declarans et ad Hieronymum appellans, Fulgentius

(1) Quia Deus est intime præsens intellectui beatorum et est iam per se ipsum summe intelligibilis, hinc ad visionem beatificam non requiritur species Dei *impressa;* sed ipsa divina essentia, intellectui beatorum ita præsens, speciei intelligibilis vicem supplet. Imo ex sententia D. Thomæ nec possibile est, ut visio Dei fiat per aliquam speciem impressam creatam. Omnis enim species creata nonnisi *analogice* Deum repræsentare potest. *Sum. th.* I, q. 12, a. 2. Et eadem est ratio quoad speciem *expressam* seu verbum, quod mens intelligendo format: in visione Dei intuitiva admitti nequit, uti videtur.

et præ aliis S. Gregorius M. Hic doctrinam distinctius proponit et insuper difficultatem de Angelis, qui et in Deum prospicere desiderant et semper in cœlis vident faciem eius, ita explicat, ut eius verba omitti non debeant: *Deum quippe Angeli et videre desiderant, et sitiunt intueri, et intuentur.... Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur; ne autem sit in satietate fastidium, satiari desiderant: et desiderant ideo sine labore, quia desiderium satietas comitatur; et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque et nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus: erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas* (1).

1165. Pars II. — In hac porro visione consistere Sanctorum in cœlis beatitudinem, iam satis colligitur ex testimoniis iam allatis præsertim S. Gregorii. His adde, quod passim legimus in Scripturis et apud Patres, hac visione contineri *perfectam adoptionem, vitam æternam, regnum cœlorum, summum præmium, consolationem* ex omni fletu et luctu, plenam *saturitatem* famis et sitis iustitiæ, *inebriationem* voluptatis, *suavitatem* dilectionis, *dulcem fruitionem*. Ita legimus in psalmo: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ et torrente voluptatis suæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ et in lumine tuo videbimus lumen* (2); et in evangelio: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum et quem misisti I. Christum* (3); et alibi: *beati quoniam ipsorum est regnum cœlorum, merces copiosa in cœlis, quoniam ipsi consolabuntur, saturabuntur, filii Dei vocabuntur* (4). Unde et S. Augustinus scribit, quod in cœlo Sancti, *quia præsentem* (Deum) *vident, suavius diligunt, dulcius fruuntur* (5). Rem autem ratione explicat Lessius ex eo, « quod beatitudo nihil sit aliud, quam summi boni apprehensio et possessio. Atqui visio Dei est apprehensio et possessio summi boni. Nam visione, veluti manus complexu, apprehendimus, firmiter tenemus et possidemus ipsum Deum tanquam bonum nostrum nobis ad fruendum datum, ita ut in nostra potestate sit eius dulcedine frui et omnes voluptates, quæ ex ipso hauriri possunt, sine fine percipere (6). » Ergo visio Dei beatitudo est.

(1) *Mor.* xviii, n. 90-93; in Ez. l. I, *hom.* 2, n. 20.
(2) Ps. 35, 19.
(3) Jo. xvii, 3.
(4) Matth. v.
(5) *Serm.* 53, *de tempore.*
(6) *De summo Bono* l. II, c. 4, cf. Thom. 1 2, q. 3.

SCHOLION.

De lumine gloriæ et obiecto visionis.

1166. *Visio beatifica est supernaturalis.* Si enim gratia vires et exigentiam naturæ superat; quanto ergo magis visio beatifica, quæ finis est et apex omnium gratiarum, excedet omnes vires omnemque naturæ exigentiam. Si supernaturalis est *fides* ipsumque fidei *initium;* a fortiori supernaturalis erit visio Dei intuitiva, cuius fides est tenuissima aurora. Hinc Paulus simpliciter pronunciat: *Gratia Dei vita æterna.* — Si vero huius supernaturalitatis quæras rationem, hanc reddit S. Thomas: « Cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suæ naturæ (ipsius cognoscentis). Si igitur modus essendi alicuius rei cognitæ excedat modum naturæ cognoscentis; oportet, quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis... Relinquitur ergo, quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit *supra facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati,* quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum (1). »

1167. *Hinc ad visionem beatificam requiritur lumen gloriæ.* Etenim « cum virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad essentiam Dei videndam, oportet quod ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellectivæ *illuminationem* intellectus vocamus (2). » Porro hæc illuminatio divinitus superaddita intellectui creato, qua elevetur ad Deum intuendum, est quæ communiter a theologis appellatur *lumen gloriæ.* Quamdiu hoc gloriæ lumen ita generice accipitur, eius necessitas *de fide* est ex damnato errore illo in Conc. Viennensi: « Quod quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum (3).

1168. *Lumen gloriæ est virtus creata, supernaturalis, intellectui permanenter superaddita, eum informans ad visionem Dei.* In primis advertimus visionem beatificam esse essentialiter *actum vitalem, supernaturalem* ab ipsa mente beatorum elicitum; proindeque *ipsam virtutem mentis* in se et *supernaturaliter* augendam esse, ut talem vi-

(1) S. Thom. I, q. 12, a 4. Integer articulus perlegatur.
(2) S. Thom. I, q. 12, a. 5.
(3) Denzinger, n. 403.

sionem elicere possit. Non sufficit autem augmentum per *intensionem* naturalis virtutis, quia talis visio non est eiusdem rationis cum visione naturali intellectus creati. Oportet igitur quod fiat augmentum virtutis intellectivæ per *alicuius novæ dispositionis adeptionem.* Hæc autem nova dispositio superaddita menti concipi non debet per modum auxilii actualis, sed per *modum habitus immanentis;* prouti suadet analogia habituum supernaturalium, qui ad actus supernaturales eliciendos infunduntur in hac vita, inter quos est nominatim habitus fidei, cui lumen gloriæ succedit, et habitus caritatis permanens etiam in altera vita (1). Hæc igitur permanens dispositio menti beatorum superaddita, quæ lumen gloriæ dicitur, est *quædam intelligendi vis supernaturalis, intellectui beatorum superaddita et per modum habitus informans mentem, eamque elevans ad intuitivam visionem Dei sicuti est* (2). Scilicet, vis imperfecta et inchoata, quam mens rationalis sive lumine *naturæ* sive lumine *gratiæ* habet ad cognoscendum Deum, per superadditam hanc virtutem, quæ est *lumen* gloriæ, ita elevatur seu completur ac perficitur, ut Deum iam in se ipso clare et perfecte intueri possit. Sicut autem naturalis illa vis intellectus creati est ipsius Dei imago, cui per fidem et gratiam altior iam nunc superadditur divina imago; ita et multo magis in altera vita lumen hoc gloriæ est quædam assimilatio mentis creatæ ad intellectum divinum in ipso modo cognoscendi essentiam divinam, seu est quædam suprema participata similitudo illius lucis infinitæ, qua Deus se ipsum videt: sicque similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Hinc in illa supernaturali visione facie ad faciem, Deus est veluti sol spirituum, qui lucem in Sanctis producens eosque tanquam parelios formans in sui imaginem, facit videntes se ipsum, ut est in se. Ipse enim est immediatum obiectum simulque causa impertiens lumen seu virtutem ad sui visionem (3).

1169. *Munera luminis gloriæ tria.* Ea sic describuntur a Lessio: « Primo *elevat* mentem ad statum divinum eamque efficit deiformem et similem Patri. Mens enim sic illustrata et elevata constituitur in actu primo, et vires accipit ad productionem visionis essentiæ divinæ... Secundo *expandit* mentis capacitatem in immensum, ut... possit... intra

(1) S. Thomas, *Cont. Gent.* l. III, c. 53.

(2) Aliis verbis definitur a Suarez: *Qualitas creata et habitus et virtus intellectualis, supernaturalis et per se infusa intellectui, qua redditur proxime potens et habilis ad videndum Deum. De Deo,* l. II, c. 14, n. 2.

(3) Franzelin, *De Deo* th. XVI.

se quodammodo complecti totam Dei immensitatem... Tertio mentem sic elevatam et expansam *determinat* et *rapit* in visionem, eam eminenti modo iuvando et simul concurrendo ad illius visionis productionem; et simul essentia divina intime præsens intellectui concurrit instar sigilli ad eam visionem formandam et sibi assimilandam (1). »

1170. *Ex diversa luminis participatione, diversa visionis perfectio.* Licet enim omnes beati Deum videant, attamen, uti definitum est a Conc. Florentino, alii aliis perfectius vident, idque pro meritorum diversitate. Visio enim beatifica est merces, merces vero reddi debet *unicuique secundum opera eius* (2). Unde etiam Dominus ait: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (3). — Iamvero si quæratur *quomodo* fiat hæc diversitas in visione, id explicat S. Thomas ex eo, quod *intellectus plus participans de lumine gloriæ perfectius Deum videbit. Plus autem,* prosequitur S. Doctor, *participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de caritate; quia, ubi est maior caritas, ibi est maius desiderium, et desiderium quodammodo facit desiderantem aptum et paratum ad susceptionem desiderati. Unde qui plus habebit de caritate, perfectius Deum videbit et beatior erit* (4). Hinc ex diversa caritate erit diversum desiderium beata visione satiandum, ex diverso desiderio diversa luminis virtus et capacitas ad visionem. Proindeque unusquisque Deum videbit eoque fruetur pro desiderio et capacitate sua, unde nec unus alteri invidebit, quia unusquisque tantum sibi beatitatis percipiet, quantum percipere volet et poterit.

1171. *Obiectum visionis primarium et secundarium.* Obiectum *primarium* est Deus ipse, prouti in se est, proindeque omnes beati intuitive vident Deum et omnia quæ in ipso *formaliter* ac *necessario* sunt, scilicet divinam essentiam, omnes Dei perfectiones absolutas et divinas personas (5). Ratio invenitur in ipsa perfectione et simplicitate absoluti

(1) *De summo bono* l. II, c. 8, n. 52. Ad hæc munera referri possunt tres *dotes* beatæ animæ, eam disponentes ad *visionem*, ad *comprehensionem*, ad *fruitionem*. Quæ tria, ut patet, respondent virtutibus theologicis, i. e. visio fidei, comprehensio spei, fruitio caritati S. Thomas, I, 12, 7 ad 1. Cfr. *Suppl.* q. 95.

(2) Matth. XVI, 27.

(3) Jo. XIV, 2.

(4) S. Thomas, I, q. 12, a. 6.

(5) Hæc de obiecto primario beatificæ visionis est doctrina manifesta Ecclesiæ, uti constat ex citata Benedicti XII Constitutione, et ex Concilio Florentino aliisque decretis. At contra Rosminius in tribus postremis propositionibus ex XL damnatis tenet, Deum esse obiectum visionis beatificæ *in quantum est auctor operum ad extra* (prop. XXXVIII), hæc opera, Dei vestigia, *in æterno exemplari collecta esse eam Dei*

Esse, quod in se ipso est, absque ulla distinctione, omnis perfectio, simulque in identitate personarum cum divina essentia. Verum, licet totus Deus prout est in se videatur, attamen eius fines circumspici non possunt, quia incomprehensibilis est cuique menti creatæ; itemque licet totus ab omnibus videatur, attamen diversa *intensitate* visionis a diversis beatis videtur.

Eo ipso autem quod beati vident Deum, uti in se est, cum omnibus eius perfectionibus, iam simul vident, tanquam obiecta *secundaria*, cetera plurima præter Deum. Omnia enim alia sunt in Deo, sicut effectus sunt virtute in causa. Hinc eorum omnium, quæ Deus facit vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt (1). Ideo nemo cognoscere potest *omnia possibilia*, quia ad hoc requireretur cognitio Dei comprehensiva; omnes tamen beati *plura* præter Deum vident, præsertim ea quæ prius fide credebant, resque creatas, eas imprimis in quibus illustrius divinæ refulgent perfectiones et quarum cognitio eorum multum interest. *Extensio* autem huius cognitionis circa obiecta secundaria est diversa pro singulorum beatorum statu et gloria in cœlesti hierarchia (2).

1172. *Tandem ad gloriam accidentalem spectat corona aureola.* Præter essentialem beatitudinem sunt multa gaudia *accidentalia*, uti mutua amicitia, familiaritas iustorum, honor mutuus aliæque perfectiones, sive communes omnibus beatis, sive singulares aliquibus. Inter has sunt *aureolæ*. Ita dicitur, seu *corona aurea minor*, quæ datur præter coronam auream maiorem essentialis beatitudinis et est præmium aliquod

partem, quæ a Comprehensoribus videri possit (prop. XXXIX); præterea Deum *non posse essentiam suam Comprehensoribus revelare et communicare nisi quatenus relationem habet cum entibus finitis, quorum est creator, provisor, redemptor, sanctificator* (prop. XL). Porro hic est inter alios potior error, quod Deus a Beatis non videatur *totus* secundum suum *esse absolutum*, sed solum *partialiter* secundum *esse relativum*; et error inde crescit, quod ipsa possibilitas negetur videndi per gratiam Deum totum prouti est in sua essentia. Hunc errorem et falso Rosminius infert (prop. XL) ex scholastica phrasi, quod Deus *totaliter* videri non potest. Optime enim cum D. Thoma theologi explicant, quomodo Deus possit videri *totus* in se ipso, *sicuti est*, quin tamen *totaliter* seu *infinite* videatur. Et illud insuper est omnino impossibile, quod asseritur prop. 39, scilicet: in divina essentia *(in divino exemplari)* eius vestigia in creaturis relucentia videri, quin tamen ipsa videatur Dei essentia. Nam potius et prius videri debet Deus in se, ut possit deinde in eo videri eius relatio ad alia, seu videri Deus prout est exemplar creaturarum. (S. Thomas, *De verit.* q. 12, a. 6). *Rosm. pr. Trutina theol.* p. 403 et seqq.

(1) S. Thomas, 1, q. 12, a. 8.

(2) Cf. Franzelin thes. XVII.

speciale pro speciali aliqua victoria, quod probabiliter etiam in ipsum corpus redundat. Pro triplici victoria in *carnem, mundum, dæmonem,* tres solent statui aureolæ: *virginis, martyris, doctoris;* quæ etiam explicantur secundum triplicem conformitatem cum Christo Doctore, Martyre, Virgine.

THESIS XXX.

Pius atque utilis est religiosus cultus, quo Sanctos in cœlo beatos veneramur et invocamus.

1173. Declaratio. — Ex alibi disputatis (1) intelligimus, huiusmodi Sanctorum cultum esse *religiosum,* quia defertur ob excellentiam Sanctorum supernaturalem, esse cultum *duliæ,* aut pro Bb. Virgine *hyperduliæ,* quia ea excellentia non est suprema seu divina, sed subordinata et a Deo in Sanctos veluti in eius servos participata; attamen cultum esse *absolutum,* quia eadem excellentia, licet a Deo recepta, Sanctis nihilominus inhæret ut propria atque intrinseca. Cultum huiusmodi inspicimus secundum eius duplicem partem, tum qua Sanctos obsequiis *veneramur,* tum qua eos precibus pro nobis *invocamus.* Secundum utramque partem thesis est *fide* certa ex Tridentino decreto *de invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum* Sess. XXV, ubi inter alia decernitur: *Bonum atque utile esse suppliciter eos* (Sanctos) *invocare; et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius I. Ch. D. N., qui solus noster Redemptor et Salvator est ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere.*

1174. Demonstratur I Pars. — 1.° Ex *Sacris literis* sumimus *a)* argumentum etiam in V. T., ubi occurrunt exempla cultus religiosi, quem Angelis apparentibus exhibebant viri pii et prudentes, uti *Abraham* (Gen. 28), *Loth* (Gen. 18), *Balaam* (Num. 22), *Iosue* (c. 5) aliique, qui honorabant Angelos ut Dei legatos proindeque cultu sacro. Hinc merito inferimus etiam Sanctos, qui cum Angelis divina visione iam beati sunt, veneratione religiosa honorandos esse. Accedit *b)* in Evangelio speciale argumentum pro cultu Bb. Virginis non modo ex veneratione, quidem religiosa, quam eidem movente divino Spiritu Eli-

(1) In tract. *De Verbo Inc.*

sabeth exhibuit; sed etiam ex illis Bb. Virginis verbis: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Hisce enim manifeste continetur vaticinium de cultu illo religioso, quem per succedentia secula omnes ubique fideles cum summa veneratione gloriosæ Dei Matri usque tribuerunt.

2.° Ex *Traditione* sic apodictice argumentamur: Ille cultus procul dubio pius et laudabilis est, qui in Ecclesia semper obtinuit et viguit. Atqui talis est cultus Sanctorum et præsertim Bb. Virginis Dei Matris. Ergo... *Minor* probatur ex pluribus monumentis, nominatim ex primitivo Ecclesiæ more notandi et celebrandi diem natalitium itemque sepulcra Martyrum; ex altaribus et deinde etiam basilicis seu templis supra Sanctorum reliquias iam antiquitus erectis; ex institutione et celebratione festorum, ex sacrificiis Deo oblatis, laudibus aliisque varii generis obsequiis et solemnitatibus in eum finem peractis, ut Sanctis ipsis honor exhiberetur (1). Antiquum huiusmodi cultum laudat et explicat S. Augustinus, ubi præclare scribit: *Populus christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat.... Colimus martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei. Sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata: quanto etiam fidentiore laude prædicamus iam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. At illo cultu, qui græce λατρεία dicitur... quum sit quædam proprie Divinitati debita servitus, nec colimus nec colendum docemus nisi unum Deum* (2).

3.° Ex quibus S. Doctoris verbis optima colligitur *ratio theologica* huius cultus, nimirum: quod si honor civilis debetur civili virtuti, sapientiæ, potentiæ, nobilitati; honor pariter religiosus seu supernaturalis debetur supernaturali virtuti, sapientiæ, potestati, nobilitati Sanctorum; qui iam sunt in divina caritate confirmati, ipsam vident sapientiam increatam, cum Christo regnant eique divina gloriæ adoptione conformantur.

1175. Pars II. — 1.° Ex *S. Scriptura* id imprimis statuitur, quod invocationis Sanctorum est ratio fundamentalis, nimirum *Sanctos in cœlo beatos orare pro nobis.* Ex pluribus testimoniis tria sufficiant. Unum est ex 2 Mach. cap. ult., ubi Iudas in visione quadam vidit Oniam pontificem et Ieremiam prophetam, qui iam obierant, orantes

(1) Petavius, Lib. XIV, c. 12, 1.
(2) *Cont. Faustum manich.* Lib. XX, c. 21.

pro populo Iudæorum. Iam, si intercedere poterant veteres illi iusti, quando adhuc longe aberant a visione Dei, multo magis id poterunt nunc Sancti ad illam visionem admissi. Aliud est ex Apoc. v, 8, ubi legimus: *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Porro talis oblatio veram Sanctorum intercessionem continet. Tertius est mandatum et exemplum apostolicum *orandi pro invicem;* unde argumentamur, quod si intercedere pro aliis possunt iusti adhuc peregrini a Domino, multo magis id poterunt, qui coram Deo adsunt.

2.° Exinde facile sequitur, utile nobis esse Sanctos invocare. Huius autem invocationis usus non modo in S. Scriptura exemplis commendatur, verum præsertim praxi et doctrina *Traditionis* confirmatur, quæ maxime eluxit, seculo V ineunte, quando SS. Patres Augustinus, Paulinus, et potissimum Hieronymus, strenue Ecclesiæ doctrinam de intercessione et invocatione Sanctorum defenderunt contra errores Vigilantii presbyteri hispani. Verum usus invocandi Sanctos iam seculis antecedentibus universalis in Ecclesia, isque veteribus liturgiis S. Iacobi, S. Matthæi, S. Petri consecratus, satis ostendit apostolicam huius doctrinæ originem (1).

3.° Demum *ex doctrina* S. Thomæ tota ratio explicatur huiusmodi intercessionis et invocationis Sanctorum, quatenus id congruit tum cum Sanctorum caritate et meritis, tum cum toto ordine divinæ providentiæ, tum cum divina visione, qua in cœlo fruuntur. Primo *caritas,* qua Sancti nobis adhuc et vivacius uniuntur, eos movet ut pro nobis orent *oratione expressa,* quatenus votis suis aures divinæ clementiæ pro nobis pulsant; eorum autem *merita* anteacta sunt alio modo pro nobis *oratio interpretativa,* quatenus in conspectu Dei existentia, non solum eis cedunt ad gloriam, sed sunt nobis etiam suffragia et orationes quædam (2). Secundo *ordo,* quem divina Providentia servare solet, ut in rebus gubernandis utatur causis intermediis, etiam postulat quod mediantibus Sanctorum suffragiis Dei beneficia nobis proveniant, itemque eos intercessores nobis invocemus, ut in Deum reducamur (3). Tertio beata ipsa *visio* Sanctis est medium, quo nostras tum necessitates tum invo-

(1) Notandæ invocationes ad Ss. Martyres, quæ adhuc in catacumbis inveniuntur inscriptæ supra illorum sepulcra. De Rossi, *Rom. sotterr.* II, p. 306.

(2) *Supp.* q. 72, a. 4.

(3) Ibid. a. 2.

cationes plane cognoscant, ut opportuna intercessione nobis subveniant. Requiritur enim ad perfectionem beatitudinis, quod unusquisque beatus ea omnia, quæ ad ipsum pertinent, in Verbo cognoscat, ideoque etiam vota et devotiones et orationes hominum, qui ad eius auxilium confugiunt (1).

1176. Contra totam hanc doctrinam de cultu et invocatione Sanctorum nihil valet quod Protestantes opponunt, nimirum sic iniuriam Christo soli mediatori inferri. Hæc enim difficultas oritur a falsa eorum doctrina suo loco confutata de iustificatione mere externa per applicationem iustitiæ Christi, unde concludunt nullam veræ sanctitatis excellentiam esse propriam Sanctis, propter quam vel honorari vel invocari debeant aut possint. « Omnes christiani, clamabat Lutherus, æque magni sumus, sicut Mater Dei et æque Sancti, sicut ipsa » (2). Sed ex bene intellecta vera et catholica doctrina manifestum fit, veræ sanctitatis dignitatem, sive in Bb. Virgine omnino singularem sive in aliis Sanctis præstantem, revera esse eisdem sacris personis propriam et insitam; eam autem nobis rationem esse, propter quam eisdem Sanctis, et singulari modo Bb. Virgini, cultum honoris et intercessionis deferamus. Cum tamen ea dignitas propria Sanctorum simul sit ipsis derivata a meritis Christi et a Deo participata, tum cultus Sanctis exhibitus iterum in Deum et Christum redundat (3).

COROLLARIUM.

De cultu sacrarum reliquiarum et imaginum.

1177. Huiusmodi cultum sponte sequi ex veneratione Sanctis debita, quisque facile intelligit. Si enim Sanctos Dei venerari debemus tanquam membra Christi, Dei filios et amicos et nostros intercessores; etiam eorum reliquias qualescumque honore congruo in eorum memoriam

(1) Ibid. a. 1.

(2) *Serm. de nativ. B. Mariæ.*

(3) Hoc sensu cultus Sanctorum recte quidem dici posset *relativus*, quia ultimatim in Deum refertur. Sed servari debet communis modus loquendi, quo ille cultus dicitur *absolutus*, quia Sanctis exhibetur propter excellentiam eis *propriam*, licet a Deo derivatam. Ad distinguendum cultum *supremum* Deo debitum ab illo *subordinato* Sanctorum, iam vidimus adhiberi alias voces *latriæ* et *duliæ*. In honorem S. Ioseph, liceat adnotare, aliquos Theologos Sponso Bb. Virginis et Patri vicario I. Christi cultum asseruisse *summæ* duliæ, nulli alteri Sancto communem et sola hyperdulia inferiorem, quæ uni Dei Matri debetur. Cfr. Tract. *De Verbo Inc.* Pars II, ubi de S. Iosephi dignitate.

venerari debemus; et præcipue eorum corpora, quæ fuerunt templa et organa Spiritus Sancti in eis habitantis et operantis, et sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem (1). Quod argumentum etiam pro imaginibus tum Sanctorum tum Iesu Christi valet, quæ, ipso docente Tridentino concilio, non ideo colendæ sunt, quod credatur inesse aliqua in eis divinitas vel virtus, sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa; ita ut per imagines quas osculamur, vel coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus et Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur (2).

1178. Hinc intelligimus cultum imaginum et reliquiarum *relativum* quidem esse. Ad quem tamen recte intelligendum adverti debet tripliciter imaginem accipi posse: vel *occasionaliter*, si occasione imaginis archetypum ipsum directe coram imagine veneramur; vel *substitutive*, si imaginem personæ exemplari substituimus, hanc directe venerantes veluti in imagine relucentem; vel *formaliter* seu repræsentative, quatenus imago est archetypi repræsentatio, atque ideo ut aliquid sacrum ad ipsum vel Christum vel Sanctum pertinens. In primo casu *nullus* cultus imagini, sed tantum absolutus ipsi archetypo impenditur. In secundo colitur absolute archetypum simulque, eodem cultu et actu, sed relative et *indirecte*, colitur imago veluti cum archetypo confusa. Adoratur ita Crucifixus in die parasceves. In tertio casu imago ipsa *directe* colitur propter eius excellentiam relativam ad absolutam excellentiam archetypi.

Hic postremus est cultus, qui ordinario imaginibus defertur; est autem non modo relativus, sed etiam in se inferioris ordinis, quam cultus, qui directe ipsi archetypo tribuitur. Ex Bellarmino est cultus quidam imperfectus, qui proprie nec latria, nec hyperdulia, nec dulia dici posset, sed qui *analogice* et *reductive* pertinet ad speciem eius cultus, qui debetur exemplari (3). Eodem fere modo sentiendum et loquendum est de reliquiis aliisque rebus sacris colendis, cum advertentia quod eorum relatio ad sacras personas non consistit in aliqua mera repræsentatione, sed in aliqua speciali coniunctione cum ipsis personis vel habita vel habenda (4). Hinc idem dicas de vera Cruce aliisque

(1) S. Thomas III, 25, 6.

(2) Sess. XXV, *decr.*, quod incipit: *Mandat S. Syn.*

(3) " Forte B. Thomas et B. Bonaventura et alii hoc solum dicere voluerunt, cum dixerunt, eodem cultu coli imaginem et exemplar. „ Bellar. *De Imag. Sanct.* c. 25.

(4) Franzelin *De Verbo Inc.* th. XLV.

s. Passionis reliquiis et, facta proportione, etiam de Crucis aut Crucifixi imaginibus; quæ omnia honoranda sunt cultu relativo non *propriæ*, sed *analogicæ* latriæ.

PARS ALTERA.

DE NOVISSIMIS MUNDI.

1179. Postquam egimus de singuli hominis Novissimis, de Novissimis mundi dicendum est, seu de extremis humani generis factis, quæ una voce dici solent: *illa dies Domini, dies Christi, dies Filii hominis, novissimus dies, finis, consummatio seculi.* Ad diem hanc spectant *signa prævia, conflagratio et renovatio mundi, carnis resurrectio, iudicium universale.* Hic est ordo eventuum, quem statuit S. Thomas in hoc recedens ab Augustini sententia referentis conflagrationem mundi eiusdemque renovationem post bonorum malorumque iudicium.

Sed hæc quæstio et aliæ plurimæ, sive circa signa prævia sive circa mundi renovationem, nondum solvi possunt nisi coniecturis plus minusve probabilibus. Licet enim ea omnia ventura esse credendum sit, attamen quibus modis et quo ordine veniant, certo statuere nequimus (1). Hinc hisce prætermissis, satius erit dicere de iis, quæ *fide* credi debent, tum circa resurrectionem tum circa ultimum iudicium; idque præstabimus duobus insequentibus capitibus.

(1) *Signa præsaga finis* erunt: prædicatio evangelii in universo orbe (Matt. XXIV) conversio iudæorum ad fidem (ad *Rom.* XI); adventus prophetarum Henoch et Eliæ (*Apoc.* XI); magna populorum apostasia (II *Thessal.* II); adventus et imperium Antichristi (I Io. II, IV; II, V).

De mundi innovatione tenendum est, præsentem huius terræ statum finem esse habiturum, non tamen mundanam substantiam esse annihilandam, sed tantum *innovandam* et clarificandam. Quo autem *igne* præsens rerum ordo consummabitur, eodem mundus simul renovabitur. Ita perspicue docet Petrus: *Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur... Cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero cœlos et novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat II ep.* III, 10-13; Cfr. *Apoc.* XXI; 19 *Rom.* VIII, 19 et seq.

CAPUT I.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

1180. *Resurrectio mortuorum* definiri potest: *corporis morte amissi restitutio et animæ cum eodem iterata coniunctio.* Dicitur vero *resuscitatio,* si spectetur prouti efficitur virtute Dei corpora mortuorum ad vitam revocantis. Dicitur etiam resurrectio *carnis,* ne quis forte animam simul cum corpore interiisse, utrumque vero in vitam revocari existimaret.

Resurrectionem, post sadducæos, inficiati sunt simoniani, marcionitæ et alii, quin dicatur de rationalistis, qui eam dicunt impossibilem. Gentiles eam penitus ignorabant. Contra, dogma huiusmodi, sicut fundamentale, luculentissime in revelatione proponitur.

THESIS XXXI.

Ad Christi iudicis adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis propriis, quæ nunc gestant.

1181. Declaratio. — Thesis effertur ipsissimis verbis symboli athanasiani, et Concilii lateranensis. In illo profitemur: *Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.* Concilium vero, in capite *Firmiter,* melius explicat identitatem corporum statuens, quod *omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant.* Hinc duo strictissimo sensu sunt *de fide:* primo *omnes,* tum electos tum reprobos, esse resurrecturos; deinde resurrecturos esse eo in corpore, *quod, dum viverent, gestarunt.*

1182. Demonstratur Pars I. — 1° Inter plura, quæ ad rem sunt, *Scripturarum* effata, eminet illud in I ad Cor. xv, ubi Paulus, comprobata (*v.* 1-12) Christi resurrectione, de nostra disserit et non solum testatur *mortuos esse resurrecturos,* sed etiam variis rationibus confirmat (*v.* 12-32) et ipsum resurrectionis *modum* inquirit (*v.* 35 et seq.). Inter alias rationes duas præsertim affert. Primam ex Christi resurrectione desumit: *Si autem Christus prædicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? si autem resurrectio mortuorum non est, neque*

Christus resurrexit (*v.* 12). Alteram rationem petit ex perfecta Christi de morte victoria: *Oportet autem illum* (Christum) *regnare, donec* (Pater) *ponat omnes inimicos sub pedibus eius* (Christi). *Novissima autem inimica destruetur mors.... Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: absorta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua?* (*v.* 25, 26, coll. ad *v.* 54-55). Sed si homines non resurgerent, vel si non omnes, mors plene non esset devicta nec destructa, et aliqua adhuc relinqueretur morti ipsi victoria. Hinc: *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (*v.* 22). Ita omnium mortuorum resurrectionem generatim asserit Paulus, licet speciatim insistat in resurrectione iustorum.

Verum disertius tum iustorum tum reproborum resurrectio asseritur a Christo, ubi ait: *Nolite mirare hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii* (1). In quibus sane verbis sermo est de resurrectione eaque *universali* bonorum et malorum, quæ imo fiat simul eodem tempore. Hisce aliisque ex N. T. testimoniis respondet fides iudæorum, cuius testis est Martha confidenter pronuncians: *Scio quia* (frater meus) *resurget in resurrectione in novissimo die;* testes sunt fratres illi Machabæi, qui pro fide morituri spem suam in resurrectione profitentur; item testis iam solemnis est ipse vetustissimus Iob firmissime sperans, se in novissimo die de terra surrecturum et suis ipsis oculis visurum esse Redemptorem (2).

Accedit 2° luculentissima *traditio* christiana, quæ manifesta est in symbolis omnibus, in professione martyrum, in scriptis Patrum. Imo Patres, exquisitis undique argumentis et analogiis, ostendunt hoc dogma rectæ rationi non adversari, sed potius ei omnino congruere. Potissimam rationem affert Chrysostomus ex ipsa *hominis natura* inspecta. *Homo enim*, ait ipse, *non est anima sola, sed corpus et anima. Si ergo anima sola resurget, dimidium animal resurget, et ita non integrum* (3). Scilicet cum anima immortalis sit et cum naturalem propensionem habeat ad corpus humanum; eam a suo corpore separatam perpetuo manere, esset aliquid præter naturam. Alteram rationem affert Ambro-

(1) Io. v, 28, et seq.
(2) Io. xi, 24; 2. Mach. vii, 1; Iob. xix, 23.
(3) Apud. Iungman, Tract. *De Novissimis*, n. 216.

sius ex *congrua æquitate* Dei remunerantis: *Quomodo in iudicium vocabitur anima sine corpore, cum de suo et corporis contubernio ratio præstanda sit?* (1). Congruum est enim corpus particeps reddere sive præmii sive pœnæ, cum particeps fuerit meriti sive boni sive mali. Tertiam rationem repetunt Patres ex analoga *renovatione rerum omnium* in hoc spectabili universo. Hanc analogiam optime exponit Tertullianus in suo opere *De resurrectione carnis*, eamque in compendium redigit Minucius Felix, ubi scribit: *Vide adeo, quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit et nascitur, astra labuntur et redeunt; flores occidunt et reviviscunt; post senium arbusta frondescunt; semina nonnisi corrupta revirescunt. Ita corpus in sepulcro, ut arbores in hiberno, occultant virorem ariditate mentita. Quid festinas, ut cruda adhuc hieme reviviscat et redeat? Exspectandum nobis etiam corporis ver est* (2). Demum, ut de aliis argumentis taceam, passim Patres arguunt ex *analogia fidei*, præsertim ex eo, quod Christus venit ut repararet abunde Adæ ruinam ideoque etiam ut mortem vinceret; itemque ex sumptione Eucharistiæ, inter cuius effectus etiam futuram resurrectionem vidimus recenseri (3).

1183. Pars II. — Corporis resuscitandi *identitas* probatur 1° ex ipso *resurrectionis* nomine. « Resurrectionis vocabulum, aiebat Tertullianus, non aliam rem vindicat, quam quæ cecidit (4). » Surgere enim potest dici quod omnino non cecidit, quod semper retro iacuit. Resurgere autem non est nisi iterum surgere *eiusdem*, quod cecidit. Hinc resurrectio dici nequit, nisi anima ad *idem* corpus, quod cecidit, redeat; si non est *idem corpus*, quod anima resumit, nec dicitur resurrectio, sed magis *novi corporis* assumptio (5).

(1) S. Ambr. Lib. *De fide resurrectionis*, n. 52, cfr. 88; *Op.* vol. v.

(2) Minucius n. 34. Cfr. Tertullianus, *De resurr. carnis* c. xii.

(3) Tertull. *De resurr. carn.* c. xxxiv et xlvi; Cfr. Franzelin, *De Euch.* th. 19. — S. Thomas demonstrat corporum resurrectionem ex conditione *non naturali* quod anima perpetuo maneat a corpore separata; ex *incompleta felicitate* animæ separatæ; ex divina *providentia* et *iustitia* quoad præmia et pœnas. Ita *Cont. Gentil.* lib. iv, c. 79. Cohærenter ad hanc doctrinam Alighierius in ore ponit Beatricis hæc verba:

Come la carne gloriosa e santa
Fia rivestita, la nostra persona
Più grata fia, per esser tutta quanta. Par. xiv.

(4) *Cont. Marcionem* lib. v, c. 9; item S. Greg. M. *In Iob.* l. 14, c. 26; Damascenus, *De orth. fide* l. 4, c. 27; Chrys. *Hom. in resurr. mortuorum.*

(5) S. Thom. *Supp.* 81, 1.

Probatur 2° testimonio expresso Scripturarum. Iob dicit: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum* (hebr. *et postremus*, scil. Redemptor, *super pulverem surget*, scil. super pulverem meam ut eam redimat, sane non aliunde quam ab interitu) *et rursum circumdabor pelle mea* (hebr. et postea pelle circumdabuntur hæc) *et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt et non alius* (1). Carnis resuscitandæ *identitas* clarius indicari non poterat. Nec minus clare Apostolus: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Sic porro loquitur, ut veluti digito illud indicet dicens: corruptibile *hoc*, et mortale *hoc* (2).

Probatur 3° ex Patrum et Ecclesiæ suffragio. Ex quibus analogiis et rationibus congruentiæ Patres resurrectionem confirmant, ex iisdem carnis identitatem inculcant, idque præsertim ex illo argumento quod ab iustitia derivatur. Ita Tertullianus dicit *absurdum.... aliam substantiam operari, aliam mercede dispungi, ut hæc quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur: item e contrario hæc quidem caro in spurcitiis volutetur, alia vero damnetur... Marcionem pro Valentino resuscituri* (3). Practice hanc fidem Ecclesia profitetur sive cultu ss. reliquiarum, sive generatim cura, quam gerit de defunctorum corporibus.

Ad eam 4° perpetuam difficultatem, quæ contra corporum identitatem desumitur sive ex perpetuis mutationibus, quas corpus humanum vitæ suæ decursu subit, sive ex eo, quod eadem materia in pluribus successive corporibus esse potuerit; sufficiat illa Patrum responsio: utique idoneus est reficere qui fecit, cum plus sit fecisse quam refecisse (4). Hinc si Deus decrevit corporum resurrectionem, facile poterit singula corporis elementa, quæ ad eius identitatem absolute exiguntur, tueri et servare, itemque curare ne in alterius transeunt corporis proprietatem. Huic etiam aliqua lege constituta Deus providere potuisset, ut ex corporibus humanis illa saltem essentialis materia, quæ primum fuerit per animam rationalem informata, ea non posse ab altera anima humana informari. Advertendum est autem, necesse non esse, ut in

(1) Io. XIX, 25, et seqq.

(2) I. Cor. XV, 53, et in h. l. Theodoretus.

(3) Tertull. *De resurr. carn.* c. LVI. Cfr. S. Thomas, *C. Gent.* l. IV, c. 79; *Supp.* 77, a. 1 ad 3.

(4) Tert. l. c. cap. XI; Chrys. *hom. de resur. mort.* n. 7.

resurrectione omnia et singula elementa restituantur, cum plura sæpe redundent, et alia possint Dei omnipotentiâ suppleri, incolumi manente corporis identitate. Demum etiam illud advertas, quod elementum potissimum et *formale* identitatis corporis ipsius, est anima rationalis (1).

SCHOLIA.

I. *De Corporum resurgentium integritate et qualitatibus.*

1184. Extrema die, cum in humani generis cineres, ministerio Angelorum undique collectos, gloriosa Redemptoris caro suos refulgentes radios iaculaverit; tunc *in momento, in ictu oculi, in novissima tuba, ... mortui resurgent* (2). Et quidem omnes, etiam reprobi, etiam parvuli cum peccato originali defuncti, resurgent in perfectione naturæ, cum suo corpore integro eâque statura et quantitate, quam quisque vi suæ individuæ naturæ habuit vel habere debuisset. Resurrectio enim est opus Dei, *cuius perfecta sunt opera.*

Verum iusti resurgentes erunt Christo redivivo, exemplari suo, plus minusve similes pro cuiusque meritis, unde et eâdem Christi resurgentis gloria fulgebunt, nominatim vero dotibus *impassibilitatis, claritatis, agilitatis* et *subtilitatis* ornabuntur (3). Quæ dotes ex anima redundabunt in corpus non solum causalitate morali, sed probabiliter etiam physica. Censet Augustinus etiam vulnerum cicatrices in martyribus cum decore quodam esse mansuras (4).

Corpora econtra damnatorum, licet physice integra, in deterius mutabuntur, iisque qualitatibus erunt prædita, quæ beatorum dotibus plane sunt contrariæ.

II. *De Chiliastarum sententia.*

1185. Chiliastæ seu millenarii sunt qui, sec. II et III, regnum Christi gloriosum in terris, quasi intermedium inter præsentem mundi seu Ecclesiæ militantis statum et ipsam gloriam æternam, per mille circiter annos duraturum admittebant. Pro gaudiorum varietate, sive

(1) S. Thom. *C. G.* l. IV, c. 81.
(2) I *Cor.* XV, 52.
(3) S. Thomas *C. G.* l. IV, c. 85. Cfr. Catech. rom. *De XI Symb. art.* n. 13.
(4) *De Civ. Dei* L. 22, c. 20: Catech. *rom.* l. c. n. 10.

carnalium sive spiritualium, quibus iusti illo in statu frui deberent, chiliasmus alius erat *crassus*, et alius *spiritualis*. Ille a Patribus inter hæreses accensetur, hic admissus ab aliquo Patrum, uti a Papia, numquam fuit damnatus, licet communiter dicatur *falsus* omnino et *temerarius*, quia evidenter adversatur Scripturis et Patribus. Verba Apocalipseos (1), quibus millenarii innitebantur continent resurrectionis duplicis et regni millenarii Christi *obscuram* mentionem, quæ, ex certa lege sacræ hermeneuticæ, intelligi debet cohærenter ad dogmatum analogiam et Patrum sensum. Hinc *resurrectio prima*, de qua inibi Ioannes, esset illa spiritualis, qua anima a morte peccati ad vitam gratiæ ac deinde gloriæ revocatur: *regnum* autem *millenarium*, esset totum illud tempus indefinitum usque ad finem mundi, quo iusti in cœlis cum Christo regnabunt, ante resurrectionem secundam, seu carnis.

CAPUT II.

DE IUDICIO UNIVERSALI.

1186. Præter iudicium particulare, de quo locuti sumus, erit in fine mundi iudicium universale, seu de omnibus omnium sæculorum hominibus simul ac de angelis. Hoc iudicium futurum esse denegaverunt antiquitus plures Gnostici, medio ævo Catari et Albigenses. Veritatem catholicam defendimus insequenti thesi.

THESIS XXXII.

Post resurrectionem fiet iudicium universale.

1187. Declaratio. — Thesis *de fide* est, ut patet ex omnibus symbolis, nominatim ex athanasiano: *omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem.* Dicitur iudicium *universale*, quia eidem intererunt *omnes* omnino *homines* qui fuerunt, non solum adulti sed etiam infantes, non solum fi-

(1) Apoc. xx, 4, 5: *Vixerunt et regnaverunt* (iusti) *cum Christo mille annis. Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.* Cfr. Martini in h. l.

deles sed etiam infideles: imo præter homines adstabunt etiam *angeli* tum mali quam boni, et ipsi probabilius tunc iudicandi.

1188. Demonstratio. — I. In *Sacris Scripturis* tum V. tum N. Testamenti non modo *veritas*, verum etiam *forma* et *adiuncta* iudicii extremi exhibentur. De Iudicio enim 1° sermo est in *psalmis* (1), apud *Isaiam* (2), *Danielem* (3), *Ioëlem* (4), *Sophoniam* (5), *Zachariam* et *Malachiam* (6). Clarius 2° diem iudicii prædixit Christus, idque passim uti in parabola zizaniorum (7), et præsertim ubi, parabolis propositis de decem virginibus et de talentis distributis servis, concludit extremum iudicium ob oculos ponendo illis verbis: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem....* Et prosequitur notissimam referens sententiam, quæ ab iudice pronunciabitur, sive super electos sive contra impios. Concludit vero: *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam* (8). Item 3° Apostoli, ut plurimum, ab huius iudicii denunciatione evangelii prædicationem auspicabantur (9), itemque de eodem extremo iudicio sæpissime loquuntur in suis epistolis (10) et nominatim Ioannes in Apocalypsi: *Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt.... et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum* (11).

II. *Patres* autem non modo veritatem asserunt iudicii, sed illud etiam convenientissimum esse demonstrant, ut solemni quadam ratione humani generis fatis imponatur finis; ut iudicium particulare promulgetur; ut homines, quatenus membra sunt societatis humanæ et quatenus eorum actus in aliorum cedebant commodum vel damnum, publice diiudicentur; ut lucidissime appareat Dei in omnibus sapientia et iustitia; ut ab om-

(1) Ps. xcv, 13; xcvii, 9.
(2) Is. xiii, 9.
(3) Dan. vii, 9,
(4) Ioel. ii, 1 et seq.
(5) Sophon. i, 12, 14.
(6) Zach. xiv, 5; Malach. iv, 1 et seq.
(7) Matth. xiii, 30, 39.
(8) Matth. xxv, 31 et seq.
(9) *Act.* x, 42; xvii, 31; xxiv, 25.
(10) II *ad Cor.* v, 10; II Petr. ii, 9; Iud. 14.
(11) *Apoc.* xx, 12.

nibus intellectualibus creaturis solemne et publicum obsequium I. Christo deferatur (1).

SCHOLION.

De adiunctis Iudicii.

1189. *Quatuor* sunt explicanda: maiestas iudicis, reorum discussio, sententiæ prolatio, sententiæ executio. Ea breviter, Lessio duce, enarramus.

Quod ad *primum* attinet, omnibus iudicandis congregatis, incipiet in sublimi comparere iudex cum summa potentia et gloria in nubibus cœli (2). In qua comparitione septem circumstantias attendas, quæ sunt *signum crucis* illustri et augusta specie appariturum in cœlo; *maiestas* iudicis apparentis in corpore glorioso supra solis fulgorem splendido; *comitatus omnium angelorum,* qui cum eo in aliqua splendida specie apparebunt; *nubes cœli,* quibus recinctus Filius hominis veniet, sicut nube cinctus in cœlum ascendit; *thronus gloriæ,* in quo Christus iudicaturus sedebit; *congregatio omnium gentium* seu omnium rationalium creaturarum coram supremo iudice; *potestas iudiciaria* Christi in omnes illos, sive homines sive angelos, tanquam in proprios subditos et servos (3).

1190. Sequitur *secundo* reorum discussio. Sicut in iudicio humano fit, ita in magno illo et supremo tribunali publice proponentur omnium facta, dicta, cogitata, quæ præmio vel pœna digna sint. Ita conscientiæ et opera singulorum vel bona vel mala omnibus revelabuntur. Petes quomodo id fiet? Respondeo: illuminando mentem cuiusque tum circa propria facta, tum circa aliena, ut docet S. Augustinus. In quæstione vero, utrum peccata etiam electorum erunt manifesta, magister sententiarum negat, quia par est, ut ea, quæ hic tecta per pœnitentiam fuerint, ibi quoque tecta sint; alii econtra tenent eatenus etiam electorum peccata esse manifestanda, quatenus omnia etiam bona opera cognosci

(1) Cfr. Knoll *De Deo Consumatore* § 839, et seq.

(2) Ita ex Matth. XXIV-VI; Marc. XIII; Luc. XXI.

(3) Iudicium exercendum esse a Christo in forma humana, symbola profitentur et Scripturæ manifeste testantur, Io. V, 27; *Act.* I, 11; X, 42; II *Cor.* V, 10. Primaria auctoritas iudicandi est tribus simul divinis Personis, sed eam exercebit Christus ut homo. Suarez, in 3 p., q. 59, a. 1.

debent, inter quæ est pœnitentia, confessio peccatorum, et austeritas vitæ in satisfactionem pro peccatis suscepta. Attamen nullo hinc pudore electi afficientur, quippe hoc est alienum a beatitudinis statu.

1191. Prolatio *tertio* sententiæ erit sensibili voce in electos primum, deinde in reprobos. Illis Christus dicet: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Quod porro regnum dabitur duplici titulo, nimirum ut hæreditas filiis et ut merces bene operantibus. Paratum autem illud dicitur iustis tum ab æterno in prædestinatione, tum deinde in creatione, quando sedes beatorum condita fuit, tum demum per mortem Domini, qui subinde cœlum ascendit, ut pararet nobis locum. Ad reprobos autem Dominus terribili vultu conversus, dicet: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.* Dicuntur *maledicti* non *Patris mei* sed absolute, quia maledictio non est a Deo sicuti benedictio, sed a malis ipsorum operibus. Indicatur vero duplex pœna, tum dammi cum dicitur *discedite a me,* tum sensus cum dicitur *in ignem æternum.*

1192. Demum, lata sententia, statim sequetur *exécutio:* nam cum iudex sit omnipotens, sermo eius est efficax. Ignis involvet reprobos, terra usque ad inferos dehiscente, et illi divina virtute coacti statim cum strepitu immenso et clamore in locum suum descendent. Christus autem cum omnibus electis magno triumpho redibit in cœlum, ubi *regnabit... in æternum, et regni eius non erit finis* (1). Regnum hoc suum nempe Ecclesiam Sanctorum, quam ipse ad salutem adduxit, Deo et Patri tradet, ut inquit Apostolus; et sic erit *Deus omnia in omnibus* (2). Deus enim, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, visione amore gaudio possessus, erit ultimus finis, terminus, requies Sanctorum.

(1) Luc. I, 32, 33; Cfr. Dan. VII, 13, 14.
(2) I *Cor.* XV, 24, 28.

EPILOGUS.

DE COMMUNIONE SANCTORUM.

1193. Post rerum omnium consummationem, Ecclesia tota in cœlis collecta erit, beatæ æternitatis consortio una. Verum interim pro triplici suorum membrorum statu, veluti in tres provincias, in militantem, purgantem, triumphantem distinguitur. Attamen adhuc in unam societatem vinculo caritatis colligatur. Hoc invisibili vinculo ea mirabilis inter diversa membra communicatio continetur, quæ dicitur *Communio Sanctorum,* et est articulus fidei, de quo in symbolo, una cum Sancta Ecclesia catholica, professio fit. Iam de hac veritate, coronidis loco, aliqua dicemus, nimirum *quid, an* et *quomodo* sit.

1194. *Quid sit* hac definitione satis indicatur, quod scilicet Communio Sanctorum est *mutua eorundem spiritualium bonorum communicatio inter membra triplicis Ecclesiæ, viantis, purgantis et triumphantis, tanquam inter membra unius corporis in Christo.* Brevi: est quædam inter Ecclesiæ membra spiritualium bonorum circulatio, veluti est inter membra corporis humani circulatio sanguinis.

Dicitur *communicatio* participatio, quam singula membra habent de bonis spiritualibus in communi positis, eaque est *mutua* seu alterna ita, ut de bonis spiritualibus unius alia membra secundum quandam mensuram participent. *Bona* vero *spiritualia* sunt opera virtutum, intercessiones, merita, satisfactiones. *Membra* quæ de his bonis plenius participant sunt *Sancti,* seu qui de facto iusti et cari Deo sunt, iique non modo beati in cœlo, sed etiam qui vel patiuntur in purgatorio vel adhuc militant in terris. Qui in peccato mortali sunt, licet per fidem adhuc Ecclesiæ membra, tamen, cum sint membra mortua, de illis omnibus bonis non participant, sed tantum de aliquibus et aliquomodo (1). Deinde hæc membra invicem communicantia dicuntur pertinere ad *triplicem Ecclesiam* et non solum ad militantem, ut intelligamus hanc Sanctorum Communionem distingui ab ea visibili unione, qua hic fideles viatores in Ecclesia catholica adunantur, proindeque unionem esse spiritualem et invisibilem, quæ seculum hoc transcendens in æternitatem permanet. Cetera verba addita definitioni huius sanctæ Communionis rationem fundamentalem exprimunt, quæ est universæ Ecclesiæ *unitas in Christo.*

(1) *Catech. rom.* P. I, n. XXVII.

Quæ unitas si aliquando dicitur esse ipsa Communio Sanctorum, id ex sumpta causa pro effectu intelligi debet (1).

1195. *An sit*, et melius dicam, quod reipsa adsit hæc Sanctorum Communio, ex eius fundamentali ratione hoc argumento demonstratur: Communicatio bonorum in quolibet composito ab eius unitate pendet ita, ut eo potior sit communicatio, quo potior unitas. Atqui Ecclesia, non modo militantium, sed etiam purgantium et beatorum, universa simul, in Christo maxime unitur. Ergo inter membra hæc omnia universæ Ecclesiæ maxima est ad invicem Communicatio bonorum.

Maior vel ex eo apparet, quod iuxta ordinem ipsius naturæ evenit in quacumque societate, sive civili sive domestica, et nominatim in ipso humano corpore; in quo scilicet singula membra ad totius corporis harmoniam concurrunt, de eodemque vitæ et sanitatis vigore participant adeo, ut si unum membrum aliquo dolore afficitur, cetera etiam naturali cognatione et consensu doleant: si contra bene affectum est, communis sit ille iucunditatis sensus (2).

Minor quoque probatur, scilicet huiusmodi esse, quamvis ordinis excellentioris, unitatem, qua omnia Ecclesiæ membra, sive militantia sive purgantia sive triumphantia, in Christo colligantur. Est enim unitas sicut civitatis et domus, et quidem quæ in cœlis est, et cuius nos ipsi viatores simul cives et domestici sumus, iuxta illud Pauli: *Iam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei* (Eph. II, 19). Imo ex sublimi Pauli doctrina sæpius repetita Ecclesiæ unitas est quasi unius corporis, quod ex Christo Capite *totum compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate* (Eph. IV, 16). Quam porro unitatem ipsa morte non solvi, sed adhuc inter vivos et defunctos permanere, idem Paulus docet, dum ait illud corpus, hic adhuc ædificari et augmentum facere, *donec occurramus omnes* nunc quidem *in unitatem fidei*, sed deinceps in unitatem claræ *agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, quousque scilicet completus erit in gloria cœlesti numerus Sanctorum (Eph. IV, 4, 16). Et expressius idem Apostolus de Christo dixerat: *Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam* (Eph. I, 22), idque consulto, ut Christus Caput esse intelligatur non solius Ecclesiæ in terris viantis, sed *omnis* Ec-

(1) *Catech. rom.* P. I, n. XXV.

(2) *Catech. rom.* P. I, n. XXVI; Cfr. *ad. Cor.* XII, 21, 22.

clesiæ etiam purgantis et triumphantis. Et revera non sunt plures Ecclesiæ invicem divulsæ, ubi unum idemque est caput, sed est una eademque Ecclesia; cuius membra sunt quidem in diverso statu, sed omnia æque adhærent uni Capiti Iesu Christo, qui unicuique parti Corporis sui præest et inest, triumphanti quidem ut glorificans et glorificatus, militanti ut victima in altari et offerens, purganti ut expiantis desiderii obiectum, omnibus partibus ut eas caritate uniens.

Hinc *conclusio* eâdem Pauli doctrina exprimi et illustrari potest, quod *multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra* (Rom. XII, 5), seu *membra de membro,* eo sensu quod, *pro invicem sollicita sint membra; et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra* (I Cor. XII, 27, 25, 26). Cum autem hæc communicatio inter Ecclesiæ membra ab eorum unitate in Christo sequatur, hinc ea tota ab ipso Capite Christo dependet eique subiicitur. Quod enim bonum ab uno in aliud Ecclesiæ membrum communicatur, id omne ab uno Iesu Christo derivatur, qui unus tum in viatoribus orat, meretur et satisfacit, tum in purgantibus sublevat et sublevatur, tum in comprehensoribus invocatur et intercedit.

1196. *Quomodo* Communicatio huiusmodi contingat, declaratur, si inspiciamus quæ sint bona spiritualia communicanda et sub qua lege. Bona sunt triplicis generis. Imprimis sunt *opera* eximia, quibus omni tempore Sanctorum virtutes emicuerunt, quæque in sacris annalibus religiose narrantur: hæc dona *exemplo* et *imitatione* communicantur. Deinde sunt *intercessiones* et orationes, quæ in unaquaque trium Ecclesiarum sine intermissione fiunt: eæ tum *applicatione* tum *invocatione* communicantur, quatenus quisque ad divina beneficia obtinenda vel suas orationes in alios applicat vel Sanctorum intercessiones pro se aliisque invocat. Tertio sunt *merita,* non quidem condigna ipsi merenti propria, sed congrua, et præsertim satisfactiones ad pœnas luendas, quæ ex culpis dimissis remanent: hæc bona communicantur vel per *cessionem,* si quis merita et satisfactiones in alios transfert, vel per *appropriationem,* si quis merita et satisfactiones Sanctorum, quibus caritate et devotione coniungitur, Deo ipsi sive pro se sive pro aliis repræsentat et offert. Auctoritative hæc repræsentatio et translatio satisfactionum Christi et Sanctorum ab ipsa Ecclesia fieri solet sive pro vivis sive pro defunctis per indulgentias, de quibus superius diximus (1).

(1) Alio ordine et pro speciali tractatu, huc transferri possunt quæ superius diximus de *suffragiis* pro defunctis et de *cultu sanctorum*, aliquibus præterea additis de *spiri-*

Ex dictis omnibus hanc supremam legem Communionis Sanctorum colligimus, i. e. quod « ea a Christo pendet, tota in eo consistit, ad eum usque redit. » Pendet a Christo tanquam a suo principio seu a principio illius unitatis Ecclesiæ, in qua, uti diximus, Communicatio ipsa fundatur. In Christo tota consistit et veluti recapitulatur, quia omnium bonorum, quæ communicantur, Christus est fons et causa, imo est summum ipsum bonum, quod omnibus bonis æquivalet omniaque continet. Nam Ipse est omnium virtutum exemplar princeps; Ipse ad Patrem advocatus semper interpellat pro nobis, sine quo alii Sancti interpellare non valent; Ipse solus condigne pro omnibus meruit et seipsum victimam satisfactionis pro genere humano vere substituit. Demum ad Christum ipsum ista bonorum circulatio refluit, dum eo tendit, ut membra Ecclesiæ sese invicem adiuvent in ædificationem corporis Christi, donec omnia occurrant in virum perfectum seu in Christum, qualis cum suo corpore completo erit, quando in cœlis consummatus fuerit numerus Sanctorum (Eph. IV, 13). Brevi: ex Christo Capite *totum corpus, per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei* (Coloss. II, 19).

tuali fraternitate inter conviantes fideles. Distinctius autem communicamus: 1° cum Beatis eorum virtutes *imitando,* gloriam coram Deo et hominibus *celebrando,* adiutorium nobis *invocando;* 2° cum Animabus purgantibus eas nostris *virtutum operibus* consolando, a debito pœnarum *satisfactionibus* solvendo, divinæ indulgentiæ *precationibus* commendando; 3° cum Fidelibus viventibus eos honestatis exemplis *ædificando,* a peccatis *reparando,* ad invicem et pro omnibus *orando.*

FINIS

INDEX

Tractatus VII. — *DE SACRAMENTIS IN GENERE* . . . *Pag.* 3

CAPUT I. — De exteena sacramentorum constitutione . . . . „ 5
§ I. — Signum sacramentale semper est in aliqua re sensibili . „ 6
„ II. — Signum sacramentale quid et quomodo significet . . „ 7
„ III. — Quibus partibus signum sacramentale constet . . . „ 9
CAPUT II. — De intrinseca sacramentorum efficacitate . . . „ 12
Thesis 1. — Sacramenta gratiam conferunt ex opere operato . . „ 14
Coroll. I. — Sacramenta N. L. differunt ab illis V. L. . . . „ 18
— *II.* — Verba consecratoria sunt . . . . . „ 19
Scholion. — De natura gratiæ, quæ per Sacramenta confertur . . „ 20
Thesis 2. — De existentia characteris sacramentalis . . . . „ 22
Scholion. — De natura characteris sacramentalis . . . . „ 26
CAPUT III. — De causa efficiente sacramentorum . . . . . „ 30
Art. I. — Omnia sacr. N. L. a Christo pendent institutione „ 32
Thesis 3. — Christus est Sacramentorum institutor . . . . „ *ibid.*
Corollarium. — Qui materiam et formam ipse determinavit . . . „ 35
Art. II. — Sacr. omnia N. L. a Christo pendent administr. „ 36
Thesis 4. — Ad valorem Sacramenti nec fides nec sanctitas ministri . „ 38
— 5. — Necessaria est intentio id faciendi quod Ecclesia . . „ 41
Corollarium. — De intentione mere externa . . . . . „ 42
Art. III. — Omnia sacr. N. L. a Christo pendent virtute . „ 43
Coroll. I. — Efficacia sacramentorum a meritis I. Christi crucifixi derivatur „ 44
— *II.* — Quomodo vim Sacramenta a Christo recipiant et exerant „ 45
CAPUT IV. — De numero sacramentorum . . . . . „ 49
Thesis 6. — Septem sunt N. L. Sacramenta . . . . . „ 50
Coroll. I — Sacramenta non sunt paria . . . . . „ 53
— *II.* — Nullum Sacram. superfluum; sed omnia respective necessaria „ 54
Scholion. — De sacramentalibus . . . . . „ 55

Tractatus VIII. — *DE BAPTISMO* . . . . . „ 57

CAPUT I. — De baptismi natura . . . . . „ *ibid.*
Thesis 7. — De materia et forma Baptismi . . . . . „ 59

Scholion. — De effectibus Baptismi . . . . . *Pag.* 64
CAPUT II. — De baptismi administratione . . . . . „ 66
Thesis 8. — Baptismus necessarius, at suppletur martyrio et desiderio „ *ibid.*
— 9. — De Baptismo infantium . . . . . „ 70
Scholia I. — De Baptismi ministro . . . . . „ 73
— *II.* — De eius cærimoniis . . . . . „ 74

Tractatus IX. — *DE CONFIRMATIONE* . . . . . „ 77

CAPUT I. — De veritate sacramenti confirmationis . . . . „ *ibid.*
Thesis 10. — Confirmatio est verum sacramentum . . . . „ 78
CAPUT II. — De confirmationis causis et effectibus . . . . „ 81
§ I. — Materia et forma Confirmationis . . . . . „ *ibid.*
„ II. — Minister et subiectum Confirmationis . . . . „ 82
„ III. — De Confirmationis effectibus . . . . . „ 84

Tractatus X. — *DE SS. EUCHARISTIA* . . . . . „ 85

Pars Prior. — DE SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO . . . . „ 86
CAPUT I. — De reali Christi præsentia in eucharistia . . . . „ 87
Thesis 11. — Ibi Christi corpus vere, realiter, substantialiter . . „ 89
§ I. — Id ex verbis promissionis Io. VI . . . . . „ *ibid.*
„ II. — Item ex verbis institutionis . . . . . „ 94
„ III. — Ex consensu traditionis . . . . . „ 99
Corollarium. — Præsentia Christi in Eucharistia permanens . . . „ 105
Thesis 12. — Ad præcavendas rationales difficultates . . . . „ 106
Corollarium. — An eucharistici mysterii possibilitatem ratio demonstret . „ 108
CAPUT II. — De modo realis præsentiæ Christi in sacramento. . . „ *ibid.*
Thesis 13. — Qualis transubstantiationis conceptus . . . . „ 109
Corollaria. — Quatuor ad transubstantiationem requisita . . . „ 112
Thesis 14. — *Veritas* transubstantiationis . . . . . „ 114
— 15. — Christus totus in utraque specie et singulis partibus . „ 118
— 16. — Corpus Christi in Sacr. cum quantitate ad modum substantiæ „ 121
Corollarium. — Vita et operatio Christi in Sacramento . . . . „ 127
Scholia I. — De obiectiva realitate specierum sacramentalium . . „ 128
— *II.* — De specierum habitudine cum corpore Christi . . . „ 131
— *III.* — De corruptione specierum et recessione corporis Domini . „ 132
CAPUT III. — De eucharistici sacramenti fructu . . . . . „ 134
§ I. — De Ss. sacramenti fructu in anima . . . . . „ *ibid.*
„ II. — De effectibus Eucharistiæ in corpora. . . . . „ 138
„ III. — De obligatione et dispositionibus ad communicandum . „ 140

Pars Altera. — DE SACRIFICIO MISSÆ. . . . . „ 142
CAPUT I. — De veritate sacrificii missæ . . . . . „ 146
Thesis 17. — In Missa offertur Deo verum et proprium sacrificium . „ *ibid.*
Scholion. In quo proprie consistat essentia sacrificii Missæ . . „ 150

CAPUT II. — De effectu et fructu sacrificii missæ . . . . . *Pag.* 155
§ I. — Quos effectus Missa producat . . . . . „ *ibid.*
„ II. — Quomodo eos producat . . . . . „ 157
„ III. — De applicatione fructus Missæ . . . . . „ 159

Tractatus XI. — *DE PŒNITENTIA* . . . . . „ 161

CAPUT I. — De potestate remittendi peccata . . . . . „ 163
Thesis 18. — Existentia, universalitas, iudicialis natura huius potestatis „ 164
Corollaria. — De aliis huius potestatis proprietatibus . . . . . „ 168
CAPUT II. — De pœnitentis actibus . . . . . „ 170
Thesis 19. — Ad remissionem per claves requiruntur tres actus in pœnitente „ 171
Scholia I. — De contritione . . . . . „ 175
— *II.* — De confessione . . . . . „ 179
— *III.* — De satisfactione . . . . . „ 181
CAPUT III. — De veritate et natura sacramenti pœnitentiæ . . . . „ 183
Thesis 20. — Ritus prædescriptus est verum et proprium sacramentum . „ *ibid.*
Scholion. — De constitutivis sacramenti Pœnitentiæ . . . . „ 185
Appendix. — De indulgentiis . . . . . „ 188

Tractatus XII. — *DE EXTREMA UNCTIONE* . . . . „ 191

CAPUT I. — De veritate sacramenti extremæ unctionis . . . . „ *ibid.*
Thesis 21. — Est verum sacramentum a Christo institutum et a B. Iacobo promulgatum . . . . . „ 192
CAPUT II. — De extremæ unctionis causis et effectibus . . . . „ 193
§ I. — Ex quibus conficitur hoc sacramentum . . . . „ 194
„ II. — Quos effectus Extrema unctio producit . . . . „ 195

Tractatus XIII. — *DE ORDINE* . . . . . „ 199

CAPUT I. — De sacramenti ordinis veritate . . . . . „ 200
Thesis 22. — Ordinatio est verum sacramentum . . . . . „ *ibid.*
Scholia. — De variis Ordinis gradibus . . . . . „ 202
CAPUT II. — De causis sacramenti ordinis . . . . . „ 207
Thesis 23. — Episcopi, iique soli, sacramenti Ordinis ministri sunt . „ *ibid.*
Scholia. — De materia et forma deque subiecto Ordinis . . . „ 209

Tractatus XIV. — *DE MATRIMONIO CHRISTIANO* . . . „ 213

CAPUT I. — De veritate sacramenti matrimonii . . . . . „ 214
Thesis 24. — Matrimonium christianum vere est sacramentum . . „ 215
Corollarium. — . . . . . „ 220
Scholion. — Virginitas et cœlibatus longe Matrimonio præstant . . „ 221
CAPUT II. — De essentia sacramenti matrimonii . . . . . „ 223
Thesis 25. — Nexus indivisibilis contractus et sacramenti . . . „ 224

Corollar. I. — De Ministro . . . . . Pag. 227
— *II.* — De materia et forma . . . . . „ 229
— *III.* — De subiecto . . . . . „ 231
Scholion. — De Matrimonii unitate et indissolubilitate . . . . „ 233
CAPUT III. — De ecclesiæ potestate in matrimonium . . . . „ 237
Thesis 26. — Potestas in impedimenta et causas Matrimonii, propria et solius Ecclesiæ . . . . . „ 240
Corollarium. — De Matrimonio (ut dicunt) civili . . . . . „ 244
Scholia I. — De baptizatorum Matrimonio, si ad Sacramentum non fuisset evectum . . . . . „ 245
— *II.* — De matrimonio infidelium . . . . . „ 246
— *III.* — Difficultates solvuntur . . . . . „ 248

Tractatus XV. — *DE NOVISSIMIS* . . . . . „ 251

Pars Prior. — DE NOVISSIMIS SINGULI HOMINIS . . . . „ *ibid.*
CAPUT I. — De morte et iudicio quod illam consequitur . . . „ 252
§ I. — De morte . . . . . „ *ibid.*
„ II. — De iudicio particulari . . . . . „ 254
CAPUT II. — De inferno . . . . . „ 256
Thesis 27. — Pœnæ æternæ, nec id contra rationem . . . . „ 257
Scholia I. — De qualitate pœnarum . . . . . „ 260
— *II.* — De loco seu sede inferni . . . . . „ 261
— *III.* — De morientibus in solo peccato originali . . . . „ *ibid.*
CAPUT III. — De purgatorio . . . . . „ 263
Thesis 28. — Adest Purgatorium eiusque animæ suffragiis iuvantur . „ *ibid.*
Scholia I. — De statu animarum purgantium . . . . . „ 265
— *II.* — De suffragiis . . . . . „ 266
CAPUT IV. — De paradiso seu de æterna sanctorum beatitudine . . „ 268
Thesis 29. — Sancti intuentur Deum, ideoque beati . . . . „ 269
Scholion. — De lumine gloriæ et obiecto visionis . . . . „ 273
Thesis 30. — De cultu et invocatione Sanctorum . . . . . „ 277
Corollarium. — De cultu sacrarum reliquiarum et imaginum . . . „ 280

Pars Altera. — DE NOVISSIMIS MUNDI. . . . . „ 282
CAPUT I. — De resurrectione mortuorum . . . . . „ 283
Thesis 31. — Omnes cum suis corporibus resurgent . . . . „ *ibid.*
Scholia I. — De qualitatibus corporum resurgentium . . . . „ 287
— *II.* — De Chiliastarum sententia . . . . . „ *ibid.*
CAPUT II. — De iudicio universali . . . . . „ 288
Thesis 32. — Post resurrectionem fiet iudicium universale . . . „ *ibid.*
Scholion. — De adiunctis Iudicii . . . . . „ 290
Epilogus. — De Communione Sanctorum . . . . . „ 292

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1751.S214 C001 V004
INSTITUTIONES POSITIVO-SCHOLASTICAE THOL
3 0311 00042 9048

WITHDRAWN

43951

BX
1751
S214
v.4

43951

AUTHOR ~~Sala, Fridericus~~
INSTITUTIONES POSITIVO-
TITLE ~~SCHOLASTICAE THEOLOGIAE~~
DOGMATICAE

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

3 0311 00042 3948

CO-ACE-948